



3 1761 06891445 6



Bellevue
School. C.



THE WORKS

OF

ROBERT SANDERSON, D. D.

SOMETIME

BISHOP OF LINCOLN,

NOW FIRST COLLECTED BY

WILLIAM JACOBSON, D. D.

REGIUS PROFESSOR OF DIVINITY

AND

CANON OF CHRIST CHURCH.

IN SIX VOLUMES.

VOL. IV.

OXFORD,

AT THE UNIVERSITY PRESS.

M.DCCC.LIV.



322
1911

DE
OBLIGATIONE CONSCIENTIAE

PRAELECTIONES DECEM :

OXONII IN SCHOLA THEOLOGICA HABITAE

ANNO DOM. M. DC. XLVII.

A

ROBERTO SANDERSONO,

S. THEOLOGIAE IBIDEM PROFESSORE REGIO,

ET AB EODEM EXPROFESSORE,

NUNC PRIMUM EDITAE.

LONDINI :

TYPIS R. N. IMPENSIS JO. MARTIN, JA. ALLESTRY, ET THO. DICAS

AD INSIGNE CAMPANAE IN COEMETRIO D. PAULI.

M. DC. LX.

PRAENOBILI VIRO,

Honoratissimorum Corcagiae in Hibernia Comitum RICHARDI
olim defuncti Filio, et RICHARDI nunc superstitis Fratri,
ROBERTO BOYLIO.

AVET in tuam, Vir Honoratissime, fidem et clientelam se conferre hoc quidquid est Opusculi, ut sub tui nominis praesidio prodeat in vulgus. Ad te igitur idipsum affero, lubens merito. Ad te, inquam, hominem, ut ex aliis audio, et est perraro mendax in melius fama, cum natalium splendore illustrem, tum generosae mentis indole, amore literarum, humanitate, pietate, et omni virtutum genere multo etiam illustriorem: mihi tamen, delitescenti nimirum in parva casula suaviter, nec quid rerum foris geratur, praesertim ut nunc sunt tempora, multum sollicito, de facie nunquam, ante paucos menses nec de nomine quidem, adeoque ne nunc tandem, nisi sola munificentia, notum. Est tamen quod sperem, habiturum aliquam apud te gratiam tenue hoc munusculum: ex eo scilicet quod me, jamdiu 'rude donatum,' proposito per virum insigniter doctum Thomam Barloun, armarii Bodleiani in alma Oxoniensi Academia Protobibliothecarium, honesto salario, conatus es 'iterum antiquo includere ludo;'* et tum sponte mea ad aliquid scribendum quod domo exeat pigrum satis, tum factum jam, ut in senecta aetate par est, multo etiam pigriorem, in eandem arenam denuo pellicere. Bonum factum: quod in hoc tam luctuoso Civiliū pariter et Ecclesiasticarum

* Horat. Epist. II. i. 2.

rerum statu, nisi sit nefas statum dicere quae mera ἀκατασρασία sit, et perturbatissima rerum omnium confusio, unus aliquis forte melioris luti, et alter repertus fuerit, qui tristes Musas Musarumque quocunque in genere alumnos, maxime qui verae et Christianae Philosophiae professores, spretos ubique et *velut mundi retrimenta* abjectos, curet alloquio aliquo aut levamine solari. Si quid igitur, Deo Optimo Maximo donante, posthac mihi in hoc genere scriptionis, hoc est, quod ad Moralem Theologiam pertineat, tentatum editumque fuerit, sive id Latino idiomate fiat, sive, quod sentio esse plerisque nostratium aliquanto optatius, vernaculo, quod aut in publicum utile, aut privato cuivis homini, ad vitam recte instituendam, moresque ex Divinae Legis et Evangelii praescripto efformandos, usui esse poterit: id tibi plurima ex parte acceptum ferri debere, et agnosco lubens, et libere profiteor; qui mihi et ut auderem author fuisti, et ut alacrius pergerem adjutor. Perge et tu, Vir dignissime, benefacere, hoc est, quod facis facere: literas ornare, literatos fovere, pietatem colere, fidos tibi ex infidi Mammonae impendio amicos comparare: ut ex ubere bonorum operum in hoc saeculo semente, ingens tibi surgat aeternae beatitatis messis in saeculo futuro. Amen.

BOTHEBIAE PAGANELLORUM,
in agro Lincolnensi.
x. Cal. Decemb. MDCLIX.

BENEVOLO LECTORI

Εἰ πράττειν.

IN primo statim limine mihi conveniendus es, quisquis es, amice Lector, orandusque, ut patiare te paucis ante edoceri, quam in ipsas aedes intuleris pedem, quae nos causa, ad isthaec quae nunc damus evulganda, potissimum impulerit. Equidem, si per alios licuisset, inedita malui. Cui rei vel hoc unum satis magno argumento esse posset, quod Praelectiones, aliquot ante annos mihi commentatae, toto plus decennio ne pluteum quidem servaverint; sed sparsim in angulis inter rejectitias et nihili chartas neglectae jacuerint: nisi mihi aliud suppeteret gravioris momenti argumentum, et, quod suo se indicio prodit, Operis ipsius imperfectio. Scriptorem enim oportet, qui sapit, dignitatisque suae et existimationi consultum cupit, incoeptum opus ad umbilicum perducere; nec prius de emittendo cogitare, quam fuerit, ut cum Cicerone loquar, ‘aptum undique, perfectum, expletumque omnibus suis partibus et numeris.’^a Siquidem frustra inde laudem speres, unde pulchre tecum actum putes, si pro laude veniam mereare.


Quid ergo? Amicine in causa? qui solent ultro currentem in haec fata fortius impellere, cunctanti stimulos subjicere. Ne hoc quidem dederim. Commune enim illud plerorumque scripturientium confugium, amicorum dico hortatus et vota, ut concedam habere posse nonnunquam honestae excusationis locum,

^a Lib. ii. de Natura Deorum. [37. Neque enim est quidquam aliud praeter mundum, cui nihil absit quodque undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus.]

scripta fuerunt, non pauca, incudi denuo reddenda videbantur. Hinc mihi duram sensi obortam molestiam, quae tamen perferenda erat; totius Operis de novo describendi taedium. Pertuli, descripsi, perfeci, ut potui; et, si ultra vires nemo debitor est, ut debui. Si non ut volui, hanc unam rem a te, ut aequam, peto, immo, ut facienti quod in se est debitam, postulo, veniam.

TOTIUS INSTITUTI OPERIS

ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΣ SIVE DIAGRAPHE.



Appendix de praedictarum Obligationum inter se collatione quoad vim obligandi.

PRAELECTIO PRIMA.*

IN QUA PROPONITUR ET EXPLICATUR CONSCIENTIAE DEFINITIO.

I COR. II. 11.

*Quis hominum novit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis
qui est in ipso?*

PERMAGNAM esse ^a vim Conscientiae in utramque, fidu- §. 1.
ciae metusque, partem, et prudentes Viri olim docuerunt, et Suscepti
satis attestatur proprius cujusque sensus et experientia. Quo Operis
magis dolendum est, plerosque mortalium, dum rerum medio- Consilium.
criter utilium scientiam anxie venantur, in tam crassa interim
Conscientiae suae ignoratione versari. Qua tamen non est
alius quisquam, aut monitor fidelior, aut accusator diligentior,
aut testis gravior, aut judex incorruptior, aut solator jucundior,
aut hostis importunior. Ut itaque decantatum illud jam olim
Γνωθι σεαυτόν studiosorum auribus et mentibus instillarem,
ipsoque ab inanis scientiae nimia cupiditate modice diverterem,
et ad majorem Conscientiae curam cultumque sensim invita-
rem, existimavi operae me facturum pretium, si in Consci-
entiae Naturam et Usum paulo diligentius inquirerem, et quae
mihi in eam rem scitu digna meditati occurrissent, vobis
auditoribus pro officii mei ratione, ex hoc loco communicarem.
Statui igitur hac Praelectione Conscientiae Naturam defini-
endo explicare, expositurus futuris Lectionibus, si Deus con-
cesserit, Conscientiae, maxime qua facienda spectat, Usum et
Officia, idque per duplicem respectum; priorem scilicet ad
normam legis cui subesse debet, posteriorem ad actus humanos
quibus nata est praeesse.

* There is a transcript of this Lecture in one of the MS. Volumes given to Queen's College by Bp. Barlow. P. 17. A. 3. fol. 128. or cxvii in Coxe's Catalogus Codd. MSS. qui in Collegiis Aulisque Oxon. adservantur.

^a Cicero pro Milone. [Gr. Magna vis est conscientiae, Judices, et magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.]

§. 2.
Conscientiae Definitio proponitur.

2. Sed quum sit duplex Methodus definitiva, altera *συνθετική* et ad Compositionis modum, quae ex praemissa singularum partium expansione, integram tandem colligit Definitionem; altera quasi *ἀναλυτική* et per modum Resolutionis, quae propositam ab initio integram Definitionem postea membratim aperit et explicat: etsi prior illa videri fortassis possit ordini naturae convenientior, delecti tamen potius posteriorem, quae visa est mihi ad docendum aliquanto commodior. Sic ergo breviter definitio Conscientiam. Conscientia est facultas, sive habitus intellectus practici, quo mens hominis per discursum Rationis applicat lumen quod sibi adest ad particulares suos actus morales. Ubi considerata veniunt suo ordine, primo Definiti nomen, nimirum ipsa Conscientiae vox: deinde singula Definitionis membra: illa videlicet omnia, quae in definiendis primae vel secundae speciei qualitatibus* adhiberi solent, Genus, Subjectum, Objectum, et Actus proprius.

§. 3.
Definiti Nomen.

3. Definiti nomen quod attinet, observarunt Viri docti non reperiri in Veteri Instrumento vocem Hebraeam, quae Conscientiam peculiariter et praecise significet; sed ex usu loquendi Hebraeorum, quoties de Conscientia sermo est, ad eam denotandam assumi fere duarum dictionum alterutram, לב sive לבב, et רוח,† quarum illam proprie Cor, hanc Spiritum significare sciunt omnes. Illud Salomonis Prov. iv. *Supra omnem custodiam custodi cor tuum*, perinde est ac si dixisset, Conscientiae suae cuique praecipua cura esto. Item Eccles. vii. pro eo quod habet vetus Interpres Latinus, *scit Conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis*; et Tremellii versio, *consciens est animus tuus*; in textu Hebraico est ידע לבך, i. e. *novit cor tuum*. Quin et in Novo Testamento, praesertim apud Johannem Apostolum, in cujus scriptis multi sunt passim Hebraismi, καρδιά aliquoties pro *Conscientia*

Prov. iv.
23.

Eccles. vii.
22.

* In speaking of the first or second species of Qualities, our Author has reference to Aristotle's Categories, and to his own explanation of them in his *Logicae Artis Compendium*. WHEWELL.

† Jer. Taylor, chap. i. art. 8. of his Rule of Conscience, gives the same Hebrew words with the same interpretation, and the Quotations, Eccles. vii. 22; Prov. xviii. 4; 1 S. Joh.

iii. 21. WHEWELL. Taylor's Preface is dated Oct. 5, 1659, exactly seven weeks earlier than Sanderson's Dedication prefixed to these Lectures, which had been delivered twelve years before. Are the coincidences to be accounted for by Taylor having had access to one of the several Transcripts which were in circulation before Sanderson decided on publishing?

ponitur, ut. 1 Joh. iii. *Si cor nostrum non condemnet nos.* 1 S. Joh. iii. Cor nostrum, i. e. Conscientia nostra: cujus utique proprium munus est stantem pro tribunali reum condemnare vel non condemnare. Unde illa trita satis Bernardi et aliorum allusio, Conscientia quasi cordis scientia.* Spiritus etiam nomine in sacris scriptoribus, Hebraeis pariter et Graecis, frequenter appellatur Conscientia. Afferam duo tantum loca; quid enim opus est pluribus, quum isthaec sint apertissima? Ex Veteri Testamento Salomonis dictum Prov. xviii. 14. *Spiritus viri sustentabit infirmitatem ipsius: spiritum autem confractum quis sustinebit?* quasi dicat, Qui integra est Conscientia, quaecunque tandem ipsi contigerint mala, forti ea animo perferre poterit; sed est fracta et afflicta Conscientia onus importabile. Ex Novo Testamento pariter, illud Pauli, praesentis diatribae thema et fundamentum, 1 Cor. ii. 11. *Quis novit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo?* i. e. nisi propria cujusque Conscientia?

4. Latinorum autem Conscientia, et quae ei per omnia respondet Graecorum *Συνείδησις*, a sciendo aperte utraque nomen accepit. Sed simplici scientiae adjecta utrobique in compositione praepositio, amplius aliquid indicat in his vocibus et ulterius, quam in ipso Scientiae vocabulo, contineri: quod quid sit ab Authoribus varie explicatur. Missis duabus illis rationibus quae a nonnullis afferuntur, quae si naturam rei ipsius spectemus retineri fortassis possunt ut allusiones haud omnino incommodae, ad limam vero et *ἀκρίβειαν* legitimae notationis revocatae ineptae protinus reperientur, nec digne quibus immoremur, Conscientia quasi *cordis scientia*, et Conscientia quasi *concludens scientia*, illud imprimis certum est, duo haec vocabula, *Συνείδησις* et Conscientiam, ultra nudam scientiae notionem, dicere etiam ordinem quandam et relationem istius scientiae ad aliud. Quippe ea vis est particularum *Σύν* et *Con*, ut in compositione significant rerum plurium conjunctionem quandam et associationem: ut sit Conscientia, quasi conjuncta multorum scientia. Quod et ipsum dupliciter contingit intelligi. Potest enim dici multorum scientia, vel ut subjectorum, quasi dicas multorum scientium scientia, nempe

§§. 4-6.
Ejusque
Nominis
origo.

* Tract. de Interiori Domo, c. xi. words occur, Mabillon says, 'Cujus-
tom. xi. 342 C. ed. Ben. Paris. 1690. cunque sit, Bernardi non est.'
Of the Treatise in which these

quum multae personae eandem rem pariter sciunt. Vel ut ob-
jectorum, quasi dicas multorum scitorum scientia, nempe cum
eadem persona multas res pariter scit. Sive hoc, sive illo
modo accipiatur vox Conscientiae, reddi potest ratio nominis,
sive rem ipsam spectemus, sive usum loquendi apud probatos
Authores, nec aliena multum, nec incongrua.

§. 5.

5. Primo enim, quum multi idem sciunt, et conscire dici pos-
sunt, et conscii dici solent. Sic conscii conjurationis Catilinae
dicti sunt, quos ille in sceleris societatem delegit, et consilii sui
participavit; et conscius arcanorum Regis dicitur, cui cognita
sunt et concredita occulta ipsius consilia.—‘Ascitus in conscien-
tiam facinoris,’ in Annalibus Taciti.* ‘O si conscius esset hic
Avitus,’ in Epigrammatis Martialis.^b ‘Conscia matri Virgo fuit,’
in Satiris Juvenalis. xiv.^c ‘Meorum omnium consiliorum peri-
culorumque testis conscius et adjutor,’ in Orationibus Ciceronis.†
Infinitum esset omnia colligere, quae in hanc rem legendis
optimae notae Scriptoribus passim occurrent. Sed isthaec
satis; nisi forte a me exigitis, ut aliquid saltem quod huc facit
a Grammaticorum lacunis depromam. Fiet: non quod tanti
valere debeat apud nos istorum hominum autoritas, sed quod
hiscæ in rebus dictaturam sibi, quasi jure quodam suo, arrogare
soleant. ‘In hoc differunt *Sci*us et *Consci*us,’ Nonium auditis,
‘*Sci*us secum, *Consci*us cum alio sciens est.’ Ex hac vocis
originatione, qui Conscientiam dictam putant quasi cum alio
scientiam, non aliam assignare poterunt sententiae suae ratio-
nem idoneam, quam quod non homo solus novit quae sunt a se
facta, sed et Deum, *qui scrutatur corda et renes*, habeat om-
nium operum suorum, immo et abditissimarum cogitationum,
conscium testem et inspectorem. Res omnino certissima, quid-

Job xvi. 19. quid de voce fiat. *Ecce, in caelis testis meus est, et conscius*

meus, συνίστωρ μου, in excelsis. Beatus etiam Paulus, quum
Christum advocasset testem veritatis eorum quae mox dicturus

Rom. xi. 1. erat, subnectit continuo *συμμαρτυρούσης μοι τῆς Συνειδήσεως,*
testimonium simul perhibente mihi Conscientia. Ac si dixisset
οἶδεν ὁ Χριστός, σύννοια κἀγώ. Scit Christus, ego etiam con-

* Hist. i. 25.

^b Martial. xii. 24. [9.]^c Juvenal Sat. xiv. [28.]† Sanderson seems, in quoting
from memory, to have fused with
the opening of the Defence of L.Flaccus, in which neither *testis* nor
*consci*us occurs, a passage from the
Orat. pro M. Fonteio, §. 6. ‘Satis
vobis multos, satis idoneos testes,
et conscios videtur ipsa Fortuna
esse voluisse,’ &c.

scio : μαρτυρεῖ ὁ Χριστός, συμμαρτυρεῖ ἡ Συνειδήσις. Testatur Christus, contestatur et Conscientia. Esto igitur haec prima vocis ratio : Conscientiam ex eo dici, quod facta hominis sint ipsi cognita simul et Deo.

§. 6.

6. Altero modo dicitur conjuncta plurimum scientia, velut objectorum, sive scitorum : quum scilicet unusquispiam plura simul scit, vel, quod eodem recidit, plures notitias, distinctas licet, conjungit tamen et invicem applicat. Unde oritur secunda vocis ratio, quae placuit Thomae et plerisque Scholasticorum ; et quod ad eruendam Conscientiae naturam et vim faciem praeferat haud inutilem, alteri illi jam dictae merito praeferenda videtur : nempe Conscientiam propterea dici, quia scientiam scientiae conjungit ; scientiam scilicet universalem, sive Juris, scientiae particulari, sive facti, applicando hanc ad illam. Uno et altero adducto exemplo rem illustrabo. 1 Sam. xxiv. 5. Davidem dicitur *cor ipsius cecidisse*, postquam alam vestimenti Saulis abscidisset in spelunca : hoc est, pupugit eum Conscientia sua. Putemus nimirum Davidem apud animum suum ita locutum ; ‘ Scio non debere vim afferri sacrae personae Regiae : scio etiam id nuperrime a me factum quod a vi inferenda perparum abesse videtur : vereor itaque ne fecerim quod forte non debuerim ; et gratias ago Deo meo qui manum meam abstinuit ne facerem quod certe non debueram.’ Sic Judae proditori objecit Conscientia sua : ‘ Nosti Dominum non fuisse prodendum, et idem nosti te turpiter prodidisse.’ Accedente hunc in modum universali illi Juris notitiae quae est in mente, facti etiam particularis, admissi scilicet vel admittendi, notitia, eique conjuncta et applicata, et cum ea collata, exurgit totum illud quod dicimus Conscientiam. Firmant hanc nominis rationem id genus locutiones, quae per modum reciprocationis efferuntur, et sunt in hoc genere frequentissimae. Cujusmodi sunt Isocraticum illud, ^a *Ἀν τοὺς ἄλλους λήσης, σαυτῷ συνειδήσεις*,^d *Utut alios latere possis, tute tibi conscius eris*. Horatianum itidem illud, ^e ‘ Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi ;’ et Virgilianum, ^f — ‘ Mens sibi conscia recti.’

* Taylor also, Chap. i. Art. 24. adopts from Aquinas, ‘ that Conscience is a conjunction of the universal practical Law with the particular moral action.’ WHEWELL.

See above, §. 3.

^a Isocr. ad Demonic. [§. 16.]

^e Horat. I. Epist. i. [60.]

^f Virgil. Æn. i. [604.]

Paulinum illud denique, ne sit opus plura et aliunde congerere, οὐδὲν ἐμαυτῷ σύννοια, nihil mihi conscius sum, 1 Cor. iv. 4.

§§. 7-9.
Ex vocis
Scientia
ambigui-
tate,

7. Satis jam constare puto nominis rationem, seu quis illam praetulerit, seu magis hanc, sive utramque pari loco habeat. Nam quas adducunt alias rationes pro ingenio quisque suo e plebe Scholastici, dilutiores fere sunt quam ut debeant cursum nostrum, quibus multa dicenda supersunt, morari. Pergo itaque ad vocis *δμωνυμίαν* aperiendam, unde orta mira illa apud Authores in definienda Conscientia discrepantia: usque adeo ut de primo Definitionis termino, quodnam scilicet sit ipsius genus, magna sit et difficilis admodum controversia. Ut itaque tollatur e medio illa ambiguitas, illud imprimis observandum est, tantam esse virium mentis, nempe potentiarum, habituum, et actuum, inter se naturae cognationem, tamque arctam quoad usum et exercitium conjunctionem sive connexionem, ut non solum vocabulorum appellationes, sed et reales singulorum proprietates et officia, reliquis promiscue et indiscriminatim attribui soleant, idque non in exotericis tantum Poetarum, Oratorum, aliorumque humanioris Literaturae Authorum, quibus licentius loqui permissum est, sed et in dogmaticis Philosophorum et Scholasticorum scriptis, quibus non licet esse tam disertis. Quantumvis igitur arduum semper habitum est et difficile, res natura usuque conjunctas, suis quasi certis limitibus definire et distinguere, ad Conscientiae tamen vocem quod attinet, quae et scientia quaedam est, et ab ea dicta, non parum nobis adjumento fuerit vocis scientiae *δμωνυμίαν* paulo diligentius aperuisse, ut ex simplicis vocabuli multiplici usu, compositi nominis ambiguitas rectius et penitius intelligatur.

§. 8. 8. Primo ergo, ut habituum nomina familiariter transeunt in sua objecta, Scientia dupliciter sumitur, formaliter, et objective. Quemadmodum enim de Fide distinguere solent Theologi, aliam esse Fidem qua credimus, quae est habitus Fidei in mente existens; aliam quam credimus, quae est res Fidei credita, velut objectum prioris, et ei extrinsecum quid; quarum illa dici potest Fides formaliter sumpta, haec objective: pari omnino ratione de Scientia distinguere licet, et consequenter de Conscientia. Utramque scilicet sumi vel proprie et formaliter, pro ipso mentis habitu quo rem aliquam scimus vel conscimus; vel improprie et objective, pro re illa quam scimus,

vel conscimus. Quo posteriore et improprio sensu, Lex illa quae cordibus inscripta est, velut recte vivendi regula, dici potest Conscientia. Et in hoc sensu intelligendum est illud Damasceni* in Scholis pervulgatissimum, Conscientiam esse Legem mentis: quum tamen Lex mentis non sit proprie et formaliter Conscientia, sed potius Conscientiae Objectum, aut adaequatum aut partiale.

9. Secundo, quum ad animam pertineant tria haec, distincta illa quidem, sed tamen invicem ordinata, Potentiae, Habitus, et Actus: Potentiae scilicet, ut virtutes ipsius animae naturales, Habitus, ut formae perficientes ipsas Potentias, et habilitantes eas ad actus suos facilius et jucundius exercendos, et Actus, velut exercitia tum Potentiarum tum Habituum, scientiae nomen, itemque Conscientiae, ad ista omnia† aliquo modo extenditur. Sicut enim faber secare dicitur, primo, securi velut instrumento, secundo, acumine securis velut formali instrumenti dispositione, tertio, ipsa sectione velut instrumenti usu et actione: sic dicitur mens hominis scire, primo, Potentia cognitiva velut instrumento, secundo, ipso Habitu sciendi velut dispositione perfectiva ipsius Potentiae, tertio, actuali consideratione velut usu et operatione utriusque, Potentiae nimirum et Habitus. Sumitur ergo Scientia tripliciter, subjective, formaliter, et effective. Primo, subjective, pro Potentia cui inest, et quam est apta nata perficere, sicut omnis forma aliquo modo perficit suum subjectum: ut quum dicimus Mysteria Fidei superare scientiam nostram, i. e. excedere mensuram Potentiae nostrae cognitivae. Secundo, formaliter, quae est usitatissima hujus vocis significatio, pro Habitu cognitionis innatae vel acquisitae: quomodo dicimur scire principia per se nota, et conclusiones legitimo discursu ex eis deductas, et universim omnia de quibus adminiculo sensuum aut rationis habemus aliquam certitudinem. Tertio, effective, pro actuali consideratione rei prius cognitae: quo sensu, ut illud obiter moneam, verba Pauli Apostoli, Act. xxiii. 5, in quibus explicandis mire se torquent

§. 9.

* De Fide Orthodoxa, iv. 22. Ἐπιβαίωνων οὖν ὁ τοῦ Θεοῦ νόμος τῷ νῷ ἡμῶν, ἐφέλκεται πρὸς ἑαυτόν, καὶ νύττει τὴν ἡμετέραν συνείδησιν. Λέγεται δὲ καὶ ἡ ἡμετέρα συνείδησις νόμος τοῦ νόος ἡμῶν. i. 292 B. ed. Le Quien.

† Taylor, Chap. i. Art. 6, has the same threefold distinction of Conscience as the faculty, the habit, and the action; and employs some of the same examples of these senses. WHEWELL.

Interpretes, videntur omnino esse intelligenda. *Non noveram*, inquit, *fratres, Pontificem esse maximum* : οὐκ ᾔδew, i. e. Non cogitavi, non satis attente consideravi. Quasi dixisset, *Parcite*, quaeso, *fratres*, justae meae indignationi, si aestuantis animi impetu abreptus liberius aliquid elocutus fuerim quam oportuit, immemor illius et personae, et officii mei. Agnosco errorem : non debui maledicere Pontifici, quantumvis fecerit non digna suo honore ; sed impediit animi ardor, ne ista, ut par erat, attentius cogitarem. Sensu facillimo, et commodissimo.

§§. 10-13.
illustrata,
et vocis
Conscientiae homo-
nymia.

10. Sed pergo. Ut Scientia, sic et Conscientia tribus eisdem modis similiter accipitur. Primo, subjective, pro Potentia intellectiva practica. Ut quum dicimus Legem naturalem scriptam esse in corde vel conscientia. Secundo, formaliter, pro Habitu pertinente ad illam Potentiam, eamque informante. Ut quum de homine insigniter improbo dicimus eum hominem esse nullius Conscientiae, abjecisse eum vel amisisse omnem Conscientiam. Tertio, effective, pro actuali aliquo motu, exercitio aut operatione illius habitus. Ut quum quis dicit habere se de hoc vel illo facto Conscientiam. Quo sensu videtur a Petro accipi, *Si quis propter conscientiam Dei suffert molestias*.

1 S. Pet. ii.
19.
§. 11.

11. Porro, quum Scientia proprie sit μέθοδος διανοητική, sive cognitio syllogistica, adeoque omnes qui de Conscientia tractant naturam ejus rationemque non posse putent aptius et apertius illustrari quam per Syllogismum practicum, observandum est Scientiae nomen hoc etiam respectu quatuor modis accipi. Primo et propriissime, pro scientia conclusionis praecise, quomodo fere accipitur ab Aristotele in Analyticis, et alibi passim. Secundo, pro cognitione principiorum, ex quibus demonstrantur conclusiones : ut si quis dicat se scire, Omne totum esse majus qualibet sui parte. Tertio, pro cognitione totius Syllogismi ; nam qui novit praemissas et conclusionem, novit totam argumentationem. Quarto, pro aggregata notitia multarum conclusionum, sive demonstrationum ad unum aliquod subjectum pertinentium : quo modo dicimur scire Physicam, Geometriam, Medicinam, &c. Idipsum et de Conscientiae nomine dicendum ; cujus discursum, unico Syllogismo practico Authores plerique comprehendunt. Sed quum sit Conscientia, ut dictum est, conjuncta scientia, ut totum illud quod sub hoc nomine venit plenius, et quasi uno intuitu perspicatur, universum negotium, ut mihi saltem videtur, commodius expedie-

tur, si discursum illum concipiamus velut ex duplici Syllogismo ita constantem, ut conclusio prioris sit major propositio posterioris, in hunc modum :

Omne injustum est fugiendum.

Omne furtum est injustum. *ergo*

Omne furtum est fugiendum.

Esto hic prior syllogismus, cujus prima propositio est per se nota lumine naturae, Ratio assumit minorem, Conscientia infert conclusionem. Quam conclusionem mox arripit, ut principium posterioris Syllogismi, et applicando eam ad aliquod particulare factum voluntatis arbitrio propositum, arguit ad hunc modum.*

Omne furtum est fugiendum.

Hoc quod mihi faciendum proponitur est furtum, *ergo*
est fugiendum.

Ad quem etiam modum procedit, mutatis mutandis, quoties de facto particulari praeterito judicandum est.

12. His ita positus, dico Conscientiam, pariter ut Scientiam, quatuor modis accipi. Primo et propriissime, pro ultima conclusione totius discursus utriusque Syllogismi, utpote in qua continetur ultimum iudicium intellectus practici: ut si quis dicat, Conscientia mea mihi dicat hoc furtum non esse faciendum, vel Conscientia mea clamat hoc furtum non debuisse fieri. Et notitia hujus conclusionis est proprie *Συνείδησις*, prout *Συνείδησις* contradistinguitur *Συντηρήσει*.† Secundo, sumitur pro notitia primi illius principii universalis, lumine Naturae vel Revelationis cogniti, ex quo pendet totius discursus filum: ut si quis dicat, Conscientia mea dicat nullum injustum esse faciendum. Et est hic usus vocabuli, non infrequens quidem, sed tamen improprius: siquidem in istiusmodi locutionibus Conscientia nihil aliud est quam ipsa *Synteresis*; quum tamen inter Conscientiam proprie dictam et *Synteresin*, discrimen sit non exiguum. Habet enim se *Synteresis* ad Conscientiam proprie dictam, sicut se habet *Habitus Intellectus* ad Scientiam

§. 12.

* Taylor, Chap. i. Art. 24, resolves the operation of the Conscience into two practical Syllogisms of the same kind as above. WHEWELL.

† Taylor, Chap. i. Art. 24, in like manner distinguishes the Conscience into the *Συντηρήσις* and the *Συνείδησις*. WHEWELL.

proprie dictam : qui duo sunt Habitus mentis specificè distincti, ut ex quinto Ethicorum Aristotelis olim didicimus. Sicut ergo in Speculativis, Intelligentia est Habitus primorum principiorum circa verum et falsum, unde deducuntur conclusiones, de quibus est Scientia, sic in Practicis, *Synteresis* est Habitus primorum principiorum circa bonum et malum, unde deducuntur conclusiones, de quibus est Conscientia. Tertio, sumitur Conscientia latius, pro toto illo discursu mentis practico, a primo principio ad ultimam usque conclusionem, qui in duobus ejusmodi Syllogismis, quales jam proposui, continetur : ita ut ambitu suo et *Συτήρησιω* et *Συνείδησιω* proprie dictam complectatur. Facile enim suggerit sua cuique Conscientia haec omnia scilicet ; et nihil injustum fieri oportere, et furtum in rebus injustis merito censerì, et hoc particulare factum, quod a me jam admissum est, vel quod ut admittam sollicitat oportunitas, furti crimen habere. Quarto, sumitur Conscientia pro notitia aggregata plurium actuum particularium, ex quibus conficitur universa vitae et conversationis ratio. Quo sensu videntur illa Apostolorum verba intelligenda. *Viri fratres, ego omni bona conscientia πεπολιτευμαι τῷ Θεῷ conversatus sum coram Deo ad hunc usque diem*, Act. xxiii. 1. *Confidimus quod bonam conscientiam habemus, in omnibus cupientes honeste conversari*, Heb. xiii. 18. Quin et I S. Pet. iii. 16. quod initio versus, ut observavit Vir pius et doctus, *συνείδησις ἀγαθή* dicitur, id ipsum in fine ejusdem versus *ἀγαθὴ ἀναστροφή* appellatur. Quoties etiam quempiam laudamus aut vituperamus, ut integrae Conscientiae virum aut corruptae, ex intuitu morum et quotidianae conversationis, sine respectu habito ad aliquod ipsius factum particulare, vox Conscientiae liquido in hanc partem sumitur.

- §. 13. 13. Exposui ista, fateor, multo prolixius quam initio institueram, fortassis etiam quam pro vestra, Auditores, expectatione debueram. Veruntamen aequiores vos futuros confido, si constiterit hanc in explicando Definito prolixitatem in compendium fore reliquae tractationis, quae in explicatione ipsius Definitionis per singula membra insumetur : quam nunc proxime aggredior. Unum hoc duntaxat praemoneo, quod est tamen ex ipsa re manifestum, datam a me jam ante Definitionem ad Conscientiam proprie dictam adaequatae pertinere ; nimirum prout accipitur pro notitia ultimae conclusionis Syllogismi

practici: posse tamen cum debita aliquot vocum permutatione et ad reliquas ejus dictionis significationes explicandas adhiberi; ut in plerisque vocibus κατ' ἀναλογίαν aequivocis amat fieri. Fuit autem data Definitio, quam propter tam multa interposita repetere libet, haec: Conscientia est facultas vel habitus intellectus practici, quo mens hominis per discursum rationis applicat lumen quod sibi inest ad particulares suos actus morales. In qua Definitione quatuor ista continentur singillatim explicanda: Genus, Subjectum, Objectum, et Actus.

14. De Genere magna est inter Scholasticos et acris controversia. Imprimis omnes consentiunt Conscientiam ad mentem hominis pertinere; ^f sed utrum ut Potentiam ejus, an ut Habitum, an ut Actum, mira est dissensio. Thomas, qui in Scholis magnam familiam ducit, statuit esse Actum. ^g Quam sententiam plerique amplexi sunt, non Scholastici tantum Scriptores, tanti viri autoritate magis, ut ego quidem arbitror, adducti quam momentis rationum. Sed et Reformatarum Ecclesiarum Theologi, qui ex fastidio rixosae gentis malunt hisce in rebus receptas quasque opiniones, ab omni impietatis aut superstitionis opinione saltem liberatas, sequi, quam spinosas istorum hominum subtilitates nimis anxie rimari. At mihi, ut quod censeo libere dicam, improbanda omnino videtur communissima haec opinio, cui evertendae, ne pluribus sit opus, sufficiet unicum hoc argumentum, Conscientiae scilicet plurimos esse actus. Dictat enim, impellit, terret, testatur, accusat, excusat, solatur, remordet, torquet, &c. Actuum autem nulli sunt actus; sed aut Formarum, aut Potentiarum, aut Habituum. Erit ergo Conscientia aut Forma, aut Potentia, aut Habitus, non autem Actus. Ad argumentum autem Thomistarum, Conscientiam esse applicationem scientiae vel luminis quod est in Synteresi, et applicationem esse Actum, respondeo, Conscientia vocem, ut ex antedictis patet, sumi quandoque effective, pro aliquo actu suo, sicut et Scientiae vox pro actuali consideratione, improprie tamen. Sed proprie loquendo applicatio scientiae non est ipsa Conscientia, sed ejus actus, sicut consideratio non est ipsa scientia, sed ejus actus. Non est ergo Conscientia Actus.

15. Relinquitur ergo quod aut Potentia sit aut Habitus; nam quod non sit Forma, nempe Anima ipsa, sed aliquid ejus, apud

§. 14.
De Conscientiae Genere. Opinio prima, quod sit Actus, rejicitur.

^f Aestimare conscientiam mentis suae. Cicero pro Cluentio, [58.]

^g Aquinas, Prim. Quaest. lxxix. Artic. 13.

§. 15.
Opinio Secunda, quod

sit Potentia :

omnes in confesso est. Neotericorum non pauci Potentiam esse contendunt, negant esse Habitum. Quod sit Potentia, probant, primo, quia est quaedam quasi memoria, quum ad Conscientiam respiciat intellectus cogitans de agibilibus, sicut respicit ad Memoriam, cogitans de speculabilibus, et Memoria est Potentia non Habitus. Secundo, quia Potentia est illud per quod agens est primo potens ad agendum. Per Conscientiam autem homo est potens dictare quid sibi sit faciendum, et approbare vel improbare quod est a se factum, idque primo, quia posita Conscientia potest ista omnia facere, sublata non potest. Tertio, quia contradistinguitur Potentiae, Tit. i. 15, ubi *νοῦς* et *συνείδησις*, *Mens* et *Conscientia*,* aperte ponuntur ut oppositae species: proinde necesse est (ea enim lex est contrariarum specierum) ut idem sit utriusque genus; *νοῦς* autem potentia est, ergo et *συνείδησις*. Probant etiam ex abundantia, quod Conscientia non sit Habitus, tum quia videtur esse tam naturale homini, quam voluntas et affectus, tum quia reperitur in omnibus, etiam puerulis et infantibus, naturae quodam instinctu, qui tamen non videntur esse capaces habituum.

§. 16.
quae etiam
improbatur.

16. Diversam tamen sententiam tuentur Scotus, Durandus, et alii nonnulli e subtilioribus Scholasticis, quod scilicet Conscientia sit Habitus. Et nititur sane eorum sententia rationibus non contemnendis. Prima, quia Conscientia est scientia quaedam, unde ei attribuuntur iidem ipsi Actus, Scire, Nescire, &c. Ut Eccl. vii. 22. *Scit conscientia tua*; Gen. xliii. 22. *Nescimus, quis reposuerit pecuniam nostram in saccis nostris*; ubi Vulgatus habet, *Non est in conscientia nostra. Nihil mihi conscius sum*, inquit Paulus, 1 Cor. iv. 4. id est, non scio me aliqua ex parte defuisse officio meo. Atqui Scientia est Habitus, proinde et Conscientia. Altera, quia ex recta institutione et nova informatione, vel illuminatione Conscientiae, homo fit habilis ad aliquid agendum, ad quod non fuit ante habilis; sed accedente ejusmodi institutione vel informatione, certum est non ingenerari animae novam Potentiam, sed novum potius Habitum. Unde sequitur Conscientiam Habitum potius dicendam esse quam Potentiam. Tertia, quia a meris Potentiis nemo denominatur moraliter bonus aut malus, sed abs Habitibus; nec propter eas laudatur quis vel vituperatur, sed propter hos; at dicuntur

* Taylor, chap. i. art. 9, in like distinction between Mind and Conscience. WHEWELL.

homines boni aut mali, laudanturque et vituperantur, pro qualitate Conscientiarum: ergo Conscientia est Habitus. Quarta, quod Potentiarum non est, sed Habituum, acquiri, assumi, deponi, amitti; sed homines dicuntur acquirere et amittere, assumere et deponere Conscientiam. Conscientia, igitur, non est Potentia, sed Habitus.

17. Statuo itaque Conscientiam proprie, formaliter, et praedicatione recta esse Habituum: dici nihilominus posse eandem et Potentiam, idque duplici ratione. Tum materialiter, quia inest Potentiae, ut subjecto ἐν φ; tum per approximationem, quia est Habitus innatus, et Habitus innatus, in quantum medio quodam modo se habet inter Habituum acquisitum et puram Potentiam, utriuslibet nomen induere potest, ut solent media participare de utroque extremo. Hinc est quod Conscientia reperitur in parvulis, qui non sunt capaces Habituum acquisitorum. Neque necesse est ut νοῦς et συνείδησις, Tit. i. [15.] contradistinguantur ut nudae Potentiae: immo aptius videtur sumi ibi utramque vocem synechdochice: Νοῦν scilicet pro intellectu speculativo cum omnibus suis pertinentiis, ut loquuntur; et Συνείδησιον pro intellectu practico cum omnibus suis pertinentiis, i. e. cum omnibus facultatibus, habitibus, actibus; et quae ad eorum alterutrum pertinent respective.

§. 17.
Opinio
tertia, quod
sit Habitus
innatus,

18. Apposui itaque in Conscientiae Definitione et facultatis vocabulum, quod mihi videbatur aliquo modo commune esse Potentiis et Habitibus, et est ad significandum Habitus innatos valde accommodum. Dicetis fortassis, omnem Habituum esse crebris actibus acquisitum, adeoque hoc ita pertinere ad essentiam Habitus, ut eo maxime, velut specifica sua differentia, dignoscendi sint Habitus a Potentiis nimirum, quod illi acquisiti sint, hae naturales: proinde, nisi quis velit secum pugnantia proloqui, et admittere meram contradictionem in adjecto, non debere Conscientiam dici Habituum innatum. Respondeo, omnino fatendum esse omnes quoscumque Habitus et esse et dici debere acquisitos, etiam eos qui videntur esse maxime naturales; eo saltē quod sensuum adminiculo, et multis actionibus sensibilibus praeviis indigeant, ad hoc ut species rerum sensibilibus, quarum respectu anima ex se est instar tabulae rasae, deferantur ad phantasiam, et tandem fiant intelligibiles. Hoc tamen non obstante posse quosdam Habitus dici, idque optima ratione, innatos, in quantum ex innato sibi lumine mens statim praebet

§. 18.
sive Facul-
tas, sta-
tuitur,

assensum rei propositae sine ulla formidine oppositi, supposita duntaxat apprehensione terminorum, nec indiget ad eliciendum ejusmodi assensum adminiculo aut interni studii aut externae institutionis. Exempli gratia, Habitus intellectivus hujus principii, ‘Omne totum est majus qualibet sui parte,’ est Habitus innatus; quatenus vi luminis naturalis ex sola apprehensione terminorum veritas ipsius ultro occurrit menti, nullo licet adhibito vel studio vel doctore. Est tamen idem Habitus acquisitus, in quantum opus est adminiculo sensuum, ad hoc, ut quis ex crebris actionibus circa res sensibiles perveniat ad notitiam terminorum: hoc est, ad percipiendum τὸ quid nominis Totius et Partis.

§. 19.
et explica-
tur.

19. Si adhuc dicatur, Conscientiam Habitum innatum esse non posse, quia quae innata sunt non sunt capacia erroris, nec possunt esse vitiosa, suntque eadem in omnibus quibus insunt, Conscientia autem et errare potest, et esse mala, nec est in omnibus eadem; respondeo, ex his sequi quidem Conscientiam non esse Habitum simpliciter innatum, quod nemo sanus dixerit, repugnat enim naturae, Habitus ut sit mere naturalis et innatus; sed ut partim, eo quo jam dictum est sensu, innatum, sic partim etiam acquisitum. Nimirum sic se res habet. Apportat secum anima hominis quaedam quasi semina cognitionis* boni et mali, quae studio et institutione adolescunt et perficiuntur: sicut naturalis agilitas complectur exercitatione, et naturalis Logica artificiali. Conscientia ergo respectu moralium agibilium, quae sunt de primo dictamine naturae, ut Scholastici fere loquuntur, et sunt ejus objecta primaria, est Habitus naturalis, sive innatus, et proinde omnibus pariter inest, et semper rectus est sine aliquo aut errore aut vitio; sed respectu eorum quae postea addiscuntur, et primis illis principiis ἀπορίτοις accedunt, sive ex propria meditatione, sive ex aliena institutione, est Habitus acquisitus, et potest errore, aliove defectu aut vitio, laborare.

§. 20.

20. Sed de Genere plus satis: reliqua percurram brevius. Secundum Definitionis membrum est Subjectum; idque duplex, Subjectum scilicet οὐ, et Subjectum ἐν φ. Subjectum οὐ est homo, seu potius creatura rationalis, siquidem accurate loqui

* ‘Seminaria cognitiva,’ in the Author to be thus altered at the First Edition, and directed by the end of the volume.

velimus. Nam et Angelis inesse Conscientiam defectionis suae, et poenarum quas eo nomine sunt daturi, indicio est, quod se sciunt torquendos, et quod credentes Revelationi Divinae con-^{S. Matt. viii. 9.} tremiscunt tamen; item quod judicandi sunt in adventu Domini, ^{S. Jac. xi. 19.} et rationem reddituri rerum omnium a se factarum. Sed ^{I Cor. vi. 3.} quoniam nec nostra multum interest nosse naturam mentium Angelicarum, et Deo Sapientissimo visum est eam parcissime in Scripturis revelare, de solo homine propterea Definitionem institui. In brutis enim animalibus etsi appareat Conscientiae quaedam velut umbra, sicut et Rationis, quum faciant nonnulla quae habere videntur speciem quandam aequitatis et prudentiae, ut sunt sane admiranda quae de elephantorum, apum, canum, aliorumque quorundam animalium solertia narrantur, sunt tamen ista omnia Phantasiae opera, non Rationis; et ab instinctu naturali proficiscuntur, non a Conscientia. Est ergo homo proprium Conscientiae subjectum, ut et Rationis; isque omnis, non exclusis aut Ethnicis, aut impiis, aut ipsis etiam infantibus. De Ethnicis aperte pronunciat Paulus, Rom. ii. 15, ostendere eos *opus Legis scriptum in cordibus, testimonium etiam perhibente ipsorum Conscientia*. Quin et impurissimis quibusque Conscientiam inesse, etsi impuram, testatur idem Paulus, Tit. i. 15. Lapsu enim amissa est Conscientiae rectitudo et integritas, non natura. Et quum renascimur, non infunditur de novo, quae defuit ante, Conscientia; sed quae prius inerat, foeda peccatis atque impura, respersa jam sanguine Christi, fide purificatur, ita ut placeat Deo. Etiam in infantibus admodum ^{Ps. viii. 2.} parvulis, ut in lactentibus magnificetur Dei nomen, emicat cum primis e veteris incendii ruderibus, et, quamvis admodum debiliter, spargit tamen utcumque igniculos suos Rationis haec scintillula: prodente se praemature in iis Conscientiae vi, qui, siquid commiserint inhonesti, latere quaerunt et commissum celare.

21. Subjectum ἐν φ, i. e. Potentia animae, in qua sedem ^{§. 21.} suam habet Conscientia, est Intellectus practicus. Intellectus, inquam, non Voluntas, isque non speculativus, sed practicus. Agitur et haec controversia inter Scholasticos, pertineatne Conscientia ad Intellectum, an ad Voluntatem, an ad utramque. Nolo me huic liti immiscere. Satis hactenus superque habuistis spinosarum subtilitatum. Paucis itaque quod instituto meo expediat, expediam. Partis intellectivae tres distinctas

Potentias enumerat Aristoteles, libro de Anima tertio:* duas scilicet cognitivas, Intellectum speculativum, et Intellectum practicum; et tertiam appetitivam, Voluntatem. Harum trium extremae sunt Intellectus speculativus, qui speculatur Verum quatenus Verum, et in eo acquiescit praecise, sine aliquo ordine aut respectu ad opus; et Voluntas, quae praecise tendit ad operationem, nec omnino speculatur quicquam. Inter utramque hanc Potentiam, velut in medio, situs est Intellectus practicus, qui, pro more rerum mediarum, cum utraque extrema ex aliqua parte concordat, ex aliqua ab ea discrepat. Concordat Intellectus practicus cum speculativo in hoc, quod speculatur Veritatem; cum Voluntate in hoc, quod tendit in operationem. Quod ad Conscientiam attinet, illud imprimis certum est non pertinere eam ad Intellectum speculativum, quia scientiam suam omnino dirigit ad praxin. Nec proprie pertinet ad Voluntatem, quia si hoc esset, vel per modum Potentiae ei inesset, et sic esset idem quod liberum Arbitrium, vel per modum habitus, et sic esset aliqua Virtutum moralium, quorum neutram a quoquam vel Theologo vel Philosopho asertum unquam aut admissum fuisse animadverti. Pertinet ergo omnino ad Potentiam cognitivam practicam, hoc est ad Intellectum practicum. Quemadmodum Aristoteles, postquam virtutes morales statuisset in Potentia appetitiva, Habitus tamen artis et prudentiae, etsi ordinentur ad praxin, collocavit nihilominus in Potentia cognitiva, libro Ethicorum quinto.† Firmant hanc sententiam et ista, quod Conscientia sit quaedam scientia, et scientia omnis est in Intellectu; quod capax sit erroris, et error est morbus Intellectus; quod ex communi usu loquendi, qui intelligit tantum arcana Regis, sive ea approbet sive non, recte tamen dicitur conscius secretorum ejus. Ergo Conscientiae propria sedes et Subjectum in anima humana est potentia cognitiva practica, h. e. Intellectus Practicus.

22. Vidimus Genus et Subjectum. Sequitur Objectum, id scilicet circa quod versatur Conscientia. Et hi sunt Actus morales particulares proprii. Dico, primo, Actus; i. e. aliquid ab homine operabile qua homo est, sive creatura rationalis: sive id spectetur ut futurum et ab ipso faciendum, sive ut praeteritum et jam factum, sive ut praesens et in ipso fieri. Conscientia

§. 22, 23.
Conscientiae Ob-
jectum.

* Chap. 10, at the beginning.

† ? Sexto. chapp. 4 and 5.

undique oculata est, omnia rimatur. Prospicit futura : si quid turpe facturus es, monet ne facias. Aspicit praesentia ; et in ipso peccandi actu obmurmurat, vellit, mordet, pungit, tundit, ut desistas porro. Respicit praeterita ; et ubi peccaveris, arguit, objicit, accusat, damnat, torquet. Contra, ut bene facias hortatur : dum facis, mulcet, excitat, erigit : ubi feceris, laudat, defendit, gaudio et pace perfundit pectus. Dico, secundo, Actus particulares, non limitando Subjectum, quasi essent aliqui Actus non particulares ; sed opposite ad scientiam illam quam Conscientia supponit et applicat, quae scientia, quum sit universalis, applicatur tamen ad Actus particulares. Dico, tertio, Actus particulares proprii, ut hinc excludatur illa Conscientiae significatio, qua latius accepta, et ad alienas actiones extenditur : ut quum dicitur conscius arcanorum Regis, conscius conjurationis Catilinae, et similia, quae non sunt nostri instituti, qui de Conscientia proprie dicta loquimur, quae est circa agibilia, quatenus a se facta vel facienda. Dico, quarto, Actus morales. Ubi observandum quaedam evenire ex necessitate, quaedam contingenter. Ex necessitate, ut ortum et occasum Solis, eclipsin Lunae, &c. De quibus est quidem scientia, ob eorum certitudinem ; caeterum non omnino pertinent aut ad Conscientiam, aut ad liberum Arbitrium. Quae contingenter eveniunt, ea aut sunt τῶν ἐφ' ἡμῶν, i. e. in nostra potestate, aut non sunt. Quae non sunt in nostra potestate, ut avium volatus, coorta subito tempestas, &c. Nec sub scientiam cadunt propter incertitudinem ; nec, quia extra potestatem nostram posita sunt, ad curam nostram pertinent, ut de eis quicquam aut Conscientia statuatur, aut Arbitrium eligat. Rursus τῶν ἐφ' ἡμῶν, eorum quae in nostra potestate sunt, quaedam sunt moraliter neutra et ἀδιάφορα, hoc est, quae neque de genere suo, neque ratione alicujus permanentis circumstantiae continent in se aliquam bonitatem aut malitiam moralem, ut ire in forum, scribere epistolam, &c. Et ista quidem pertinere possunt ad liberum Arbitrium, si saltem digna sint de quibus deliberetur, quia cadere possunt sub electionem ; sed non pertinent per se ad Conscientiam. Dico per se, quia fieri potest per accidens, ratione scandali aut alterius alicujus circumstantiae, ut de his etiam cognoscat Conscientia. Alia vero sunt moraliter bona vel mala, ut Deum colere, parentes honorare, depositum reddere, pauperem opprimere, aliena rapere, fidem fallere vel

servare, et caetera omnia quae Philosophi *ἐπιεικῆ* vel *ψεκτά*, laude aut vituperio digna, Scholastici meritoria et demeritoria solent appellare. Et circa haec proprie versatur Conscientia.

§. 23. 23. Objectum ergo Conscientiae humanae est Operabile Morale, factum vel faciendum, omissum vel omittendum. Advertendum tamen est, hominibus Christianis, qua talibus, objectum Conscientiae aliquanto ulterius extendi: ut non solum obligetur quis* in conscientia ad agenda quae sui sunt officii, quatenus homo est, sed et ad credenda mysteria Fidei in Verbo Dei revelata, quatenus homo Christianus est. Nam et Infidelitas impuram reddit Conscientiam, Tit. i. 15, quam purificat et emundat fides, Act. xv. 9; et remordet Conscientia tam eum qui contemnit quae in Baptismo vovit se crediturum, quam eum qui mandata Dei violat quae promisit se servaturum. Etsi fortassis haud incommode dici posset, Fidem etiam ipsam Evangelicam inter Operabilia Moralia censendam esse. Ita enim ipse Servator Christus disertissimis verbis. *Hoc est opus Dei ut credatis in Filium, &c.* Joh. vi. 29. Et Johannes Apostolus similiter, *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in Nomine Filii sui Jesu Christi, et diligamus, sicut Ipse mandavit nobis.* 1 Joh. iii. 23.

§. 24-26. 24. Restat ultimum Definitionis membrum, proprius scilicet Conscientiae Actus: Applicatio nempe Luminis quod est in Primarius; mente per discursum Rationis ad Actus particulares. Dico, primo, Actum Conscientiae proprium et primarium esse applicationem. Tritum est in Scholis Axioma, Unius Habitus unicum tantum esse Actum; primarium scilicet et palmarium, et ad quem reliqui omnes Actus eo pertinentes reduci possunt. Ut ex antedictis satis constat, multi sunt Actus Conscientiae in specie; sed quisnam sit ille Actus communissimus, qui reliquos omnes infra ambitum suum complectatur, id potissimum inquirendum est; quia non debet ingredi definitionem Habitus, nisi unicus ille primarius Actus, qui est Habitu adaequatus, et ad quem caeteri ejus Actus universi reducantur. Hunc nonnulli, quum viderent plerosque illorum Actuum quos exercet Conscientia ad Actum judicandi aliquo modo referri posse (judicat enim Conscientia de factis praesentibus, praeteritis, et futuris)

* The insertion of the word 'quis' in the first Edition; but it never was directed among the Emendations given at the end of the Work obtained its place in the Text.

censuerunt esse Actum judicandi. Sed enim sunt aliqui Conscientiae Actus, qui non nisi dure admodum et coacte eo referri posse videntur: ut, exempli gratia, Actus ille quo Conscientia rei factae vel omissae testimonium praestat: non est enim, aut Judicis de facto testari, aut Testis de crimine judicare. Quid quod iste judicandi Actus applicandi Actum necessario supponit, ut se anteriorem: applicet enim prius necesse est Conscientia factum de quo judicatum it lumini mentis, quam possit de ipso iudicium facere. Et est applicandi Actus ei quam jam diximus vocis notationi valde consentaneus, Conscientiam scilicet ideo dictam quod sit scientiae ad scientiam applicatio.

25. Dico, Secundo, hanc applicationem esse Luminis quod est in mente, hoc est, Luminis, pro eo tempore quo sit applicatio, menti praesentis. Sive sit illud Lumen Naturae, communes scilicet notiones et ipsius Naturae dictamine cordibus humanis inscriptae, et in Synteresi conservatae, velut titio ereptus e communi incendio, et reliquiae imaginis Dei post Lapsum: sive Lumen Divinae Revelationis, extraordinariae, per visiones, somnia, prophetias, &c; vel ordinariae, quicquid scilicet Deus humano generi patefecit in libris Sacris Veteris et Novi Testamenti; sive denique Lumen Rationis;* quicquid nimirum ex utriusque generis principiis, Lege scilicet Naturae, et Revelatione Divina, sic immediate et evidenter deducitur, ut nemini fas sit, qui illa saltem concesserit, de his dubitare.

§. 25.

26. Dico, Tertio, applicari hoc lumen per discursum Rationis. Lumen enim illud quod applicandum est, cum sit universale quid, et id ad quod applicandum est, Actus particulares sive singulares, non potest fieri talis applicatio, nisi ejusmodi mediante discursu qui universalia singularibus connectere valeat. Et hoc est opus Rationis, per ejusmodi syllogismum aut syllogismos practicos, quales jam ante exhibuimus. Porro, ut dici solet, et docet id ipsum experientia, descendendo fere contingit errare,^h facillime potest in hoc discursu irrepere alicubi error. Unde fit, ut licet non facile erretur circa prima et universalia

§. 26.

* Compare the Fourth Praelection, §§. 12, 35, 36.

^h οἱ τὸ καθόλου θεωροῦντες [πολλάκις] ἐν τῶν καθ' ἕκαστον οὐκ

ἴσασι δι' ἀνεπισκεψίαν. Aristot. [Analyt.] Poster. i. [13. 8. Compare Sermon v. ad Aulam, §. 11. and Sermon xii. ad Aulam, §. 17.]

Principiaⁱ quae majorem habent evidentiam, in illis tamen Principiis applicandis et deducendis inde conclusionibus saepissime erretur. Quo majore opus est attentione et cautela, ne ipsi nosmet decipiamus, ut in hoc discursu omnia diligentissime expendantur, ut legitime procedatur, ut debite concludatur.

§. 27.
et Secun-
dari.

27. Dico, Quarto, Applicationem hanc fieri oportere ad Actus particulares. Id quod tribus omnino modis fieri contingit. Applicat enim Conscientia Lumen mentis quod sibi adest vel ad facta, vel ad facienda. Ad facta, dupliciter. Primo, ferendo testimonium hoc a nobis factum esse vel non factum esse: quales sunt istae Rhetorum formulae, in quaestione facti, Occidistine matrem, Orestes? Conscientia respondet, Occidi. Secundo, ferendo judicium, quod factum est vel omissum, bene sit an male factum, rectene sit an perperam omissum; ut in quaestione Juris apud Rhetoras, ubi de facto constat. Occidistine Clodium Milo? Occidi. Fateris ergo te sontem?* Jure occidi. In prima applicatione procedit Conscientia per modum Testis, in secunda per modum Judicis. Officia autem et actus ejus sunt in primo processu testimonium perhibere, in secundo processu arguere, accusare, excusare, defendere, condemnare, absolvere. Unde oriuntur porro in anima varii effectus: a redarguente, accusante, condemnante Conscientia summa animi tristitia et inquietudo, remorsus, terrores, tormenta: e contra ab excusante, defendente, et absolvente, summa animi pax et tranquillitas, gaudium et solatium ineffabile, spes erecta, fiducia intrepida, et inconcussa mentis constantia. Tertia Conscientiae applicatio respicit futura facienda, in qua procedit Conscientia per modum Legislatoris, Praeceptoris, Monitoris, aut Consiliarii. Et in isto processu, ejus actus et officia sunt dicere, obligare, instigare, retrahere. Hi sunt praecipui Conscientiae Actus, cujus vocem recta monentis qui audierit, nec Testem ipsam multum reformidabit, nec Judicem.

§. 28.
Definiendo
pleraque
obscurari
magis,
quam illus-
trari.

28. Absolvi tandem, quae de Conscientiae Natura videbantur mihi dictu necessaria. Prolixius vereor, certe obscurius, quam aut voluissem aut debuissim, si res aliter tulisset; aut quam facturum me spero, in futuris, si Deus voluerit, de Conscientiae usu Praelectionibus. Sed profecto intricata est et

ⁱ τῆς ἀν θύρας ἀμάτροι; Aristotel. Metaph. [Minor. i. 1. 2.]

derson, for 'reum' as it stood in the first Edition.

* 'sontem,' so corrected, by San-

perplexa omnis, quod viri gravissimi jam olim conquesti sunt, de animae intellectivæ potentiis et facultatibus disputatio: tum quia res ipsæ sunt a materia et motu sensibili paulo remotiores, et notiora sunt nobis quæ sensui, unde plurima nostra cognitio oritur, propinquiora; tum etiam ob mutuam inter se connexionem cognitionemque. At rem manifestam, et vulgo notam, quæ est in quotidiano usu et in omnium ore, cujusque vim et motus nemo est qui non sentiat, definiendo non tam illustrasti, inquietis, quam obscurasti. Equidem nihil hinc diffindere possum: nimirum, sic sunt inanes nostræ hominum cogitationes omnes, et universi conatus. Quæ sunt ante pedes et oculos, quæ in sensus et animos incurrunt, quæ sunt lippis et tonsoribus haud ignota, quæ capere se putant, et quidem suo modo capiunt illiteratissimi quique homunciones, hæc ipsa non capiunt acutissimi Philosophi: ^k in his vel subtilissimis ingeniis aqua haeret. Tempus, Locus, Motus, id genus plurima, quid sibi velint, et quid sint, quotusquisque est hominum rusticorum qui non existimet se perfectissime intelligere? In quorum natura indaganda, eruenda, explicanda, Doctores profundi, subtiles, Angelici, Seraphici, per multa retro sæcula velut in palaestra se exercuerunt, exercentque etiamnum, nec poterunt hactenus post tantum sudoris et pulveris optatam metam contingere. ‘In tempore sum, et de tempore loquor, et tamen nescio quid sit tempus,’ inquit Augustinus initio libri de Tempore.* Qua in re nequeo satis admirari Dei Optimi Maximi infinitam sapientiam, retudentis hoc pacto humanam superbiam, et repræsentantis mortalibus velut in speculo inanem illam *δοκησισοφίαν*, qua sibi *videntur aliquid esse, cum nihil* Gal. vi. 3. *sint*, misere decipientes cor suum. Ut scilicet discant homunciones metiri se modulo ac pede suo,¹ nec *sapere ultra quam* Rom. xii. 3. *par est, sed sapere ad sobrietatem*, agnoscentes insipientiam suam, ut Deo integra constet sapientiæ suæ gloria.

^k Odi ego, inquit, definire.—Faci-
lius est mihi videre in alterius de-
finitione quid non probem, quam
quidquam bene definiendo explicare.
Augustin. de Ordine, ii. 2. [tom. i.
330 D. ed. Ben. Paris. 1679.]

* ? Confessions. XL. xxv. 32. Et
confiteor tibi, Domine, adhuc igno-
rare me quid sit tempus; et rursus

confiteor tibi, Domine, scire me in
tempore ista dicere, et diu me jam
loqui de tempore, atque id ipsum
diu non esse diu nisi mora tem-
poris. Compare XI. xiv. 17. Quid
est ergo tempus? Si nemo ex me
quaerat, scio: si quaerenti explicare
velim nescio.

¹ Horat. I. Epist. vii. [98.]

PRAELECTIO SECUNDA.

IN QUA OSTENDITUR, NON ESSE IN BONAE INTENTIONIS CONSCIENTIA SATIS PRAESIDIUM, UT IN EA POSSIT ALIQUIS TUTO ACQUIESCERE.

ROM. III. 8.

Et non sicut blasphemamur, et sicut quidam aiunt nos dicere, Faciamus mala, ut eveniant bona: quorum damnatio iusta est.

§§. 1, 2.
Conscientiae Re-
spectus du-
plex.

MENTEM humanam aliquid in se Divini continere magno consensu fassi sunt Veterum Sapientes,* qui eam ‘divinae particulae aurae,’^a Θεοῦ ἀποσπασμάτιον καὶ ἀπαύγασμα,^b ‘decerptosque ab Diis immortalibus animos nostros et quasi delibatos,’† dixerunt. Quin et altius ipsorum nonnulli assurgentes, et audacius prolocuti Mentem Deum ipsum dicere,‡ eique velut Deo templa erigere,^c non sunt veriti. ‘Ο νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός,^d inquit, apud Plutarchum, Menander: et Ovidius, ‘Mens quoque numen habet:’^e et Seneca, ‘Quid aliud voces hunc, [animum,] quam Deum in humano corpore hospitantem?’^f Quorum

* ‘Veterum Sapientes.’ Jer. Taylor, in his *Ductor Dubitantium*, chap. i, has borrowed several of the quotations and illustrations which Sanderson here uses, . . . and adds other quotations. Taylor also discusses the question how far Conscience resides in the Understanding, the Memory, and the Will, respectively; but, it appears to me, less lucidly than Sanderson. Taylor gives the same view of Conscience with which Sanderson sums up this Chapter: that Conscience is placed in a middle position between God and man; below God, as His Minister; above man, as his Mistress. WHEWELL.

^a Horat. II. Sat. ii. [79.]

^b Epictetus. [Αἱ ψυχὰὶ μὲν οὕτως

εἰσὶν ἐνδεδεμέναὶ καὶ συναφείς τῷ Θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια ὄσσαι καὶ ἀποσπάσματα. Dissert. I. xiv. 6. ed. Schweighaeuser, who in his Note compares I. i. 12. and II. viii. 11. See Sermon viii. ad Aulam, §. 18.]

† Cicero, Tusc. Quaest. v. 38. de Senect. 78. de Divin. i. 110.

‡ ‘dicere . . . erigere.’ In the first Edition, ‘dixisse . . . erexisse.’

^c Menti aedes in Capitolio. Vid. Cicero, de Nat. Deor. ii. [23. iii. 18.] et Liv. lib. xxiii. [31. Cf. xxii. 10.]

^d Plutarch. in Quaest. Platon. [999 E.]

^e Ovid. Fast. vi. [241.]

^f Seneca, Epist. 31. Ψυχὴ ἐκάστου δαίμων. Xenocrat. ap. Aristot. Top. ii. 6. [2.]

ut illi, animae magis *οὐσίαν* et substantiam, quae quum sit expers materiae et molis, immunis a corruptione et morte, intelligentiaque et arbitrii libertate praedita, ad Deorum immortalium propius quam corporearum rerum naturam visa est accedere: sic isti, ejusdem vim illam et *δύναμιν ἐνεργητικὴν*, quam Conscientiam dicimus, § spectasse potissimum videntur. Hinc illud ejusdem Menandri, *Βροτοῖς ἅπανιν ἡ συνελθῆσις θεός.** Mortalibus sua cuique Conscientia Deus est. Quo nimirum sensu dixit Dominus se constituisse Mosen Deum Pharaoni; Exod. vii. 1. quod scilicet is Pharaoni voluntatem Dei subinde inculcaret, ad eam faciendam Pharaonem instigaret, non obsequentem continentibus plagis insectaretur: eodem fere sensu dici poterit, eundem quoque constituisse in Deum unicuique hominum singularium propriam Conscientiam. Quae scilicet, ipsius vice, velut praeco Legis aeternae, quae essent ipsi facienda fugiendave dictaret, ad ea quae oportet praestanda sedulo impelleret, recte aut secus factorum rationem exposceret, extorqueret a sceleratissimis quibusque Justitiae Divinae agnitionem, praemia singulis poenasque, prout commeriti fuerint, ut iudex aequissimus et decerneret et tribueret. Is enim est status naturalis Conscientiae ut medio quodam inter utrumque loco sit posita, infra Deum quidem, at supra hominem: Deo subdita ut ministra, homini praeposita ut Domina.

2. Unde exurgit Conscientiae duplex respectus; perinde ut in aliis rebus omnibus contingit quae sunt in aliquo ordine dispositae secundum sub et supra; in quibus quae medium occupant locum geminum habent respectum, alterum ad superiora quibus subsunt, ad inferiora quae sub ipsis posita sunt alterum. Ut Centurio et Tribuno paret, et gregario militi imperat: *Ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites*, S. Matt. viii. 9. Et in Serie Praedicamentali, quae inter genus summum et speciem infimam interjecta sunt, sunt eadem et genera specierum de quibus praedicantur, et species generum quibus subjiciuntur. Recipit utique et Conscientia, prout ad diversa refertur, diversam conditionem. Habet enim rationem et Regulati, et Regulantis: respectu Dei et Divinae Legis, rationem Regulati: respectu hominis et humanarum

§. 2.

§ [Cum vero jurato sententia dicenda sit,] meminerit, Deum se adhibere testem, id est, ut arbitror, mentem suam. Cicero, Offic. iii. [44.]

* Sentent. Supplem. ex Aldo, 654. Meineke, iv. p. 358.

actionum, rationem Regulantis. Quum itaque nobis propositum sit, Conscientiae, quam nuperrime definivimus, usum, praesertim quod ad res agendas attinet, estque ad vitae morumque institutionem accommodum, explicare, instituti nostri ratio postulat ut de utraque Conscientiae obligatione, quae nobis usui esse poterunt dicamus: Passiva scilicet illa, qua obligatur conformare se Voluntati Divinae, cui ut normae subest; et Activa, qua obligat ad sui conformitatem omnes actus humanos, quibus ut norma praeest. Sunt ergo institutae tractationis partes duae: prior, de Conscientiae Subjectione, sive Obligatione Passiva: posterior, de Conscientiae Potestate, sive Obligatione Activa.

§. 3.
Regulae
Conscien-
tiae fallaces
et decepto-
riae.

3. De quarum priore ut legitima instituaturs disputatio, illud imprimis praemittendum est, quum rectitudo cujusque rei consistat in conformitate sua ad regulam suam proximam et immediatam, atque ita deinceps usque ad summam et primam regulam; quumque immediata Conscientiae regula sive lex sit recta Ratio, Legi tamen superiori quam Deus ei praestituit subdita, Conscientiam tum demum dici rectam, quum conformis est rectae Rationi juxta eam Legem quam Deus, supremus Legislator, ei praestituit, pro conditione illius actus sive operis, quodcumque tandem illud fuerit, circa quod pro tempore versatur. Ultima proinde resolutio Conscientiae est in Legem aliquam rationali creaturae a Deo impositam: ut qui solus est Conscientiae Dominus et supremus Legislator; qui eam homini indidit, qui ejus solus cognitor est et judex; qui solus potestatem habet animam, prout Legem ipsius servaverit aut violaverit, servandi et perdendi, juxta illud, S. Jac. iv. 12. *Unus est Legislator qui potest servare et perdere.* Id quod apud omnes, quotquot uspiam sunt hominum, adeo in confesso est, ut non facile reperiaturs qui id ipsum in thesi non ultro largiaturs esse verissimum. Ast in hypothesi, ubi quid agendum est, nescio qua cordis humani pravitate fieri solet, ut plerique mortalium, etiam eorum qui nec sibi videnturs nec aliis omnem prorsus Conscientiae curam abjecisse, tam pronis affectibus ad ea feranturs quae facta cupiunt, ut ea non ad unicum illam supremam regulam fideliter exigenda adducant, quae tamen sola potest securam praestare Conscientiam; sed satis esse ducant ad Conscientiae suae securitatem, si aut bonae intentionis praetextu, aut sancti viri exemplo, aut alicujus magni nominis

Theologi auctoritate, se factaque sua quoquo modo tueri poterint. Quæ cordis humani deceptio, quum et omnibus saeculis nimium invaluerit, et novissimis hisce temporibus vel maxime, rem utilissimam me facturum judicavi, et his quibus nunc vivitur moribus pernecessariam, si tres istas vulgatissimas *προφάσεις*, a quibus tot Conscientiis periculosissime illuditur, de medio sublaturam irem. Est ergo ante ostendendum, quam ad indagandam veram et propriam Conscientiæ Regulam descendatur, non esse in re aliqua facienda ad Conscientiæ securitatem satis praesidii, si id quod fit aut bona Intentione fiat, aut viri alicujus nitatur vel pii exemplo, vel docti iudicio. De reliquis duabus, si Deus concesserit, posthac videbitur: de ea quae primo loco occurrit, bona scilicet Intentione, nunc agendum.

4. Ubi pono hanc conclusionem. Ad bonitatem Actus non sufficit bonitas Intentionis. Hoc est, Intentio bona non potest sola et per se efficere, ut Actus aliquis humanus sit moraliter bonus: vel, quod idem est, et sunt ipsissima Apostoli verba, *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Actum quum dico, intelligo tum interiorem Actum qui est in Voluntate, tum exteriores omnes inde profluentes qui sunt in facultatibus executivis: ut sit sensus, ex sola bona Intentione non sequi, aut voluntatem ipsam, quae est primum principium agendi, aut opus aliquod externum inde dimanans, dicenda esse bona. Intentio autem quum dupliciter sumatur, primo proprie et formaliter pro Actu intendendi, i. e. pro motu voluntatis tendentis in finem per aliqua media; secundo materialiter et objective, pro re ipsa intenta, id est pro fine in quem sic tendit voluntas, utramque intelligo in conclusione. Actus enim intendendi et finis intentus pariter se habent ad bonitatem et malitiam Actus, saltem quod ad qualitatem ipsius Actus pertinet; nam quantitatem bonitatis aut malitiae si spectemus, non est per omnia eadem utriusque ratio. Posito enim quod aliquis Actus sit de specie sua et ratione objecti bonus, et quod fiat etiam in bonum finem; vel e contra posito quod sit malus, et fiat etiam in malum finem, quanto fortius movetur voluntas dum ad illum finem tendit, tanto erit ille Actus, respective, vel melior vel deterior. Ut si quis Sacrae Coenae participaret, eo fine ut mortis Christi recordaretur, quo fortius mortis Christi memoriam intenderet, eo melius actum illum Eucharisticum praestaret. Et si quis

§. 4.
Ad bonitatem Actus non sufficere bonam Intentionem,
[Rom. iii. 8.]

proximo calumniam faceret intendens ipsius perniciem, quo fortius hanc intenderet, eo peior esset calumniandi Actus. Correspondet ergo et commensuratur quantitas boni vel mali Actus quantitati bonae vel malae Intentionis, si attendatur Intentio quantum ad Actum intendendi, non autem si attendatur quantum ad rem intentam. Neutro tamen modo sumpta Intentio sufficit ad hoc, ut Actus aliquis aliunde malus fiat bonus.

§. 5.
probatur,
primo, ex
ipsis Apo-
stoli verbis.

5. Probatur autem haec Conclusio multis et firmissimis argumentis. Primo, ex verbis Sacri Textus, Rom. iii, in quibus Apostolus non sine aliqua indignationis specie rejicit iniquam illam calumniam, qua docuisse dicebatur facienda esse mala ut eveniant bona. Cujus loci scopus, vis, et ratio, ut melius intelligatur, animadvertendum est inter Apostolos Domini Paulum vel maxime copiosum esse in asserenda passim gratuita Dei misericordia, ineuntis cum hominibus peccatoribus gratiae foedus, et promissiones Evangelicas fideliter adimplentis, non obstante illa, quae intus in corde latet, et in vita quotidiana palam et abunde se prodit, humana injustitia et incredulitate. Quas tamen tantum abesse profitetur, ut irritas faciant* gratuitas Dei promissiones, ut e contra longe potius illustriorem reddiderint gratiae et veritatis ipsius gloriam: siquidem *ubi abundavit delictum, ibi constat superabundasse et gratiam*. Arripuerunt hinc calumniandi ansam, ex una parte, ut Apostoli auctoritatem imminuerent, Sophistae et Impostores: ex alia, quo et viverent licentius et excusatius peccarent, profani peccatoris hypocritae. Nimirum, si vera essent quae a Paulo dicebantur, cedere peccata hominum in majorem Dei gloriam, non esse cur Deus aut peccata puniat, aut peccantibus irascatur: non esse cur quis a peccando absterneat: immo vero peccandum esse uberius, ut uberius Deus adipiscatur gloriam; et omnino facienda mala, ut eveniant bona. Reliquas cavillationes diluit Apostolus justis responsionibus; ast ultimam hanc, *Faciamus mala ut eveniant bona*, ne dignatur quidem responsione: clamat tantum manifestam esse calumniam et blasphemiae affinem, justumque Dei judicium interminatur, ni resipiscant, tam importunis calumniatoribus. Quasi esset hoc sophisma ex eo genere argumentorum quibus non tam λύσις quam κόλασις

* 'ut irritas faciant.' In the First Edition, 'ne irritas facerent.'

deberi censuit Aristoteles.* Unde manifestum est, quod et omnes Interpretes agnoscunt, Apostolum constantissime negare, malum aliquod quantavis bona intentione fieri debere. ‘Interest quidem plurimum,’ inquit Augustinus,^h ‘qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat; sed ea quae constat esse peccata, nullo bonae causae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.’ Esto hoc primum Argumentum.

6. Secundum sumitur a natura Mali sive Peccati, quod ex sui natura nec est, primo, eligibile; nec secundo, ordinabile ad bonum finem; tertio, nec aptum natum ex se bonum aliquod producere. Eligibileⁱ primo non est, ex sui natura, et qua tale, quum nihil sit eligibile, quod non sit idem expetibile; et omne quod appetitur, sub ratione boni appetitur. §§. 6-8.
Secundo, a
natura
Mali.

7. Nec est Malum ex sui natura ordinabile ad bonum finem. Quod si esset, esset etiam expetendum: siquidem appetitus non solum fertur in finem ab agente propositum, sed et in ea quae ad finem illum consequendum conducere videntur. Si dicas, Deum ordinare mala nostra in bonum finem suum, proinde non esse contra naturam Mali, ut ordinetur in finem bonum. Respondeo, primo, non esse eandem rationem Omnipotentis Dei, qui naturae Dominus est, et potest pro beneplacito suo ex malo producere bonum, et nostri, quibus nec idem jus est, nec potestas eadem, sed nec nostrum esse de Dei Providentia circa malum vel curiosius inquirere, vel magistraliter pronunciare. Respondeo, secundo, Deum quidem abuti posse et solere peccatis nostris, ut inserviant gloriae, gratiae, et providentiae suae, quin et nobis pariter licere ipsius exemplo, pro data nobis opportunitate, alienis peccatis abuti in commodum nostrum temporale vel spirituale; sed tamen, quemadmodum Deus, etsi utatur malo alieno in bonum, nunquam ipse facit malum ut inde eliciat bonum, ita nec nobis licere malum facere, ut inde proveniat bonum. Aliud est alieno malo uti in bonum, aliud facere malum cum intentione boni. Respondeo, tertio, §. 7.

* Topics, I. xi. 8. ed. Bekker. Οὐ δέϊ δὲ πᾶν πρόβλημα οὐδὲ πᾶσαν θείων ἐπισκοπεῖν, ἀλλ’ ἦν ἀπορήσειεν ἂν τις τῶν λόγου δεομένων καὶ μὴ κολάσεως ἢ αἰσθήσεως· οἱ μὲν γὰρ ἀποροῦντες πότερον δεῖ τοὺς Θεοὺς τιμᾶν καὶ τοὺς γονεῆς ἀγαπᾶν ἢ οὐ κολάσεως δεόνται, οἱ δὲ πότερον ἢ χίων λευκὴ ἢ οὐ αἰσθήσεως.

^h Contra Mendacium. cap. 7. [tom. vi. 456 F. ed. Ben. Paris. 1685.]

ⁱ [Ἐἰ γὰρ] τὸ αἰσχρὸν [τῇ ἀληθείᾳ φευκτόν,] οὐκ ἂν ποτε διὰ περιστάσιν αἰρετὸν γένοιτο. Hierocles, p. 78. [ix. 11, 12. p. 54 in vol. ii of Gaisford’s edition of the Eclogae Physicae et Ethicae of Stobaeus.]

posse aliquid dici ordinari in finem dupliciter: vel improprie et communiter, quo modo ordinari dicitur quidquid quoquo modo ab agente adhibetur dum tendit ad suum finem, et postquam ab alio suapte sponte factum est, per potentiam et sapientiam ipsius agentis, praeter voluntatem et intentionem ejus qui fecit, ad illum finem assequendum disponitur; vel restrictius et proprie, et sic illud solum dicitur ordinari ad finem, quod ab agente^k antecedenter eligitur, ut medium ex sui natura conveniens et conducibile ad talem finem. Priori sensu intelligatur oportet, siquando dicimus Deum ordinare mala in bonum finem,* id est, Deum, pro infinita sua Sapientia et Potentia, uti malo in bonum vel ex malo elicere bonum; sed omnino cavendum ne ejusmodi locutiones posteriore et proprio sensu intelligantur, ac si Deus malum aliquod antecedenter vellet, approbaret, aut eligeret, velut medium ex sui natura conveniens ad alicujus boni finis consecutionem.

- §. 8. 8. Est etiam prorsus alienum a peccati natura ut ex se bonum effectum producat; sicut nec potest *mala arbor ex se bonum fructum proferre*, nec tenebrae ex se lucem. Sed idem ille
 S. Matt. vii. 18.
 2 Cor. iv. 6. Deus Optimus Maximus qui pro sua Omnipotentia *eduxit e tenebris lucem*, potest etiam ex peccatis nostris occasionem sumere illustrandae summae suae Sapientiae, Justitiae, et Bonitatis. Verum hi sunt effectus Potentiae Divinae, ut causae per se et proprie efficientis, ad quorum productionem nihil adjumenti conferunt aut virium peccata nostra quae habent se quantum ad ejusmodi effectus mere contingenter et per accidens. Ergo illa Davidis verba quae versu quinto istius capituli adducit Paulus e Psalmo li, *Contra te peccavi, ὅπως ἂν δικαιωθῆς*, ut *justificeris in sermonibus tuis*, non ita sunt intelligenda, quasi aut eo fine David adulterium et homicidium perpetrasset, aut eo fine alterutrum ipsi perpetrare licuisset, ut sic tandem justificaretur Deus in sermonibus suis. Sed est ibi intelligendum illud ὅπως, ut et aliae particulae ejusdem potestatis, *ἵνα, ὥστε*, &c, in plurimis Scripturae locis, non *αιτιατικῶς* sed *ἐκβατικῶς*, ut saepe distinguendum docet Chrysostomus: hoc est, ita ut eventum notet duntaxat, non veram rei causam. Quemadmodum enim potest qui serio philosophatur, ex jam concessis ab alio falsis praemissis veram inferre conclusionem;

^k ... Non convenire bono viro
 vitii uti. Quintil. Inst. vi. 1. [7.]

* Compare Sermon vii. ad Populum, §. 7.

ridiculum tamen se praeberet interim, si ad firmandam veram conclusionem ipse falsi aliquid ultro assumeret, quia verum non indiget falsi patrocinio: sic potest Deus, quod et nobis etiam aliquatenus licet, aliorum male factis uti in bonum; sed nec Justitiae Divinae Bonitatisque congruit, nec nobis ullatenus licitum est, velle malum facere ut inde proveniat bonum.

9. Argumentum tertium sumitur a natura boni Actus, ad
 §. 9. Tertio, a
 conditioni-
 bus ad bo-
 nitatem
 Actus re-
 quisitis.

cujus complementum omnium requisitarum conditionum concursus ita est necessarius ut, si e tam multis una aliqua abfuerit, caeteris licet praesentibus, Actus ille non censendus sit * moraliter bonus. Celebre est illud axioma, 'Bonum ex causa integra, Malum ex quolibet defectu;' † et constat in omni genere rerum plura ad construendum requiri, quam ad destruendum. Sufficit quidem defectus bonae Intentionis ad hoc, ut aliqua actio sit mala; cujus enim finis malus est, et ipsum est malum; sed non sufficit aut finis bonus, aut bona Intentio, ad hoc ut actio sit bona, nisi adsint et caeterae conditiones requisitae. Requiritur autem ad hoc ut actio aliqua, sive interior voluntatis, sive exterioris operis, sit bona, tres distinctae bonitates: bonitas scilicet Objecti, bonitas Finis, et bonitas Circumstantiarum. Qualitas cujuslibet Actus primo et principaliter pendet ex qualitate Objecti sive Materiae circa quam versatur; ita ut inde denominetur Actus quilibet indefinite et quoad totam suam speciem bonus vel malus. Sic dicimus esse furtum et adulterium de tota sua specie mala, Eleemosynam et Precautionem de specie sua bona. Hoc tamen observato discrimine, quod quae mala sunt simpliciter, mala sunt, nec possunt ratione cujuscunque finis quantumlibet boni, aut quarumcunque vel commodissimarum *περιστάσεων*, fieri bona; at quae natura sua bona sunt, possunt tamen a fine aut indebitis circumstantiis ita vitiari, ut desinant esse bona, et fiant mala. Supposita ergo pravitate Objecti, abstinendum est protinus ab Actu, ut simpliciter malo, veluti a furto, ab adulterio, &c; nec opus est ulteriori examine. At supposita bonitate Objecti, non statim cuiquam tutum est ad agendum se comparare, aut quod actum fuerit comprobare; nisi expensis prius diligenter et Fine ad quem dirigitur, et singulis quibus quasi vestitur Circumstantiis. Illa ergo quae dici solent, bonitatem Actuum pendere a Fine,

* 'censendus sit.' In the first Edition, 'non erit moraliter bonus.'

† Compare Sermon ii. ad Clerum, §. 22.

et Finem discriminare actiones, eatenus quidem vera sunt, si actus ratione Objecti sive Materiae sint boni, vel saltem medii et indifferentes; non autem si mali. Objecti enim bonitate supposita, Actus bonitatem suam et malitiam praecipue sumit a Fine. Exempli gratia, Actus erogandi in pauperem eleemosynam, qui est Actus bonus respectu materiae sive objecti, si fiat ob inanem gloriam, fit moraliter malus, eo quod non ordinatur ad rectum finem. Idem Actus, si fiat ad sublevandam proximi indigentiam, est quidem haecenus bonus, quod et sit de materia licita, et fiat intentione recta, adeoque habeat utramque illam de quibus jam diximus bonitatem, Objecti scilicet et Finis; non tamen adhuc dici potest simpliciter bonus, nisi fuerit insuper debite, ut loquuntur, circumstantionatus. Requiritur enim ad complementum boni operis, ultra bonitatem illam quae est ex parte Objecti, et illam quae est ex parte Finis, tertia etiam bonitas ex parte Circumstantiarum. Unde dici solet, bonitatem Actus pendere ex circumstantiis: non primario et principaliter, sed ultimate et complete, suppositis nimirum bonitate Objecti, et bonitate Finis. Quum ergo ad bonitatem cujuslibet actus moralis tria haec requirantur, idque conjunctim, Materia licita, Intentio recta, et debita Circumstantiae, manifestum est rectam Intentionem per se solam non sufficere; et ex consequenti non posse bona Conscientia fieri quidquam, quacunque tandem Intentione fiat, quod aut ex se ratione Objecti illicitum est, aut redditur ex Circumstantiis vitiosum.

§§. 10, 11.
Objectioni
iterum oc-
curritur.

10. Ast huic rationi opponet fortasse quisquam verba illa Christi, Matt. vi. 22. *Si oculus tuus sit simplex, et totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus sit pravus, erit totum corpus tuum tenebrosum.* Ubi si per oculum intelligatur Intentio, quae mens est omnium fere Interpretum, videtur ex bonitate Intentionis omnino pendere bonitas totius Actus, idque adaequate: ita ut quas vires habet mala Intentio ad vitiandum Actum etsi alias bonum, easdem vires habeat bona intentio ad probum efficiendum* Actum etsi alias malum. Tam enim efficax est oculus simplex ad inferendum toti corpori lumen, quam est oculus malus ad inducendas tenebras. In quam sententiam multa afferri possent dicta Patrum et aliorum Theologorum: quale est illud Glossae, ‘Quantum bonum

* ‘ad probum efficiendum,’ In the first Edition, ‘ad comprobandum Actum.’

intendis, tantum facis ;' et ille nescio cujus e trivio versiculus,

Quidquid agunt homines intentio judicat illos ;

et istis similia plurima.

II. Ad locum Matt. vi, quod attinet, imprimis non sum nescius ex illis Christi verbis posterioris aevi viros doctos alium sensum eruisse, ab illo Veterum longe diversum, nec ei qua de re nunc agitur affinem. Dato tamen, ob debitam a nobis priscis illis Doctoribus reverentiam, dictum illud Servatoris hominum intentiones praecipue respicere, respondeo Intentionem, quum sit motus voluntatis tendentis ad aliquem finem per quaedam media, dupliciter posse considerari. Vel prout dicit intuitum illius boni in quod voluntas finaliter fertur, praecise, abstrahendo scilicet ab omni consideratione mediorum : ut si quis dicat se intendere gloriam Dei, vel utilitatem aut voluptatem propriam. Vel prout dicit integram ordinationem totius processus ab initio operis ad finem, includendo etiam et media : ut si quis dicat se intendere gloriam Dei exstruendo templum, vel occidendo idololatram ; aut intendere utilitatem propriam comparando sibi divitias honesto labore, vel furto et rapina. Quemadmodum dici potest iter intendere Romam, et is qui de eundo Romam tantum cogitat, nec dum statuit qua via sit eo profecturus ; et is etiam qui simul et quo sibi eundum cogitat, et qua. De Intentione primo modo sumpta nos in tota hac quaestione loquimur, scilicet ut finem solum respicit, non item media ; et ita fere sumitur in communi usu loquendi. Ast dicta illa Patrum et aliorum Theologorum, quae videntur ex sola Intentione metiri bonitatem et malitiam humanorum actuum, et in illis Christi verbis de oculo simplici et pravo fundantur, Intentionem accipiunt in posteriore significatione, prout una cum Fine includit et Media. Scitum est illud Bernardi, Ut oculus, inquit, sit simplex, duo sunt necessaria : scilicet ut veritas sit in electione, et charitas in intentione.* Hoc est, ut Intentio nostra sit absolute recta, utrumque requiritur : ut nec proponamus nobis finem, qui amoris Dei et proximi adversetur, nec media eligamus quae non sint cum justitia et honestate conjuncta. In omni igitur opere, non id solum spectandum

§. II.

* Ego vero, ut interior oculus vere simplex sit, duo illi esse arbitrator necessaria, charitatem in intentione, et in electione veritatem.

Tract. de Praecepto et Dispensatione, cap. xiv. tom. i. 515 A. ed. Ben. Paris. 1690.

est, ut sit nobis bonus propositus finis; sed et opera insuper adhibenda, ut idoneis, legitimis, ac honestis mediis ad scopum sic propositum contendamus. Quum enim electio mediorum ex intentione finis oriatur, et sit cum ea ita necessario connexa, ut habeat respectu ejus rationem accidentis cujusdam inseparabilis, vel necessariae circumstantiae, Scholastici fere concludunt electionem malam vitare Intentionem alias bonam,¹ reddendo eam ex bona malam: eodem omnino modo, quo malae circumstantiae vitiant actiones quarum sunt appendices.

§. 12.
Quarto,
a Divinae
Legis Per-
fectione.

12. Argumentum quartum sumitur a Legis Divinae perfectione et obligatione. Proposita nimirum est hominibus a Deo Lex: Lex perfectissima, quae facienda praecipit, vetat non facienda. *Indicavit tibi, O homo, quid sit bonum; et quid requirat a te Dominus*, Mic. vi. 8. Huic Legi, siquidem satisfacere velimus officio nostro, pareamus oportet. Hac Lege jubemur, quod et passim in Scripturis inculcatur, bonum agere, malum fugere. Quod si nos e contra, ubi nobis ipsis visum fuerit, agenda fugiendaque, susque deque habita Lege Dei, ex nostro commodo metiamur; et vel ea quae Deus fieri praecipit bona metu insecuturi inde alicujus mali omittamus, vel ea quae fieri vetat mala intuitu proventuri inde alicujus boni admittamus, quid hoc aliud est, quam Omnipotentis Dei expressae Voluntati nostra homuncionum consilia anteferre, et prudentiae carnis postponere Sapientissimi Spiritus auctoritatem? Longe aliter Vir sanctus David, *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquam*, Ps. cxix. 104. quasi diceret, Edoctus e Lege tua, quae mihi de die, de nocte, in corde est, in ore, in manibus, quae mihi agenda sunt plane intelligo, quaeque fugienda: quapropter omnem viam quae Legi tuae consentanea non est, quocumque me tandem perducere videatur, non declino solum, sed et odi. Quum itaque vetitum sit Lege Dei omne malum, nec contineat ea Lex ullam exceptionem intentionis aut eventus boni, nec sit distinguendum ubi Lex non distinguit, aut excipiendum ubi Lex non excipit, omnino constat peccare eum contra Legem Dei, quisquis quacumque de causa, quacumque Intentione, sciens facit quod malum est.

§. 13.
Quinto,
a Dei Vin-

13. Sequitur Argumentum quintum, ab exemplis eorum, qui, boni finis obtentu, expresso Dei praecepto ausi contravenire,

¹ Animum laudo: Consilium reprehendo. Cicero, ix. ad Attic. 11.

irato Deo justas dederunt temeritatis suae poenas. Sauli Hebraeorum Regi, qui Amalekitarum pecori quod Deus univ-
 sum deleri mandaverat pepercit, eo fine, uti saltem prae se
 tulit, ut inde opimam Deo victimam immolaret, missus a Deo
 Samuel Propheta, et peccati gravitatem ob oculos posuit, et in
 tantae inobedientiae poenam, futuram regni amissionem ei
 praedixit. Si cui hoc exemplum firmandae rei propositae
 parum idoneum eo videbitur, quod non constet Saulem bona
 intentione id fecisse quod fecerit, nec eum finem, quem postea
 tamen obtendit, sibi in animo fixum et propositum tum habu-
 isse quum id faceret, quin potius vero similis sit eum non
 aliud adhuc quam temporale commodum suum spectasse; post-
 quam autem ei objectum esset a Propheta et crimini datum
 quod Dei mandato non obaudivisset, tum demum, quod hypo-
 critis solenne est, istam excogitasse inobedientiae suae excusa-
 tionem et quasi *σοφὸν φάρμακον*:* ne quid nobis molestiae
 creet haec exceptiuncula, observandum est, ubi accedit inobe-
 dientiae hypocrisis, non tam augeri crimen quam duplicari.
 Fuisse quidem Saulem duplicis culpae reum nullus dubito,
 inobedientiae et simulationis, ut interim taceam tertiam illam
 utriusque radicem, mundanum affectum. Distincta utique sunt
 duo ista peccata; et nec natura, nec tempore conjuncta. Non
 natura, quia potest esse alterutrum sine altero: non tempore,
 praecessit enim aliquandiu inobedientia, accessit postea objecta
 nova occasione simulatio. Id quod ex ipsis Samuelis verbis
 non obscure colligi potest: qui, dissimulata prorsus Regis simu-
 latione, unam ejus inobedientiam severe admodum et acriter
 reprehendit. *Potior est, inquit, obedientia sacrificio.* Quasi
 diceret, Quid mihi sacrificia narras? quae, seu bona fide ante
 intenderis, seu nunc demum excusandae inobedientiae tuae
 obtendas, perinde est ad obsequii rationem. Mos erat gerendus
 praecipienti Domino; et quod abs illo in mandatis acceperas
 prompte et sine disceptatione adimplendum. Sed enim utcun-
 que se habeat res Saulina, illud interim certum est, Uzzam,
 cujus historia II Sam. vi. perscripta legitur, non simulate, sed
 bona fide et pia admodum intentione sacro vasi manum admo-
 visse; ne scilicet excuteretur in terram Arca Foederis, quod
 erat tunc temporis et sub oeconomia Veteris Testamenti tre-

dicta pu-
 nientis
 Legis suae,
 etsi bona
 intentione
 factam,
 transgres-
 sionem.

1 Sam. xv.
 22.

* Compare Sermon v. ad Magistr. §. 28.

mendum Divinae Praesentiae symbolum, quum succusso vehementius quo vehebatur plastro velut mox ruitura nutaret. Levicula hac, ut quibusdam visa, sed importuna temeritate, etsi nulla subesset mala mens, commeruit tamen, ut magna spectante populi corona immissae divinitus mortis praesenti Num. vii. 9. supplicio afficeretur. Edixerat nimirum jamdiu Dominus Jehova Arcam humeris sacerdotum gestandam esse, non plastro imponendam; nec ulli fas esse extra ordinem sacerdotalem, idque gentis tantum Kohathitarum, Arcae deportandae operam dare, aut rem sacram attingere: qui secus faxit, mala morte periturum. Hac igitur in primum ejus Legis violatorem severa animadversione voluit Deus Legi suae reverentiam conciliare, ejusque auctoritatem conservare, ne quis ausu temerario contra id quod ipse sanciverat agere aliquid aggredive quocunque praetextu praesumeret. *Accensus enim ira percussit eum ibi Deus propter imprudens hoc factum, ita ut moreretur ibi prope arcam Dei.* II Sam. vi. 7.

iv. 15.

§. 14.
Sexto, ab
incommo-
dis contra-
riae senten-
tiae.

14. Argumentum ultimum, ab incommodis contrariae sententiae. Multa sunt illa; sed ego ne multus sim, unicum illud urgebo, quod instar multorum est, et ab Augustino saepe urgetur. Nempe, refixis Legum repagulis, omnia diffluere, et in incertum ferri: velut ruptis obicibus undae maris, ubi semel ripas excesserint, non se patiuntur certis limitibus contineri, sed per omnia vicina loca longe lateque vagantur. ‘Qui semel limites modestiae transilierit, gnaviter hunc impudentem esse oportet,’ inquit ille.* Sed Augustinum potius audiamus. ‘Quod enim sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium^m—hem! annon suspicamini eum de nostro hoc saeculo, nostrisque rebus vaticinatum?—non dicatur posse fieri recte atque juste,.....si semel concesserimus in omnibus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat esse quaerendum, ut quaecunque propter bonas causas facta inveniuntur, nec ipsa mala esse judicentur?’ Atque iterum, ‘Quum concesseris admittendum esse aliquod malum, ne aliquid gravius admittatur; non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate aut consuetudine metietur malum; et id putabit

* Cicero, Epist. ad Fam. v. 12. Qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et gnaviter oportet esse impudentem.

^m Augustin. contra Mendacium, cap. 7. [tom. vi. 457 E. ed. Ben. Paris. 1685.]

gravius, quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius revera fugiendum est.' Vis argumenti huc redit. Si facienda sint mala, ut veniant bona, (quum certum sit non esse omnia mala facienda, nec propter quaevis bona,) aut utrique huic dubitationi certus statuendus est modus, primo, quatenus mala sunt facienda, ut veniant bona, et quae non? secundo, propter quatenus bona aliqua mala sunt facienda, et propter quae non? aut uniuscujusque hominis iudicio permittendum est arbitrari, prout res tulerit, et ipsi visum fuerit, quid sit faciendum et quid non, et propter quid. Quorum utrumvis concedatur, nihil inter homines tutum erit, nihil sanctum, nihil ab injuriis, perjuryis, fraudibus, rapinis, caedibus, perduellionibus immune: exsulent necesse est e terra, sine quibus conservari non possunt respublicae et hominum societates, Religio, Justitia, Aequitas, Fides, Pax.

15. Satis jam, ut opinor, confirmata quam probandam suscepit Conclusionem, non abs re alienum fuerit, nec vobis uti spero ingratum, certe non inutile, Corollaria inde nonnulla deduxisse, quae nobis omnibus ex usu sint ad vitae et morum institutionem. Ex antedictis ergo illud imprimis sequitur, cavendum esse piis omnibus, ne, zelo gloriae Dei abrepti, ad illicita perpetranda ferantur. Esse Dei gloriam omnium operationum nostrarum finem supremum et ultimum, nemo rite Christianus neget. *Sive edamus, sive bibamus, sive quid aliud faciamus, omnia ad Dei gloriam referantur* oportet, 1 Cor. x. 31. Ast praepropero et praepostero gloriae Divinae zelo permoti, quantas contumelias, quas strages ediderint olim in populo Judaico ejus factionis homines, cui Zelotarum peculiare cognomen adhaesit; et inter Christianos, patrum memoria, in Germania et alibi, Anabaptistae, a viris fide dignis et rerum suis temporibus gestarum gnaris prolixè perscriptum est. In quorum monumentis tam horrenda facta, et ab omni humanitate aliena narrantur, ut vix ullam apud nos essent habitura fidem, nisi eandem fabulam quotidie videremus ab infelici ipsorum sobole, translata tantum in Britannias has nostras scena, strenue actitari.

§§. 15, 16.
Corollar.
Primum.
Zelo gloriae Dei ne ad illicita perpetranda feramur, cavendum.

16. Ne quis igitur vestrum hoc tam splendido artificio aut alios decipiat, aut ab aliis decipi se patiat, cogitate, primo, omnes seductores, Satanae ministros, a summo seductore Satana, qui se *transformare solitus est in Angelum lucis*, edoctos, §. 16.

11 Cor. xi.
14.

non aliis artibus plus profecisse, aut imposturas suas plebi Christianae obtrusisse, aut pacem Ecclesiarum et Rerum publicarum perturbasse efficacius, quam obtentu gloriae Dei, reformatae Religionis, propagandi Evangelii, exstirpandae superstitionis, exaltandi regni Domini nostri Jesu Christi. Conquesti sunt graviter hac de re passim in suis scriptis Protestantium Theologorum proximi retro saeculi nominatissimi quique, Calvinus, Bucerus, Zuinglius, reliqui. In his Vir, eruditione, modestia, pietate paucis secundus, Hieronymus Zanchius,ⁿ ‘Ego non intelligo istam Reformatorem mundi Theologiam.’ Utinam earum rerum quae nunc apud nos geruntur experientia non confirmaret nimis esse verum illud quod vulgo dicitur, ‘In nomine Domini incipit omne malum.’* Cogitate, secundo, quanta cum perversitate gloria Dei, bellis, tumultibus, rixosis contentionibus, et disputationibus inutilibus praetexitur: cujus Sancti Domini Apostoli vix unquam in suis Epistolis meminerunt, meminerunt autem frequenter, nisi in ordine ad pacem, et fraternam dilectionem, et suavem illam, quae maxime Christianos ornat, in rebus adiaphoris *συγκατάβασις*, ne quis libertate qua Christi beneficio fruimur ita abutatur ut sit aliis offendiculo vel gravamini. Cogitate, tertio, debere eum qui sibi Dei gloriam proponit ut finem, Legem etiam Dei sibi proponere ut regulam omnium actionum suarum. *Ad legem, et ad testimonium*, Esa. viii. 20. Esto, ut par est, gloriae Dei intuitus, agendi finalis causa; at norma agendi et quasi ratio formalis non est gloria Dei, sed voluntas ejus revelata. Illa ergo in toto vitae decursu spectanda est ut meta ad quam currendum; sed et haec consulenda, ut rectam insistamus viam qua ad metam perveniatur: ne illud in nos merito jaciatur quod dici solet, ‘Bene curritis, sed extra viam.’ Cogitate denique, Gloriam Dei respectu actionum singularium habere rationem finis transcendentalis. Transcendenti autem, palam est nullum individuum immediate subjici: velut Enti ut Ens est, non immediate subjicitur aliquod Entium singularium, sive substantiale, sive accidentale. Sicut ergo Ens transcendentalis verificatur de omni Ente, sive id universale sit sive singulare, quod est in aliquo decem Praedicamentorum, sic gloria Dei est finis omnium

ⁿ Zanchius. [in the Epistola Nuncupatoria prefixed to Vol. vii. of his Works, p. 3.]

* Compare Sermon xiii. ad Aulam, §. 18.

officiorum quae in aliquo Decalogi praecepto expresse aut virtualiter continentur, omniumque actuum eo pertinentium. Colendus est Deus, parentes honorandi, diligendi proximi, fides servanda, justitia, veracitas, castitas colenda, caeteraque pietatis et charitatis munia praestanda, in honorem et gloriam Dei. Caeterum sicut nihil habet vere rationem Entis, quod non apte reducatur ad aliquam speciem Entis in aliqua decem classium Praedicamentalium, sic nulla particularis actio, quicquid homines intenti in rem suam vociferentur, vere et proprie ad gloriam Dei tanquam finem refertur, quae non sit reducibilis ad aliquod officium pietatis et charitatis, in aliquo decem praeceptorum Legis Divinae fundatum. Ludit ergo, quisquis gloriam Dei obstrepere crepat; nec tamen dicere valet, quae se facere profitetur propter gloriam Dei, quo Legis Divinae praecepto ea tueatur.

17. Ex praedicta Conclusionem sequitur, secundo, Errare eos vehementer qui sibi licere putant, peccatum aliquod minus facere, ut vitetur aliud peccatum majus. In quam partem multa afferri solent. Imprimis pervulgatum illud omnium in ore, 'E malis minimum eligendum;'^o cujus dicti hanc etiam afferunt ex Aristotele rationem, quod scilicet minus malum^p si cum majore comparetur habet rationem boni. Addunt et ex Gregorio Magno,* 'Dum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato evadendi aditus pateat, minora semper eligantur.' Nec desunt piorum virorum exempla; in quibus eximium est illud Lothi factum, et prae caeteris illustre: quem impuris Sodomae incolis, ad nefandas libidinis vitandas, stuprum filiarum suarum suasisse legimus, Gen. xix. Longum esset omnia persequi. Ut plurima in pauca contraham, dico, primo, dictum illud 'e malis minimum' intelligendum proprie et primario de malis, ut vocant, Poenae, non Culpa: hoc est, non de peccatis, sed de externis incommodis hujus vitae inter se collatis. Quo modo David, proposita sibi trium malorum optione, belli, famis, pestis, pestem^q elegit ut e tribus malis minimum. Dico, secundo, obtinere id dictum ulterius etiam, hoc sensu: Propositis duobus malis, altero

§§. 17, 18.
Coroll. Secundum.
Non esse admittendum aliquod peccatum nostrum, ut impediatur majus alienum.

¹ Sam. xxiv. 14.

^o Τὰ ἐλάχιστα ληπτέον τῶν κακῶν. Aristot. Eth. ii. 9. [4.]

^p Ἐν ἀγαθοῦ λόγῳ γίνεται τὸ ἐλαττον κακόν, πρὸς τὸ μείζον κακόν. Id. Ethic. v. [3. 15.]

* Moralia in Job. lib. xxxii. §. 39.

^q Τῶν τριῶν κακῶν ἐν. Vid. Suid. τῶν τρ. [3600 B. Gaisf.]

poenae, altero culpae, si utrumque vitari non potest, sed alter-
 utrum eligi necesse est, eligendum est malum poenae potius
 quam malum culpae: quia e duobus minus est malum pati
 malum quam facere. Ergo eligenda potius est amissio bonorum
 quam abnegatio fidei; et exulare eligendum est potius quam
 pejerare. Hinc illud animi robur priscis Martyribus, spoliari,
 torqueri, mactari paratioribus, quam thurificare idolis, aut ali-
 quid in se admittere quod esset inhonestum aut Christiano
 nomine indignum. Dico, tertio, Si proponantur alicui duo pec-
 cata facienda, quorum utrumque constat esse peccatum, neu-
 trum esse eligendum, sed utrumque vitandum. Atqui supposito
 utrumque vitari non posse, sed alterutrum necessario esse
 faciendum, quod Gregorii verba illa manifeste supponunt, quid
 hisce in angustiis posito suadendum esse putes? inquietis,
 Respondeo, id supponi non posse. Quum enim omne peccatum
 tam sit voluntarium, ut si non esset voluntarium non esset pec-
 catum, ut recte Augustinus,* fieri non potest ut aliquis in eas
 angustias redigatur, ut ei necessario sit peccandum.† Adeo ut
 ipse sibi contradicat, si quis dixerit se mera necessitate coactum
 peccasse. Non enim peccatur nisi voluntate; et voluntas ita
 libera est ut cogi non possit. Nec alia Gregorii mens fuit; etsi
 verba ipsius, illa praesertim ‘si nullus sine peccato evadendi
 aditus pateat,’ jam dictis repugnare prima fronte videantur.
 Non enim loquitur de duobus propositis, quorum utrumque
 certo constat esse peccatum, qua de re nunc agitur; sed de
 duabus rebus, quarum quum alteram liquido constet esse pec-
 catum, alteram agens aut ex aliquo Conscientiae errore falso
 opinatur esse peccatum quum non sit, aut ex aliquo injecto
 scrupulo vel laeva suspitione veretur ne forte sit peccatum;
 qui casus alienus est a praesenti instituto.

§. 18.

18. Si quaeras, Liceatne Caio minus peccatum in se admit-
 tere, ut majus peccatum, quod Titius alias facturus sit, impe-
 diat? puta, liceatne leve furtum facere, ne is homicidium per-
 petraret? Dico, quarto, cum Augustino,† non licere. ‘Si quae-

* De Vera Religione, cap. xiv.
 §. 27. Compare Retract. I. xiii. 5.
 tom. i. 756. ed. Ben. Paris. See
 also Sanderson’s Sermon vi. ad
 Populum, §. 16.

† Οὐδεμία ἀνάγκη τὰ μοχθηρὰ πράτ-
 τεω. Aristot. Eth. Eudem. ii. 11.

[7.] Nulla est necessitas delin-
 quendi, quibus una est necessitas
 non delinquendi. Tertull. de Coron.
 Milit. 11.

† [De Mendacio, cap. ix. tom. vi.
 429. ed. Ben.]

ratur,' inquit ille, 'quid duorum* potius debuit evitare, qui utrumque non potuit, sed alterutrum potuit: respondebo, suum peccatum potius quam alienum; et levius potius quod suum, quam gravius quod alienum.' Ratio in promptu est: quia nimirum in mea potestate est ne ipse peccem: ne alius peccet, non est in mea potestate. Sic enim pergit ille, 'Ego utrumque malum fieri nollem; sed id tantum cavere potui ne fieret, quod erat in mea potestate.' At gravius est homicidium, quam furtum. Fatetur id Augustinus, et respondet, 'Pejus est tamen facere furtum, quam pati homicidium.'† Et in eandem sententiam alibi, 'Quantumlibet distet inter tuum et alienum, hoc tamen erit tuum, illud alienum.' Res clara, nec cui sit necesse ulterius insistere.‡

19. Quinto, si adhuc quaeratur, liceatne saltem alteri parato majus malum facere, suadere minus? ut parato occidere inimicum, suadere ut mutilet tantum? quo pertinet Lothi ad concives suos oratio. De Lothi facto non idem sentiunt omnes. Excusare id factum nil miror Chrysostomum: § suo more facit; || sic enim solet omnes Patriarcharum lapsus. Excusat etiam Ambrosius, ¶ excusant et alii,** Veteres maxime. Augustinus †† peccasse eum censet; cujus iudicium secuti sunt eorum qui secuti sunt plerique. Et sane videtur Vir sanctus, ex pio erga hospites affectu, dum valde sollicitus esset ne qua eis injuria aut vis inferretur, animo perturbatiore nonnulla et dixisse et fecisse, quae non possunt facile excusari. Omisso itaque Lothi facto, ut ab hypothesis ad quaestionem in thesi transeam, licere censeo alteri, ne graviori facinore se polluat, levius peccatum suadere. Si dicas, qui alteri suadet peccatum etsi levius, suadere tamen

§§. 19, 20.
Liceatne
saltem alteri
suadere
minus peccatum,
ut majus im-
pediatur?

* 'quid duorum.' S. August. 'quod horum.'

† tom. vi. 429 E.

‡ Noli facere magnum scelus tuum, dum majus horrescis alienum: quantumlibet enim distet inter tuum et alienum, hoc erit tuum, illud alienum. c. Mendac. cap. ix. tom. vi. 460 B. ed. Ben. Paris.

§ Homil. xliii. in Gen. Opp. iv. 441 A. ed. Ben.

|| 'suo more.' In the first Edition 'suapte.' In the others 'suatim.' But Sanderson's list of Corrigenda gives 'suatim, vel, suo

more;' and the alternative generally adopted must have been, in the first instance, an oversight. 'Suatim' being = *ὑὶκῶς*, formed in the same way as *canatim* and *bovatim*.

¶ De Abraham. I. vi. 52. Compare de Offic. Ministr. II. xxii.

** e. g. Bernardus, de Praecepto et Dispensatione, cap. 7. Quis non videat quantum evacuarit aut attenuaverit turpis nefandique reatum flagitii pietas intentionis et intentio pietatis?

†† e. g. lib. c. Mendacium, cap. ix.

peccatum, adeoque eum ad peccandum inducere, quod qui facit, eo ipso reum se facit peccati alieni; respondeo, aliud esse suadere alteri peccatum absolute, quod quisquis fecerit indubie peccarit; aliud suadere alteri peccatum conditionaliter, et ex ea suppositione quod non possit aliter gravius peccatum evitari. Quo supposito, non tam censendus est eo consilio alterum induxisse ad peccatum illud levius, quam abduxisse a peccato majore et atrocior. Non enim suadet eum ad peccatum, quia peccatum est, sed qua minus peccatum est, et majoris impeditivum. Si porro urgeas, Si mihi liceat suadere alteri electionem minoris peccati, cur non et illi liceat, etiam me non suadente, sponte sua id ipsum peccatum eligere? immo cur non et mihi ipsi liceat id tuto facere quod recte suadeam alteri? id est, e duobus propositis peccatis eligere id quod minus est? Aut cur licere putandum est e tribus primum, neutrum autem reliquorum, quum videatur esse omnium trium par omnino ratio? Eandem esse trium rationem, id vero constanter pernego: quum sit manifestissima inter haec et illud discriminis ratio. Quod nec illi liceat sponte sua, nec mihi sponte mea, ad majus peccatum vitandum eligere minus, id propterea fit, quia quum sit in potestate utriusque nostrum, respective, utrumque vitare, tenemur uterque neutrum eligere. Caeterum quod mihi liceat alteri suadere minus peccatum ut evitetur majus, ex eo contingit, quod non sit in mea suadentis potestate (id enim jam supponimus,) impedire utrumque. Danda certe mihi est opera, quantum in me est, ut impediatur utrumque. Sed quum videam me id efficere non posse quod maxime vellem et cupio, facio saltem quod possum et debeo, suadendo minus peccatum ut impediam majus.

- §. 20. 20. Ex iis quae hactenus disputata sunt facile intelligitur, quae sit mens illius dicti, 'E malis minimum,' et quis ejus usus in omni deliberatione humana; ad quaecunque tandem mala applicetur, sive Culpae, sive Poenae. Tenet enim, idque universaliter et in utroque malorum genere, quoties eo res devenerunt, ut recte explicat statum quaestionis Augustinus, ut e duobus malis sit in nostra potestate alterutrum evitare, non sit in nostra potestate vitare utrumque. Omne enim malum, quatenus malum, viro pio et prudenti vitandum est, quantum in ipso est: ergo, duobus cujuscunque generis malis propositis, utrumque si vitare potest, debet: si non potest, eligendum est ei quod minus

est. Non tamen sequitur eligendum esse de duobus peccatis id quod minus est, quia utrumque vitari posse jam ante demonstratum est. Et haec de Corollario secundo.

21. Sequitur ex principali Conclusionem, tertio, Nihilominus §§. 21-23. errare eos, fortasse et gravius, qui ut clavum clavo, sic malum Coroll. malo pellendum existimant, ut, verbi gratia, superstitionem Tertium. sacrilegio, tyrannidem seditione, &c. Qui fere error est eorum Non esse malo malo pellendum. hominum, qui sibi tum demum vel maxime sapere videntur, quum, ut hortulani solent plantas hac nimium inclinantes ut erectiores insurgant illac inflectere, ab altero extremorum non se satis cavisse arbitrantur, nisi in alterum improvide ruerint. Sic

Stulti dum vitant vitia in contraria currunt ;^s

et dum vitant Charybdim, in Scyllam incidunt. Sed ut aliquem locum habeat in medendis corporum affectibus Aphorismus ille, quem tamen non usquequaque comprobant medicorum filii, 'Contraria contrariis curari, extrema extremis:' in moribus tamen corrigendis, et in reformandis Ecclesiarum et Rerumpublicarum corruptelis, affert plerumque pro remedio certam perniciem. Grave est illud Sophoclis apud Stobaeum,^t

*Ἐνταῦθα μέντοι πάντα τ' ἀνθρώπων νοσεῖ,
Κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά.*

Hinc pessum eunt mortalium res indies,
Rebus mederi quod velint malis mala.

Et ejusdem in Ajace aliud.

.....Μὴ κακὸν κακῶ διδοὺς

** Ἄκος, πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει.**

—Hoc est,

.....addens pharmacum malum malo,

Ne contrahas tibi majus infortunium.

22. At si alias publicis malis remedium afferri non possit, §. 22. nisi aliquae piaes fraudes adhibeantur, legesque et jura violentur, annon praestiterit aliquantisper ista fieri, quam permittere Rempublicam *ἀνίστα νοσεῖν*? Lego quidem in Sacra Historia ita olim sensisse Pontificem Hierosolymitanum Caia- pham, qui, in Senatu suae gentis, posthabita justitiae ratione, Jesum quamvis nullius criminis reum morte tamen afficiendum

S. Johan. xi. 50.

^s Horat. Sat. I. ii. [24.]

Gaisford; or Fragm. 98. Dindorf.]

^t λογ. β. [iv. 37. tom. i. 128.

* 362. ed. Dindorf.

censuit, quod sic fieri expediret. Memini me alicubi olim legisse, Romanorum Pontificum nescio quem,* in Cardinalium conclavi de praesentibus negotiis disceptantem, quum submonisset quidam e purpuratis, id quod propositum esset consilium parum sibi justum videri, respondisse, Licet non posset fieri per viam justitiae, oportere tamen fieri per viam expedientiae. Nimirum isthoc est sapere! Haec est eorum hominum quos Politicos vocant, ex Jesuitarum ni fallor officinis, deprompta Theologia: Omnia metiri ex commodo Sanctae Matris Ecclesiae: Sacrosancta Dei eloquia qua lubet inflectere, nasi ad instar cerei torquere, distorquere, invita cogere in rem suam: et, ut Lacon ille honestum esse dixit quicquid Spartaes esset utile, nil turpe ducere, aut refugiendum, quod Spartaes illi quam nacti sunt ornandae quoquo modo inservire posse arbitrentur. Verum apage procul e scholis, e suggestis, peccatoribus nostris hanc insanam Theologiam. Longe nos aliter instituerunt Sancti Christi Apostoli, qui illi quaestioni, Expediat, nec ne? non ante locum concesserunt, quam de altera illa quaestione, Liceat, necne?, constaret. Quin et aliter senserunt saniores Ethnici, qui quoties pugnare videtur cum Utilitate Honestas, sic litem semper dirimunt, ut pronuncient utile non esse quod non sit idem honestum.

1 Cor. x.
23.

§. 23.

23. Ne longe abeam, Paulus hoc ipso commate omnino negat facienda esse mala, ut eveniant bona: quibus verbis quid dici potuit ad firmandam nostram Conclusionem aut apertius aut efficacius? Audivi tamen hisce auribus qui, quum istis ipsis Apostoli verbis premerentur, nec aliter quae defensa cuperent tueri possent, adhibita distinctione dicerent, nulli quidem privato viro fas esse pro suo arbitrio malum facere ut inde proveniat bonum, et hoc solum voluisse Paulum his verbis prohibere; licere tamen, hoc non obstante, ex communi gentis consilio abs his quorum interest ne quid Respublica detrimenti capiat id fieri, si sic postulet publica necessitas et Populi salus. Saluti Populi quantum sic deferendum, dabitur fortassis posthac, si Deus voluerit, examinandi locus. Animadvertendum est interim, Primo, gratis haec omnia dici, nec occurrere quidquam in tota hac disputatione Paulina, quo nitatur illa distinctio. Deinde, si scopum et vim argumentationis Paulinae hoc

* Clement V. in suppressing the Order of Templars. Compare Sermon xii. ad Aulam, §. 4.

in loco attendamus, excludi prorsus omnes istiusmodi limitationes et commenta hominum nugatorum. Occurrit enim Apostolus objectioni, de promovenda peccatis hominum Gloria Dei. Negat vel eo etiam fine facienda mala, ut illustrior reddatur Dei Gloria. Sequitur ergo a fortiori, non esse facienda mala ob aliquem finem qui sit inferior Gloria Dei. Quum igitur cuilibet bono humano, privato vel publico, infinites praepo-
nenda sit Dei Gloria, nec liceat tamen vel ejus Gloriam intuitu malum facere, certe non licebit cuiquam, aut homini singulari aut toti Communitati, in remedium cujuscunque mali publici vel privati, aut ipsi malum facere, aut alteri faciendum commendare.

24. Recogitemus, obsecro, Auditores, ista apud nos, idque serio; et quo pejores dies sunt, quo plures tentationum laquei, et impetus fortiores, eo ἀκριβέστερον ambulemus, et majore circumspectione caveamus gressibus nostris. Ne a recto illo et angusto tramite mandatorum Dei patiamur nos ullis Satanae machinationibus, aut mundi carnisve illecebris ad dextram sinistramve vel tantillum abduci: memores, quae scientes, prudentes, fecerimus mala, nullam vel apud Deum Judicem, vel apud testem Conscientiam, habitura esse in illo die excusationem. Et de bonae Intentionis praetextu hactenus. Quae de hominum Exemplis et Placitis, quod ad regimen Conscientiae attinet, supersunt dicenda, pergam, Deo volente, exsequi proxima futura Praelectione.

§. 24.

PRAELECTIO TERTIA.*

IN QUA OSTENDITUR NON ESSE AD CONSCIENTIAE
SECURITATEM SATIS PRAESIDIUM IN VIRORUM

AUT { PIORUM EXEMPLIS,
PERITORUM JUDICIO.

GAL. II. 13.

Καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ Ἀὐτὸς ὡς ἐπιμαρτυροῦντες ὅτι οὐκ ἔμελλε ἀποδοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ τοῦ ἑσθίου. Ἐπειδὴ οὐκ ἔμελλε ἀποδοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ τοῦ ἑσθίου, οὐκ ἔμελλε ἀποδοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ τοῦ ἑσθίου. *Ac simulabant una cum eo reliqui etiam Judaei, adeo ut Barnabas simul abduceretur eorum simulatione.*

§. 1.
Instituta
Methodi
Ratio.

QUUM mihi propositum esset propriam et adaequatam Conscientiae Regulam, quae nobis certa esset et tuta vivendi Lex, investigare, pernecessarium duxi ante ostendere quam gravi et periculoso in errore versentur ii, qui in rebus agendis Conscientiae suae securitati satis prospectum putant, si, aut boni Finis Intentione, aut Sancti alicujus Exemplo, aut Viri eruditione pietateque insignis judicio et auctoritate, se factaque sua quoquo modo tueri poterunt. Et quidem ad Conscientiae fructum, fiduciamque boni operis, caetera ni pariter adfuerint, in nuda bona Intentione quam parum sit praesidii, arbitror esse a me superiore Praelectione satis demonstratum evictumque multis rationibus, non esse facienda mala ut eveniant bona. Superest hodie ut itidem ostendam, non debere esse cujusquam hominis vel exemplum vel judicium tantae apud nos auctoritatis, ut in eorum alterutro secure acquiescat Conscientia; neque ex eo solo debite concludi posse, aut de praeterito omne id recte factum esse, aut de futuro omne id simpliciter fieri licere, quod alius quisquam quantavis doctrina vel sanctitate praeditus, aut ipse fecerit, aut licite fieri posse judicaverit.

§§. 2-5.
Pauli Pe-
trum repre-

2. Porro quam non sit tutum ad aliorum exemplar vitam nostram actionesque instituere, nec sufficiat ad Conscientiae

* There is a Transcript of this Lecture among the MSS. given by Bp. Barlow to Queen's College. P. 16. fol. 210. or ccxvi. in Coxe's Catalogue.

securitatem, si quod facimus aut facturi sumus, id ipsum a viro ^{hendentis} aliquo pio ante nos factum defendamus, e ^{factum.} Textus propositi verbis luculentissimo argumento confirmari potest, maxime si dicti occasionem ex rei gestae historia paulo altius repetamus. Petrus Apostolus, inter Gentiles ad Christi fidem conversos, qui Legis Mosaicae conscientia non tenebantur, Antiochiae degens, egit cum eis libera convivia, et appositos quoscunque cibos, non minus prohibitos populo Judaico quam concessos, pro ea quam in Christo habuit libertate indiscriminatim comedit. Ast ubi Hierosolyma Antiochiam venissent de gente Hebraea quidam Christiani, sive erant ii ficti illi fratres, *παρείσακτοι ψευδάδελφοι*, quorum versu quarto istius capituli meminit, qui velut a Jacobo missi, sed revera clam subingressi fuerant ad explorandam Pauli aliorumque Christianorum libertatem, ut nonnullis visum; sive potius, ut alii existimant, et fortasse rectius, infirmi fratres, a Jacobo quidem missi, sed de Legalium Rituum cessatione nondum satis plene edocti, Petrus, ut apud eos gratiam iniret, vel saltem ipsorum offensionem reveritus, abstinuit protinus a Gentilium mensis et societate, et a cibis Mosaica Lege prohibitis. Cujus inducti exemplo, Judaei etiam Antiocheni, qui Pauli et sociorum concionibus docti erant Christianam libertatem aliquanto melius quam Hierosolymitani illi, et de abolita Lege Ceremoniarum rectius senserant, imbecilles tamen adhuc et ipsi, et ritibus quibus diu assueverant addictiores, facile se passi sunt a communione fratrum suorum fidelium Gentilium segregari, non sine aliqua, ut verisimile est, levi saltem suspicione, Petrum, scilicet Apostolorum Coryphaeum, de his rebus rectius sentire, et se forte an a Paulo grata sed inani libertatis specie lactatos hactenus fuisse et deceptos. Quin et ipse etiam Barnabas, quod magis mirere, infirmiores enim ad lapidem offendiculi impingere non est aut novum aut insolens, qui Pauli assiduus in itinere comes et collega fuerat, qui Christianae libertatis doctrinam adversus Judaeos constanter asseruerat, tanti Apostoli auctoritate permotus, in eandem simulationis societatem concessit, non sine magno fidelium qui ex Gentibus erant scandalo.

3. Reprehensum a se hoc nomine Petrum, idque graviter et palam et merito, narrat hic Paulus. Non solum quod ipse, cum tot fratrum scandalo, ex nimio sive placendi studio sive offensionis metu, Judaismo faventio-rem se quam par erat simu-

laret; sed quod et alios suo exemplo in ejusdem hypocriseos participium pellegerat, eodemque exemplo pergeret credentes etiam e Gentibus ad Judaizandum reluctantae Conscientiae et quasi invitos cogere. Non sum nescius Hieronymum,^a post alios quos ille citat sententiae suae auctores, longe diversam afferre ab ea quam nunc attuli Paulinae reprehensionis interpretationem, scilicet, non serio et uti videbatur, sed *κατ' οἰκονομίαν* et ex composito inter duos summos Apostolos, Ecclesiae utilitate sic postulante, rem omnem gestam. Nimirum hoc voluit, simulationem Petri ad retinendos Judaeorum animos fuisse necessariam; quae tamen ne vergeret nimis in Gentium periculum, necessariam item fuisse et simulatoriam ejusdem a Paulo reprehensionem; qua et Judaeorum error de valida adhuc Legis rituum obligatione sic corrigeretur, ut eadem interim opera, ne quod inde creetur Gentilibus Christianis scandali periculum, caveretur. Ex amborum utique conjuncta simulatione id agi, ut tam Judaei quam Gentes, in Christi fide, quam non ita pridem amplexi essent, hac quasi pia fraude facilius retinerentur. Illud itaque, *κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντίστην*, sic interpretatur, accommode in illam quam tuetur sententiam, ut solet is prae reliquis Patribus, *δουλεύειν τῇ ὑποθέσει*, ut *κατὰ πρόσωπον*, ibi non *palam* et *in faciem*, i. e. coram populo et aperte significet, sed *specie tenus* et *secundum externam appearancem*; quo significatu *κατὰ πρόσωπον* alibi etiam usurpari constat, ut I Cor. x. 7.

- §. 4. 4. Non placuit Hieronymi sententia Augustino, qui negat ex compacto quicquam hic actum fuisse, sed Paulum sincere et ex animo intempestivae huic *συγκαταβάσει* semet opposuisse. Quare Hieronymum ejus erroris per Epistolam amice admonendum censuit:^b unde quum ille paulo commotior in eadem sententia perstaret, agitari coepta est quaestio inter ipsos missis ultro citroque Epistolis, magno utrinque, ut par erat in tantorum ingeniorum concertatione, acumine et rationum momentis. Stetit tandem plerorumque judicio ab Augustino victoria, quod erat adductorum ab eo argumentorum pondus: ita ut ex illo tempore paucissimis pedibus itum sit in alteram sen-

^a In Epist. ad Galatas. Epist. 95. [112. tom. i. col. 732 E. ed. Vallars.]

^b Inter Epistolas Hieron. Epist.

97. [Ep. 116. tom. i. col. 757. ed. Vallars. Cf. Epist. Augustin. ad Hieron. 28, 40, 83. tom. ii. ed. Bened.] &c.

tentiam. In quibus tamen mirarer si non esset Baronius.^c Qui, cautus ne quid detrimenti caperent res Romanae, ne labasceret Jovis sui Capitolini aut infallibilitas, si in Petrum cudi posset ulla erroris vel temerarii iudicii fabecula,* aut Oecumenica potestas, si quis mortalium ausus esset Petrum utcumque commeritum reprehendere, vel hiscere contra, dicendo, Domine, cur ita facis? nullum non movet lapidem, ut rejectam passim Hieronymi sententiam, et toto paene Orbe exulantem, postliminio quasi revocatam civitate donaret. Sed profecto is est Baronius, ut se passim prodat uni partium studio deditum; quem palam est in spisso illo et immensae diligentiae Anna-
lium opere, id sibi negoti solum dari credidisse, Pontifici ut gratificaretur suo, et omnium monumentorum fidem et auctoritatem, omnium opinionum et testimoniorum momenta, ex unius Romanae sedis dignitate et utilitate metiretur. Atqui Paulus, ut illuc unde paullum recessi redeam, Coapostolum suum Petrum *κατὰ πρόσωπον*, i. e. praesens praesentem, ut ea locutio, Act. xxv. 16, et alibi accipitur, audacter et palam, *ἐμπροσθεν πάντων*, importunae simulationis jure optimo redarguit; idque eo maxime nomine, quod facti sui exemplo Barnabam et ex Antiochia Judaeos in errorem induxisset; et Gentibus fidem Christianam recens amplexis, in Evangelicae libertatis discrimen, grave scandalum praebuisset.

5. Haec a me pluribus eo libentius commemorata sunt, quum ut loco aliquantum obscuro et jam olim controverso facem aliquam praeferrem, tum etiam ut evidentior esset ejus argumenti vis, quod ad thesin nostram confirmandam ex hac Apostoli diatriba deducitur. Siquidem Paulus non Petrum solum qui exemplo suo praeiverat, sed et Barnabam etiam caeterosque qui Petri exemplum secuti in eandem simulationem consenserant, notandos censuit *ὡς οὐκ ὀρθοδοῦντας*, quod minus recto pede, nec ut Christianae veritati et simplicitati congruebat, incederent. Omnino ut constet, apud Paulum judicem parum profuturum fuisse Barnabae vacillanti, et inter Judaismum et Christianismum quasi claudicanti, in simulationis suae patrocinium, Petri, summi quantumvis inter Apostolos nominis, exemplum advocasse. Esto, dignior sit acri repre-

§. 5.

^c Annal. ad ann. 51. [cap. 36. sq.]

* 'fabecula.' So corrected by Sanderson for 'labecula,' as it stood

in the first Edition. Compare Terence Eunuch II. iii. 89, 'Isthac in me cudetur faba.'

hensione Petrus, quod suo exemplo alteri nocuerit; at nihilo propterea excusator Barnabas, quod alieno exemplo peccaverit. Haec de primo nostro argumento ex Textu hoc Paulino.

§§. 6, 7.
Non sunt
omnia pio-
rum facta,
quae in Sa-
cra Scrip-
tura nude
recitantur,
imitanda.

6. Secundum Argumentum sumitur a difficultate judicandi, quum non sint omnia piorum facta imitanda, quoniam ex iis sint in exemplum trahenda, et quae non; idque ob duplicem quae est in eis incertitudinem. Utrumque enim fieri potest, ut quod a viro pio factum est non fuerit recte factum, aut quod est ab eo recte factum non tamen sit nobis imitandum. Imprimis, illud utrumque certum est, et quae constat esse perperam facta non esse imitanda, et suos fuisse viris vel sanctissimis naevos et lapsus. Quos et Sanctissimus Deus permisit aliquoties in gravissima peccata labi, adulteria, homicidia, idololatriam, fidei abnegationem, &c, ut se homines esse cogitarent; discerent ex sensu suo alienis infirmitatibus compati et ignoscere; adversus tentationes non suis viribus fiderent, sed ab ipsius auxilio toti penderent; sicubi validos tentationum impulsus sustinuissent invicti, inconcussi, illaesi, id omne ipsius Providentiae et Gratiae acceptum ferrent: ita eorum lapsus aliquot foediores in ipsis Sacrorum Voluminum tabulis sapientissimo consilio perscribi voluit, ut exstarent in omne aevum ex una parte humanae fragilitatis et inconstantiae, ex altera Divinae Bonitatis et Clementiae illustria nec peritura monumenta.

§. 7. 7. Dices fortasse non esse ea Sanctorum exempla sequenda, quae ipse Dei Spiritus in Sacris Literis, velut virgula censoria, ut perperam facta notavit. Quis enim sanae mentis sibi aut Davidis adulterium, aut Petri abnegationem, imitanda proponeret? Videri tamen tuto posse ab ejusmodi factis exempla sumi, quae in Scripturis ita narrantur, ut nullam adjectam habeant vituperationem, vel criminis aut culpae notam. Respondeo, nec hoc esse concedendum. Multa enim hominum facta in Scripturis, ut in aliis passim historiis, nude tantum et historice narrantur prout gesta sunt, quae a narrantibus nec disertim laudantur nec vituperantur: quorum tamen nonnulla indubie constat injusta fuisse, aut inhonesta, et a viri boni officio aliena; et de multis aliis non immerito dubitari potest fuerintne recte facta vel secus, de quibus disputare solent probabiliter et libere in utramque partem interpretes. Qualia

Gen. xix. 8. sunt illa Lothi, impuris civibus filiarum suarum stuprum offerentis; Josephi per vitam Pharaonis, ut putatur, jurantis;

Jacobi Esavo fratri paternam benedictionem astu praeripientis ; xxvii. 24. aliaque id genus compluria, Quae siqui eorum exemplo sibi etiam licere putent hoc solo nomine, quod ea a viris piis facta legant, damnata non legant, nae illi, dum incertissimae legi conscientias suas subjiciunt, sese interim certissimo errandi peccandique periculo objiciunt.

8. Atqui ea saltem Exempla nobis, quae in Sacris Literis diserte laudantur, secure sequi licebit, inquires. Immo ne id quidem simpliciter concesserim. Sed quod ad hanc rem attinet, dico, primo, quaecunque hominum facta in Sacris Literis aperte damnantur ut vitiosa, ea simpliciter esse fugienda ; potior enim est vis et usus exemplorum malorum, ut ab illis negative arguatur, quam bonorum arguendo ab illis affirmative. Quo arguendi genere utitur Apostolus noster, 1 Cor. x. 6, &c. Ubi propositis ex Veteris Instrumenti historia peccatorum diversi generis exemplis, ut et judiciorum Dei in Legis suae praevaricatores, monet ut ea omnes intueamur velut typos et exemplaria, non quae imitemur, sed quae vitemus, ^d—*εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν*. Ne scilicet concupiscamus mala, sicut quidam ex illis concupiverunt, neque idola colamus, neque scortemur, neque Christum tentemus, neque murmuremus in adversis, quemadmodum illos fecisse legimus.

§ 8-11.
Ne quidem
ea omnia
quae et lau-
dantur.

...Hoc quidam non belle : nunquid ego illi
Imprudens olim faciam simile ?^e

9. Dico, secundo, quae in Scripturis facta aperte laudantur, atque ita laudantur ut nobis quasi imitanda proponi videantur, non esse tamen omnia mox rapienda in exemplum, ita ut totum aggregatum sive integram actionem prout ab archetypo gesta est, nobis commendatam arbitremur. Sed delectu opus est, et cauto : ut quae laudantur, ea tantum ex parte imitemur ex qua laudantur. Cujus cautelae haec ratio est, quia solet Deus interdum, pro immensa sua bonitate, in actione mixta, id solum quod in ea bonum est intueri et comprobare : id quod vitiosum est, quasi dissimulando praeterire. Ut in Parabola, S. Luc. xvi. 8, *Laudavit dominus villicum iniquitatis, quod prudenter egisset, etsi fide parum integra*. Imitanda ergo nobis proponitur villici illius prudentia, non injustitia. Et in obste-

§. 9.

^d Ut fugerem, exemplis vitiorum iv. [106.]
quaeque notando. Horat. Sat. I. ^e Horat. ibid. [136.]

tricum Aegyptiarum laudato exemplo,* recens editos Israëlitidum partus servantium, Regiique mandati contemptum mendacio excusantium, non sunt confundenda cum humanitate et pietate mendacium, sed caute separanda: quorum hoc in vitio fuit, nec imitandum, illis solis data laus est a Deo, et a nobis debita imitatio.

§. 10. 10. Dico, tertio, in Scripturis laudari etiam actus heroum extraordinarios, quos illi, peculiari motu et afflatu Spiritus Sancti excitati, quasi ex peculiari mandato ediderunt, praeter legem communem; qui tamen non sunt ab aliis imitandi. Ejus generis erat celebre illud factum Phinehezi, quo a Deo Optimo Maximo et laudem meruit et praemium: qui, quum esset vir privatus, nulla legitima autoritate publica praeditus, impudicum tamen scortantium par ἐπαντοφώρῳ deprehensum spiculo † transfixit, Num. xxv. 8. Ut et alterum illud Eliae Prophetae, qui devocato caelitus igne missos se accersitum milites absumpsit, II Reg. i. 10, &c. Quod ejus factum, discipuli Christi Jacobus et Johannes imitari cupientes, quum praeceptorem suum ea de re consulissent, temerarium ipsorum consilium ita non comprobavit, ut objurgantis speciem indueret, retuditque eorum impetus acri castigatione. *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus estis*. Quasi diceret, Quin compescite ferocientis animi fervidiores impetus, et intra vocationis vestrae limites vosmet continete. Non siquid olim severius fecerit Elias, id ipsum vobis item faciendum existimate. Quod ab eo factum est, dictante et suggerente intus Spiritu Dei extraordinario factum est, cujus dictamen fuit ei peculiaris illius mandati instar quod Abrahae datum est de mactando filio Isaaco. At non est vestrum, quos nondum Dei Spiritus ad tale facinus perpetrandum extra ordinem vocavit, simile aliquid attentare,

S. Luc. ix.
55.

§. 11. 11. Quum itaque nec semper certum sit, id quod a viro pio factum legitur, laudari debere, nec si quid laudatum fuerit, id continuo imitandum esse, ad Conscientiarum nostrarum securitatem multo conducibilis est, actus nostros ad Legis regulam quae certa est, quam ad incerta hominum exempla exigere et conformare. Recte Augustinus, 'Haec quae in Scripturis Sanctis legimus, non ideo quia facta credimus etiam facienda credamus: ne violemus praecepta, dum passim sectamur ex-

* Augustin. contra Mendacium, capp. 15-17.

† Compare Sermon iii. ad Magistr. §. 14 et sq.

empla.^f Ubi post alia quaedam eodem pertinentia ita tandem concludit. 'Unde constat, quod non omnia quae a sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores.'^{*} Atque hactenus de secundo nostro argumento, a difficultate judicandi de Piorum Exemplis, propter incertitudinem quae in ipsis est.

12. Sequitur tertium, a difficultate rite applicandi aliorum exempla ad res et actiones nostras, propter incertitudinem circumstantiarum. Quae quum sit infinitae varietatis, infinities etiam variant humanarum actionum qualitates. Quod est *in thesi*, i. e. de suo genere licitum et liberum, atque etiam ita manet *in hypothesi*, manentibus scilicet iisdem circumstantiis, licitum et liberum, licitum autem dico, quod sine peccato fieri, liberum, quod sine peccato omitti, potest, id ipsum addita, dempta, aut quovis modo immutata vel unaqualibet circumstantia, reddi potest e licito illicitum, aut e libero necessarium. Ut quotidie usu venire cernimus in foro contentioso, quum inter partes litigantes causae aguntur. Ubi ab unius partis advocato citantur e libris in causae suae subsidium rerum judicatarum praecedentia, ut vocant, exempla: responderi solet ab alterius partis advocato, non esse eandem in utraque causa juris rationem, variare circumstantias, inde immutari casum, nec quae olim judicata citantur ad praesentem litem pertinere. Quod si fuerit rite demonstratum, concidit extemplo tota illa hoc fundamento nixa defensionis fabrica, nec erit apud Judices ullius momenti probatio a rebus judicatis sumpta. Hinc fit ut inter argumentationis species apud Dialecticos, Exemplum in postremis habeatur, velut illustrandae rei quam demonstrandae aptius instrumentum. Et profecto si sit verum illud Fabii, 'tot seculis nullam repertam esse causam, quae sit tota alteri similis,'^g omnino verisimile est posse eum facile errare, qui ex unius causae conditione de altera simili, non expensis ante cum omni diligentia utriusque circumstantiis, praepropere statuit.

13. Quo in genere, eo sumus in errorem procliviores, quod plerique hominum ita comparati sumus, ut in exemplis aliorum applicandis facta tantum ipsa intueamur, eaque avidè arri-

§. 13.

^f Lib. Contra Mendacium, cap. 9. [tom. vi. 459 E. ed. Ben. Paris. 1685.]

^{*} Ibid. 460 E.

^g Quintil. Inst. vii. in Prooem. [4.] * *Ἀν πολλὰ βάλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοίοις βαλεῖς.* Senarius Proverb. ap. Aristot. de Divinat. per Somnum. 2. [2.]

§§. 12, 13. In exemplis applicandis proclive est errare.

piamus, et in rem nostram trahamus, si saltem affectibus et desiderii cordis nostri adblandiri videantur, causae interim factorum, et finis, et modi, et circumstantiarum, earum praesertim quae cupiditatibus nostris adversari videntur, aut nullam aut perexiguam rationem habeamus. Sugillat quosdam sui

Amos vi. 5.

temporis Propheta, qui in mediis publicis calamitatibus securi otio, luxu, et omne genus voluptuosis genium suum oblectabant; dicebantque inter alia, se Davidis instar excogitasse sibi instrumenta musica. Quasi dicerent, Cur id nobis vitio vertatur, quod Davidi laudi fuit et honori? Musica instrumenta et modulationes exercuit vir ille sanctus: idem et nos facimus, dissimulantes interim quod fuerat in illo exemplo praecipue imitandum, id a Davide factum in honorem Dei, et publici Cultus solennitatem, non ad conviviorum luxum, et in fomentum molitiei et lasciviae.

§§. 14, 15.
Perversae
Imitationis
aliquot
Exempla.

14. De Imitatione Oratoria multa praecipiunt Rhetores: nimirum futuro Oratori utile esse, ut virum aliquem egregium et in dicendi facultate praestantem sibi proponat, quem studeat imitari. Quod idem ad vitae institutionem, ut salubre praecceptum, accommodant Philosophi. Hortatur Seneca† ut ad alicujus eximii praestantisque viri exemplum vitam moresque componamus: ‘Longum enim iter esse per praeccepta, breve et efficax per exempla.’ Et habet Exemplum conjunctam cum suadela et utilitate oblectationem quandam, ut in puerulis videre est, qui aliorum jussis quum aegre obtemperent, facta tamen magna cum voluptate imitantur. Sed monent tamen qui ista praecipiunt, ad bene recteque imitandum acri judicio opus esse, ut prudenter delectum faciamus, quum eorum hominum quos imitari velimus, tum earum rerum in quibus ipsos imitemur. Ridet Fabius* elumbes quosdam, ut ipse vocat, Oratores, qui affectata quadam eloquentia et inani verborum circuitu dum Ciceronianum dicendi genus aemulantur, magnum se quid et eximium consecutos existimabant, si in clausulis posuissent *esse posse videatur*. Notat et ipse Cicero perversam quorundam hac in re diligentiam, qui propositis sibi ad imitandum summis Oratoribus, ‘nil illorum,’ ut ille loquitur, ‘nisi

* Quintilian. Instit. Orat. x. 2. 18, ridicules the affectation of *Esse videatur*. The expression *fractum atque elumbem* is found in the Dialogue de Claris Oratoribus, §. 18,

which, in Sanderson’s time, was commonly attributed to Quintilian, instead of Tacitus, with whose works it is now usually printed.

† Epist. vi.

vitium sequuntur.' Qualis erat Fusius quidam, C. Fimbriae boni Oratoris imitator non bonus: de quo ita Cicero, 'nervos in dicendo C. Fimbriae, non assequitur, oris pravitatem imitatur.* Basilium, Caesariae Episcopum, ob eximiam eruditionem et pietatem cognomento Magnum, in tanta fuisse apud omnes existimatione scribit Nazianzenus,† ut non pauci tanti viri καὶ τὰ σωματικὰ ἐλαττώματα, pallorem oris, incessum, tardam pronunciationem, aliaque corporis vitia, studiose affectarent et aemularentur. Quemadmodum non defuisse testantur alii, qui Demosthenis magni Oratores Rhotacismum, et summi Philosophi Aristotelis τραυλότητα studiose effingerent. 'O imitatores, servum pecus!'^h

15. Jocum moverent ista, fateor, quaeque apud probos Auctores occurrunt sexcenta istis similia perversae imitationis exempla magis quam bilem, si in sermone tantum et externo corporis habitu gestuque ea perversitas, non autem in vita et moribus obtineret. Sed et in his quoque, nihilo fortasse rarius, certe longe perniciosius, 'decipit exemplar vitiis imitabile,'ⁱ dum pravis cupiditatibus abrepti, propriisque affectibus nimis indulgentes, e magno exemplorum cumulo ea fere deligimus libentius, et in ipsis eas circumstantias vehementius urgemus, quae commodissime videntur in eam partem flecti posse qua inclinant jam ante animi, ut sic affectibus et cupiditatibus nostris inserviat. Id quod facillime deprehendet ab iis egregie factum, qui εὐραξίαν ex Ecclesia, e Republica pacem exturbare moliantur, quisquis libellos nuper ab Anabaptistis, Brownistis, aliisque ejusdem furfuris Sectariis, vel superioribus aliquot annis ab eorum vera propagine Reformatoribus Puritanis editos, attentius inspexerit. Cujus perversitatis in hoc hominum genere ut vobis specimen aliquod exhibeam, quod sine justa cujusquam cordati viri offensione facturum me spero, date mihi, quaeso, veniam, unicum ipsorum argumentum a Christi et Apostolorum ejus exemplo ductum, brevi examini subjicere: quod quum sit ab ipsis prolixè satis, addo et satis animose tractatum, quam solide, quam sincere in eo argumento se gesserint, vestrum erit judicare.

§. 15.

* De Orat. ii. 22. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non &c. . . pravitatem et verborum latitudinem imitatur.

† Orat. 20. §. 103.

^h Horat. Epist. I. xix. [19.]

ⁱ Horat. ubi supra. [17.]

§§. 16-22.
Argumentum ab
Exemplo,
contra in-
geniculatio-
nis ritum
in Sacra
Coena per-
cipienda,
examine
subjicitur.

16. Prodiit quadraginta circiter retro annis, adversus ritum ingeniculationis in Sacra Synaxi, editus a quibusdam Exoniensis Dioeceseos ministris, junctis scilicet operis, libellus.* Inter alia quae undique conquisita argumenta congesserunt, in hoc uno quod a Christi exemplo petatum est prae caeteris videntur quasi triumphare. Argumenti vis et summa haec est. Non licere homini Christiano in actione aliqua religiosa ad cultum Dei pertinente a Christi et Apostolorum exemplo, quod quidem sit imitabile, ullatenus recedere, quum sit omnis Christi actio imitabilis, et quam alii sunt recte imitati, ab omnibus Christianis imitanda: Christum autem et Apostolos alio corporis situ et non genibus subnixos, Sacra Signa percepisse: proinde et nobis Christianis pariter faciendum. Hoc tam diluto, paene dixeram putido, sophismate quum impositum sit non indoctae modo plebi, sed et aliis, qui si magis saperent melius cum Ecclesiis Christi ageretur, operae pretium erit nonnulla vobis quae vanitatem totius argumentationis abunde demonstrant observanda proponere.

§. 17. 17. Observate itaque, primo, *μετάβασις* hic fieri *εἰς ἄλλο γένος*, foedo et vix pueris condonando errore. Quum enim de gestu tota lis sit, disputant illi importune admodum de actionibus. Esto omnem Christi actionem imitandam esse: at gestum quis dixerit esse actionem? Quae duo adeo late invicem disparata sunt, ut nec in aliquo communi genere conveniant, sed ad distincta Praedicamenta pertineant: gestus ad Situm esse,† Actio ad proprium et sui nominis Praedicamentum.

§. 18. 18. Observate, secundo, quatuor illa ultima et minorum gentium Praedicamenta, Ubi, Quando, Situm, et Habitum, ejusdem

* The nearest approach which I have found myself able to make to the Book here referred to has been in the following two Works, of which the former is in the Bodleian, and the latter in the British Museum:

The Remouall of certaine Imputations laid upon the Ministers of Deuon and Cornwall by one M. T. H. [Thomas Hutton.] 4^o. 1606. No place.

A Dispute upon the question of kneeling in the acte of receiving the Sacramentall bread and wine, proving it to be unlawful: or a third parte of the defence of the Ministers

Reasons, for refusall of the Subscription and Conformitie required. Against the severall answers of

1. D. Spark, in his brotherly persuasion to Unitie &c.
2. D. Covel, in his booke against M. John Burges.
3. Thomas Hutton, in his 2. booke against the Ministers of Devonshire and Cornwall.
4. Thomas Rogers in his two Dialogues, printed this yeare 1608. 4^o. 1608. No place.

† 'esse.' So in all the Editions, except Whewell's, which gives 'Situm scilicet.'

esse fere rationis et momenti respectu illarum actionum quibus velut comites adjunguntur, quandoquidem nihil aliud sunt quam relationes quaedam inferioris notae, et circumstantiae actionibus ipsis prorsus extrinsecae. Non videri proinde rationi consentaneum, ut vi Exempli Christi et Apostolorum obligemur ad eorum imitationem in Situ tantum; in reliquis autem tribus, Ubi, Quando, et Habitu, vel istorum ipsorum judicio qui hoc Exemplum urgent non obligemur. Neque enim ipsi existimant esse necessarium, aut quoad Ubi, ut Sacra Eucharistia in privatis aedibus et in coenaculo domus superiore, *ὑπερώφ*, celebretur; aut quoad Quando, ut prima nocte et post coenam; aut quoad Habitum, ut a ministro tunica inconsutili induto. Quae tamen omnia fuisse in prima Coena observata, ex Sacra Historia constat, nec est ab illis negatum. Quum ergo eam libertatem et ipsi sumant et aliis concedant, ut liceat a Christi et Apostolorum praxi in hisce omnibus illaesa Conscientia discedere, libenter a novis his magistris edoceri velim, quid sit in illo Situs praedicamento adeo singulare, ut tam multo sive infra sive supra consortium suorum censum haberi mereatur, nec liceat sine grandi sacrilegio a primitivo illo exemplo ex hac tantum parte discedere. Aequa sane res est, ut aut pari passu ambulent quatuor ista, Ubi, Quando, Situs, Habitus, aut justa aliqua discriminis ratio cur id ne fiat assignetur; quod non est ab iis hactenus, quod sciam, factum, nedum tentatum.

19. Observe, tertio, quam debeat omne factum exemplare ita esse certum ut non possit negari; quod ab illis assumitur, et ego lubens concesserim, Christum et Apostolos non genibus flexis sed alio aliquo gestu celebrasse primam illam Coenam, id non ita liquido constare ex aliquo Scripturae textu, ut si pernegetur posset probari. At illud *ἀνακείσθαι* quod est in Evangeliiis, annon innuit saltem gestum tricliniarem, illis temporibus et regionibus familiarem? Immo omnino nego ex solo usu istius vocabuli posse probari certam aliquam speciem Situs. Ab ea Situs specie, quae in tricliniis olim adhibita est, utriusque vocis origo fuit, Graecae *ἀνακείσθαι*, et quae huic respondet Latinae *discumbere*. Sed vocabulorum vim et pondus improbo examini subjiciet, quisquis ea postquam multo usu adoleverint et se latius extenderint et dilataverint, ad prima quasi incunabula revocare et antiquis finibus includere velit. Significant ergo illae dictiones ex communi usu loquendi actum illum quo nos

§. 19.

destinato applicamus alicui loco idoneo cibi capiendi causa, quocumque demum situ vel positura corporis id fiat, statu, sessione, ingeniculatione, discubitu proprie dicto, vel quolibet alio.

§. 20.

20. Sed quia, licet non ex vi vocis ἀνακείσθαι, aliunde tamen, ex quibusdam scilicet historiae circumstantiis, colligi videtur admodum probabiliter, Christum et Apostolos in prima illa Coena gestu usos tricliniari, observate, quarto, novos hosce Dictatores nostros legi illi, quam ita severe imponunt fratrum suorum Conscientiis, ipsosmet interim non parere. Si enim Christus in Sacra Coena instituenda gestu usus sit tricliniari, exporrectis scilicet in substrato lectulo pedibus et tota corporis parte inferiore, superiore in cubitum reclinata, cur isti ipsi, qui hoc argumentandi genere tam operose utuntur, hoc Christi Exemplum, quod est certe imitabile, non imitantur? Cur non sibi lectulos parant et triclinia, ut sic ab omni necessaria in eam rem suppellectili instructi, eodem quo Christus et Apostoli gestu Sacrae Mensae participes fiant? A quo gestu tam discedere certum est eos qui stant aut sedent, quorum alterutrum et ipsi faciunt et aliis faciendum suadent, quam qui in genua procidunt. Si dicant, et quidem dicunt, exolevisse jam olim gestum illum tricliniarem in hoc Occidentali Orbe, et proinde nos non jam teneri ad eundem Situm in specie; teneri tamen vi primitivi illius exempli ad eundem Situm in genere, hoc est ut utamur saltem gestu, ut vocant, mensario, qui sit illi tricliniari analogus et succedaneus pro more nostrae gentis, quem admodum illi tunc eo gestu usi sunt, qui ex passim recepto illorum temporum et locorum more ad mensam a convivis solebat adhiberi,—‘Ad populum phaleras!’* Adeone homines ex affectuum praeiudicio, et contradicendi libidine quadam, ab omni sana mente excidisse, ut haec tam futilia pro solidis Orbi obtrudant, aut sperent istiusmodi officii cuiquam cordato viro imponi posse? Quae quam sint inania et abs re ut breviter et liquido ostendam, exorandi mihi sunt qui sic disputant, ut paucis his interrogatiunculis directe et sine aliqua tergiversatione respondeant.

§. 21.

21. Quaero ab illis, primo, quum tam certum sit Christum, si usus est gestu tricliniari, nec sedentem comedisse nec stantem, quam certum est eum, si eo gestu usus est, non comedisse genibus subnixum, cur non vi illius exempli tam obligemur a

* Persius, Sat. iii. 30.

sedendo vel stando abstinere in ipso communicandi actu et articulo, quam ab ingeniculando? Ex ista enim suppositione sequitur, e tribus illis corporis posituris nullam esse, quae non Exemplo Christi aequè destituatur ac reliquae duae. Aequum proinde esse, quod de quatuor ultimis Praedicamentis paulo ante dictum est, ut pari jure fruantur singulae: pariterque universae vel ut reae damnentur, vel ut inculpatae absolvantur. Si dicant, quod est ipsorum solenne diverticulum, successisse gestui tricliniari ex more gentis sessionem vel stationem, non successisse ingeniculationem, quaero, secundo, unde fiat ut aliqujus gentis, puta Anglicanae, tacita Consuetudo sufficiat ad hoc, ut gestui tricliniari succedat sessio vel statio ad mensam communem; Lex autem positiva ejusdem gentis non sufficiat ad hoc, ut eidem gestui succedat ingeniculatio ad Mensam Sacram? Poteritne sensim et sine publica auctoritate immutata Consuetudo id efficere, ut non ultra deceat vel liceat quod olim nec indecens habitum est nec illicitum? Non poterit publica auctoritate sancita Lex, populi etiam expresso consensu stabilita, usuque diuturno et moribus comprobata id efficere, ut saltem licitum deinceps habeatur, quod nulla legitima ratione constat fuisse unquam illicitum? Ubi revera pugnant inter se duae res, Lex et Consuetudo, quod hic tamen vix sit, aequum esse fatebitur quisquis incolumi capite est, ut cedat Legi Consuetudo, non Consuetudini Lex. Quaero abs illis, tertio, existimentne serio, an non existiment, continuo peccare eum qui ad mensam communem flexis genibus cibum caperet. Si peccare dicant, quum sit omne peccatum Divinae Legis transgressio, cedo ejus Legis praeceptum aliquod, contra quod sic faciendo peccetur. Si fateantur sine peccato id fieri posse, annon animadvertunt ea confessione sua se vineta caedere, et argumentationis suae vim omnem evertere? Quarto, supposito quod exolevisset jam olim gestus ille tricliniariis, eique successisset statio vel sessio ante primam illam Coenam, ita ut oportuerit Christum et Apostolos aut stantes comedisse aut sedentes, quum utrumque simul fieri non potuerit, quaero, num si illi stantes comedissent, nobis etiam ita stare necessarium esset ut sedendo peccaremus, et e contra? vel liberi essemus ad utrumlibet? Si dicant nos liberos esse ad utrumlibet, omnino jacet argumentum ab Exemplo Christi ductum, quia supponitur illum alterutrum tantum fecisse, non utrumque. Si dicant,

nos praecise teneri ad illam speciem qua supponitur Christum fuisse usum, cur ergo ipsi tam severi dictatores libertati cujusque Ecclesiae permittunt standi vel sedendi optionem? Quaero, quinto, si nos obliget Exemplum Christi ad sui imitationem, cur determinetur haec obligatio praecise in gestu mensario, quae est species subalterna, et non vel ceterius stet in genere aliquo superiori, vel ulterius protendatur ad speciem aliquam inferiorem? Hoc est quaerere, quum sint tria haec, gestus ut genus superius, gestus mensarius ut species ei subalterna, gestus tricliniaris ut species infima, (Christus autem et gestu usus fuerit, et gestu mensario, et gestu tricliniari,) cur gestus mensarius, quae est intermedia species, censi debeat ad rectam Christi imitationem et necessaria et sufficiens, et non vel gestus aliquis in genere sufficiens, vel gestus tricliniaris in specie necessarius? Quaero, denique, fueritne gestus tricliniaris * a Christo et Apostolis in prima Coena adhibitus imitabilis, vel non? Imitabilem fuisse, sat scio, non negabunt, immo ne possunt quidem negare, qui inde praecipuum causae suae firmamentum petunt; sic enim proponunt Christi Exemplum nobis de necessitate imitandum, non omne simpliciter, sed omne quod est imitabile. Quod igitur illi ultro largiuntur libens accipio, et propositionem, scilicet, ‘Omne Christi exemplum imitabile obligare Christianos ad sui imitationem;’ et assumptionem pariter, scilicet gestum illum in specie, sive fuerit ille tricliniaris, quod admodum probabile est, et nunc saltem supponimus, sive quis alius, quo Christus in prima illa Coena usus est, esse imitabilem. Ex his praemissis sic colligo, Ergo vi istius Exempli obligabantur proximi post Christum saeculi Christiani ad eundem gestum in specie quo usus est Christus; ergo similiter obligabantur et secundi saeculi, itemque tertii, et sic deinceps usque ad haec tempora. Ergo et praesentem Ecclesiam ad gestum tricliniarem in specie obligari fatendum est, si Christus eo gestu usus est; aut saltem ostendendum est, quo tempore, qua ratione, quo auctore, quo jure et auctoritate sublata sit illa obligatio.

§. 22. 22. Ex his quae dicta sunt liquet, Argumenti illius, quod tanta cum pompa ab illis instruitur, vim omnem eo tandem recidere, ut non possit rectius et in rem suam accommodatius

* Dr. Whewell included the word that it interferes with the course of ‘tricliniaris’ in brackets, conceiving the reasoning.

proponi, quam sub hac forma. Exemplum Christi et Apostolorum in tantum obligat, quantum nobis visum est expedire ut obliget. Sed nobis expedire visum est ut obliget ad non ingenuandum, ulterius vero non obliget: ergo eatenus tantum obligat, et non ulterius. Piget ista, fateor: non est aut hujus loci, aut istius aetatis, aut moris nostri, risum captare in re seria. Sed quid facias istis hominibus? Nimirum indiget istiusmodi patrocínio causa non bona; nec fieri potest ut non multa inania, et si penitius examinentur perabsurda, sibi quae parum consentanea, dicere saepe numero cogantur, qui partium magis studio duci se patiuntur quam veritatis. Equidem ex animo loquor, et quod res est. Etsi multae passim in eorum scriptis occurrant parum solide disputata, utinam non quaedam etiam parum sincere, non memini tamen usquam me observasse tanto cum conatu et molimine meras nugas agi, aut ex tanta montium parturitione tam misere ridiculum prodire foetum, quam quum nuda Piorum Exempla e Sacris Literis adducta, aut ad excusandum ea facta quae videntur Lege aliqua Divina prohiberi, aut ad inducendum obligationem in Conscientia in his quae non videntur Lege aliqua Divina praecipii, importune urgentur. Sed unde digressus sum, si tamen digressus sum, redeo, et pergo ad

23. Argumentum quartum, ab Exemplorum fine et usu proprio. Habere enim Exempla suum usum, eumque ad morum institutionem et vitae emendationem permagnum, omnino fatendum est. Alioquin nec tam multa in Sacris Literis perscripta essent,—*quaecunque enim perscripta sunt, eis τὴν διδασκαλίαν ἡμῶν,** Rom. xv. 4. *πρὸς νοθεσίαν ἡμῶν, I Cor. x. 11. ad nos erudiendos aut commonefaciendos perscripta sunt,*—nec tam constanter ab Apostolis ubique inculcarentur. *Sumite, fratres mei, pro exemplari patientiae Prophetas. Audivistis patientiam Jobi. Elias oravit.* Omnia haec Jac. v. 10, 11, 17. *Imitatores mei estote, sicut ego Christi, I Cor. xi. 1. Quae audivistis, et vidistis in me, haec agite, Phil. iv. 9. Eos considerate, qui sic ambulant sicut habetis nos pro exemplari, Phil. iii. 17. et similia passim.* At non est is usus aut finis Exemplorum, ut sint nobis pro regula vivendi, sed ut sint subsidia quaedam et adminicula, et quasi stimuli ad excitandam ignaviam nostram et torporem excutiendum, quum

* *eis τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν.*

§§. 23, 24.
Quis sit
Exemplorum
Usus.

segniores sumus et tardiores in officio faciendo quam par est. Solet enim fragilitas humana, objecta praesertim gravi tentatione, accedente etiam Satanae et mundi impulsu, de severitate Legis Dei et obediendi difficultate multa apud se submurmurare, immo et aperte quandoque conqueri; in via qua eundum est grassari leones; undique strui pedibus suis laqueos, insidias, scandala; perferendas injurias, contumelias, calumnias, bonorum rapinam; charos parentes, chariora pignora, uxorem, amicos, possessiones, patriam, vitam ipsam relinquenda, immo et odio habenda. Quam duri sunt hi sermones! quam non ferendum jugum! Quoties subeunt mentes nostras istiusmodi cogitationes, ita ut jam paene despondeamus animum,^k et omnem officii curam velut rei impossibilis et inquam inanis sit omnis opera nostra et irriti conatus, tantum non abjicere incipiamus, excitantur aliquantulum languentes spiritus, et ad contemnendas omnes difficultates, superandas tentationes, perferendas contumelias paulatim erigitur animus opportuna Exemplorum auctoritate.¹ Quum serio cogitamus viros, pios quidem et sanctos, sed *ὁμοιοπαθεῖς ἡμῶν*, iisdem quibus nos perturbationibus, cupiditatibus, tentationibus obnoxios, gratia Dei, quae nec nobis defutura est, si ab eo toti pendeamus, et conatus simul nostros fideliter adjungamus, adjutos, ea omnia et perfecisse et pertulisse, quae nobis aut facienda aut ferenda, Deo sic dispensante, incumbunt: redire mox animi, incalescere pia aemulatione pectora, et *inter meditandum exardescere ignis*, dum erumpant tandem e plenitudine cordis hae aut persimiles voces, 'En me paratum, Domine, obire quod jubes, subire quod imponis.' *Nubes illa testium*, quae nos quacunque circumspectamus cingit undique, suadet ut omni abjecto aegri animi tumore et gravedine, peccatique, quae ut nos arcte complectitur,* ita per Dei gratiam si strenue conemur non aegre comprimitur, importunitate, propositum nobis stadium fortiter et constanter et patienter decurramus.

Ps. xxxix.
4.

Heb. xii. 1,
&c.

§. 24.

24. Hortatur Jacobus Apostolus, cap. v, ad orationis instantiam, exemplo Eliae, qui importunis suis precibus, *προσευχῇ προσήφατο*, coeli ostia quasi pro arbitrio obseravit et reseravit.

^k Turpiter desperatur, quidquid fieri potest. Quintil. Inst. i. 10. [8.]

¹ Quum quid difficile videtur, difficiliora alios obeuntes recensea-

mus. Tertull. ad Uxor. i. 5.

* Sanderson seems to have followed Erasmus: *tenaciter inhaerente peccato*.

Quod ne quis existimaret Eliae meritis et sanctitati deberi potius, quam Divinae Promissioni fidelium precibus ex foedere gratiae factae, praeripit hanc suspicionem Apostolus in ipso narrationis exordio, *Elias*, inquit, *homo erat ὁμοιοπαθῆς ἡμῶν*, vers. 17. Homo erat, non Deus aut Angelus; nec de meliore luto, sed ex eadem qua caeteri homines massa effectus. Hic est ergo usus Exemplorum proprius et perutilis; ast meminisse interim oportet, Exempla non esse regulam ipsam, nec regulae pondus et instar habere, immo esse et ipsa, siqua dubitandi ratio appareat rectene an secus facta sint, ad regulam diligenter exigenda. Ὑπόδειγμα λάβετε τοὺς Προφῆτας, inquit Jacobus, v. 10. Ubi nescio an illud ὑπόδειγμα specialem habeat ἐνέργειαν et vim. Mihi certe innuere videtur sanctorum Prophetarum actus non esse παράδειγμα, Exemplar illud principale quod est praecipue nobis intuendum; sed quasi illius ἀπόγραφον et secundarium Exemplar, quod non est ex se et propter se authenticae auctoritatis, sed eatenus fidem habet et auctoritatem, quatenus concordat cum Originali. Ex hactenus dictis ergo conficitur, Non sufficere ad bonitatem actus humani, quod sit alicujus viri sancti exemplo conformis; nec proinde posse cujusquam Conscientiam in ejusmodi conformitate, nisi sit et ipsum exemplum regulae conforme, secure et tuto acquiescere.

25. Porro, ut ad alteram propositi nostri partem tandem accedamus, eadem ferme ratio est judicii alieni, quae et Exempli; idque ob easdem fere causas: ita ut hac in re non sit opus multis. Percurram itaque breviter. Primo, sunt omnes homines, quantumvis docti et pii, non minus erroribus quam peccatis obnoxii, immo fortasse vel multo magis, quo acutiore mentis indagine opus est ad internoscendum veri et falsi discrimen quam boni et mali. Ex ignorantia illa naturali, qua mentes nostrae velut caligine quadam obductae sunt; ex educatione, quae animos nostros adhuc teneros fingit et efformat, et notionibus quibusdam instruit et imbuit quas non facile est eradere; ex longo usu et consuetudine quae velut altera natura est; ex pravis affectibus, qui judicio offundunt nebulas, et rectum ejus usum impediunt; ex aliis ejusmodi causis permultis, adeo proclive est homini errare, labi, decipi, ut jam olim in Proverbium abierit ‘Humanum esse errare.’^m

§§. 25, 26.
Cujusquam
hominis
placitis in-
tutum est
Conscien-
tiam subji-
cere.

^m Cicero, Philipp. xii. [2. 5. Cuiusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.]

§. 26. 26. Adde huc, secundo, quod nec ipsi semper de eorum pietate et prudentia, quorum judicia sequi volumus, sincere iudicamus. Quin solenne est iis qui se permittunt alieno arbitrato duci, eos sibi duces deligere quos jam ante sciunt ducturos se in ea via, qua ipsi jam ante constituerant proficisci. Sic homines incautos Satanas quasi circulo inclusos tenet. Si quaeras, cur hoc putent esse verum et rectum, respondent quia ita nos docuit hic vel ille vir pius et prudens. Si quaeras iterum qui sciant doctorem illum suum esse virum pium et prudentem, respondent, vel responderent saltem si ex animo loqui vellent, 'Quia nobiscum sentit.'

Et sapit, et mecum facit, et Jove iudicat aequo.ⁿ

Metiuntur nimirum plerique mortalium pietatem alienam, non ex praxi officiorum vitae Christianae, et ex operibus iustitiae, misericordiae, charitatis, et devotionis, sed ex studio earum partium quibus se addixerunt, et earum odio quibus se inimicos profitentur. Κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τὰς ἰδίας ἑαυτοῖς ἐπισωρεύοντες διδασκάλους, inquit Apostolus, II Tim. iv. 3, *Coacervantes sibi metipsis doctores secundum proprias concupiscentias: κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν*, ut ibidem sequitur aptissima metaphora. Quum iis aures pruriunt, quaerunt scilicet qui eas scabant; atque ita accidit eis quod veteri Proverbio dici solet, 'Muli se mutuo scabunt.'*

§. 27. 27. Tertio, diserte nos prohibet Sacra Scriptura, aut alterius cujuslibet iudicio Conscientias nostras subijcere, aut in alterius Conscientiam dominium exercere. *Ne vocemini Rabbi, unus est enim vester ὁ καθηγητής, magister*, praeceptor, doctor, ductor, *Christus*, Matth. xxiii. 10. *Ne multi estote magistri, fratres mei*, S. Jac. iii. 1. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, ὡς τῆποι*, ut facem ei praeferentes, verae fidei doctrinam et vitae piaae exemplum, sed non ὡς κατακυριεύοντες τῶν κληρῶν, I Pet. v. 2, 3. *non quasi exercentes dominatum et imperium merum in clerum et populum Dei. Empti estis pretio: nolite fieri servi hominum*, I Cor. vii. 23. Ut Conscientias vestras cujusquam hominis auctoritati ex ipsius arbitrio et imperio regendas permittatis.

§. 28.
Pontificis
Romani in

28. Hinc ergo illud imprimis sequitur, ut ex iis quae a nobis hactenus posita sunt et probata Corollaria nonnulla infe-

ⁿ Horat. II. Epist. I. 68.

Titulus unius ex Satyris Menippeis

* De iis qui se mutuo laudant. Varronis. &c. Forcellini. v. *Mulus*.

ram, sed pauca et paucis, merito exosam esse debere cuilibet Christiano Romani Pontificis conjunctam cum summo fastu non ferendam tyrannidem: qui dum sibi suaeque Cathedrae arrogat judicium infallibile, exercet eo nomine, quasi jus suum, dominatum in Conscientias hominum, eoque, ut si dicat virtutes esse vitia, et vitia virtutes, teneantur sub mortali peccato omnes Christiani ipsius judicio sine ulla haesitatione semet subdicere.* Et proinde agnoscendam esse cum omni grati animi significatione summam et singularem Dei Optimi Maximi in nos bonitatem et misericordiam, qui nos patresque nostros et Ecclesiam Anglicanam tam iniqua tyrannide dudum exemerit, et justae libertati quasi postliminio restituerit.

29. Atqui, secundo, cavendum nobis et universis et singulis, ne, illa tyrannide liberati, novo jugo colla subdamus; nec tam excussisse jugum, quam permutasse deprehendamus.

§§. 29, 30. Aliorum judicio nec nimium tribuendum,

.....Quae bellua ruptis,

Quum semel effugit, reddit se prava catenis?o

Interest profecto nostra, si aut internae Conscientiae aut externae Reipublicae et Ecclesiae paci serio consultum velimus, omnino curare ne, ut olim in Ecclesia Corinthiaca *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae*, sic apud nos istiusmodi voces audiantur, 'Ego sum Lutheri, ego Calvinii, ego Arminii, ego Socini.'† Quin esto *omnis homo mendax, et verax solus Deus*. Non est dignus qui sit Christi, qui non est unius Christi, discipulus. Actum est de Fidei Christianae simplicitate et sinceritate, postquam itum est in partes. Neque ulla spes est ante restitutum iri pristino vigori et virori Religionem Christi, quam diducta tot fracturis et scissuris vulnera, fraternae condescensionis oleo velut malagmate delinita, in eandem Fidei et Charitatis unitatem coeant et coalescant.

30. Cavendum porro, tertio, ne pravis affectibus indulgentes, ita nos abduci patiamur in cujusquam personae admirationem,

§. 30.

* See Bellarmin, De Romano Pontifice, iv. 5. Quod autem non possit Pontifex errare in moribus per se bonis, vel malis, probatur. Nam tunc Ecclesia non posset vere dici sancta, ut in Symbolo Apostolorum vocatur. . . . Secundo, quia tunc necessario erraret etiam circa Fidem. Nam Fides Catholica docet omnem virtutem esse bonam,

omne vitium esse malum; si autem Papa erraret praecipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona et virtutes malas, nisi vellet contra Conscientiam peccare.

o Horat. Sat. II. vii. 70.

† Compare Sermon vii. ad Populum, §. 23.

S. Jud.
vers. 16.

ut ex ipsius auctoritate toti pendeamus, *θαυμάζοντες πρόσωπα ὠφελείας χάριν*. Quibus verbis intendit digitum Apostolus ad ipsissimum totius mali fontem. Nempe non aliunde emanavit omnis illa nominum* perversa admiratio, quam ex perdita illa et nimia sui admiratione. Dum quisque propriae utilitati studet, 'inservit honori,' gloriae velificatur; alios omnes aestimat ex suo commodo; et corrupto jam hisce affectibus iudicio, eos protinus admiratur maxime, quos utilitati, honori, gloriae, aliisque suis cupiditatibus minime adversaturos arbitratur. Quod ipsum alter etiam Apostolus, quem ante citavimus clare significat, ubi notat homines *sibi κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας praeceptores deligere*.

11 Tim. iv.
3.

§. 31.
nec parum.

31. Caeterum, ut, non obstantibus quae a me dicta sunt, sua constet interim et Ecclesiae Catholicae et unicuique viro docto et pio justa auctoritas, admonendi estis, primo, iudicio et praxi Universalis Ecclesiae, in Sacrarum Literarum interpretatione, et in dijudicandis fidei et morum controversiis, plurimum deferri oportere: secundo, et viri docti iudicio et auctoritati nonnihil tribuendum, ad eximendum ex animis hominum scrupulos minus necessarios, atque etiam ad dirigendum Conscientias in rebus dubiis, de quibus non potest aliter haberi ulla certitudo. Sed de horum utroque erit fortasse posthac commodior dicendi locus.

* 'nominum.' See 1 Cor. i. 12. quoted in the preceding Section.

PRAELECTIO QUARTA.*

IN QUA QUAE SIT ADAEQUATA CONSCIENTIAE
REGULA DISQUIRITUR ET STATUITUR.

S. JAC. IV. 12.

Unus enim est Legislatoꝝ, qui potest servare et perdere.

QUAM parum sit unicuique praesidii, ad Conscientiae suae §§. 1-3.
sive fructum, ad excusandum ea quae hactenus fecerit, sive Quae sit
securitatem, ad ἀφόβως aggrendendum quae porro facturus est, illa Consci-
entiae Re-
si ea aut sola boni Finis Intentione, aut alieni tantum Exempli
vel Iudicii auctoritate nitantur, satis a me superque proximis
duabus Praelectionibus demonstratum est. Eo nimirum con-
silio, ut, sublatis e medio his velut obieibus, expeditior mihi et
complanatior esset via ad ea quae de Conscientiae Obligatione
dicere institueram. Quae Obligatio quum sit duplex,† Activa
scilicet, per quam inducit alteri Obligationem, et Passiva, per
quam alterius Obligationi subest, postulat ordinis ratio ut a
Passiva ordiamur. Tunc enim de re mensurata securius pro-
nunciare poterimus, postquam constiterit mensuram ipsam esse
justam. Quod ergo nunc agitur hoc est, ut inquiramus quid sit
id quod proprie obligat Conscientiam: sive, quod idem est,
quae sit propria et adaequata Conscientiae Regula, cui se, ut
recta sit, conformare teneatur. Quae inquisitio ut certius et
commodius instituatur, paucis quibusdam velut explicandi gra-
tia praemissis, rem ipsam tandem quibusdam conclusionibus
complectar.

2. Sciendum itaque, primo, Conscientiae ut munus suum §. 2.
debite exsequatur, necessariam esse aliquam Regulam, cui sub-
esse debeat. Ubiunque enim est virtus aliqua activa, quae
non est de natura sua determinata ad unum in agendo, sed est

* There is a Transcript of this of Queen's College. P. 16. fol.
Lecture in one of the MS. Volumes 225.
given by Bp. Barlow to the Library † Compare Praelect. ii. §. 2.

in potentia ad utrumlibet, ita ut possit recte agere vel secus ; sive ea virtus sit *Habitus* de prima, sive *Potentia naturalis* de secunda specie *Qualitatis*, oportet ut sit *Lex aliqua* vel *Regula*, *Nóμος* sive *Κάνων*, quae eam in agendo dirigat. Quotiescunque enim aliquid se ut faciendum offert phantasiae, sive a sensu externo repraesentatum, sive ex interna quadam animi suggestionem, quia *Voluntas*, quae est proximum agendi principium, est, ut dici solet, *Potentia caeca*, nec potest ex se malum a bono discernere, ut ita sit ipsa sibi *Regula*, *Ratio inquisitiva* mox ad *Conscientiam* recurrit ut ejus dictamen audiat. Cujus munus est rem propositam statim examini subjicere : examine facto, sitne persequenda vel fugienda, facienda vel omittenda judicare ; et, prout judicaverit, ita *Voluntati* dictare : hoc est, rem eam libero arbitrio ut eligendam vel non eligendam proponere. Ad quod examinandi, judicandi, dictandi munus, ne temere id praestet et *ὦς ἔτυχεν*, et caecam *Voluntatem* ipsa non minus caeca in transvorsum ducat, opus est ut certa aliqua sit norma, ad quam fiat examen.

§. 3. 3. Sciendum, secundo, esse in *Regulis*, sicut et in *Causis*, subordinationem quandam ; et sicut in *Causis* invicem ordinatis, posteriores quaeque si ad priores comparentur habent rationem effectuum, sic in *Regulis* et *Mensuris*, invicem ordinatis, posteriorem quamque respectu superioris habere rationem regulati sive mensurati. *Regula* igitur *Conscientiae* quum sit duplex, altera proxima et immediata, prima et remotior altera, *Regula* illa proxima, sicut habet rationem *Regulae*, respectu ipsius *Conscientiae* quam dirigere debet, sic habet rationem regulati, respectu *Regulae* primae a qua et ipsa dirigenda est.

§§. 4, 5.
cui debeat
esse con-
formis, in-
quirendum.

4. Sciendum, tertio, quum consistat cujusque rei rectitudo in conformitate ipsius ad suam *Regulam*, sicut est duplex, ut jam diximus, *Conscientiae* *Regula*, proxima et remota, ita duplex est etiam *Conscientiae* rectitudo, duplici illi *Regulae* respondens. Potest enim *Conscientia* recta dici, vel *ἀπλῶς*, simpliciter, absolute, et usquequaque recta ; vel *κατά τι*, secundum aliquid et quadamtenus recta. Hoc modo recta est, si sit conformis *Regulae* suae proximae et immediatae : quemadmodum is dicitur de aliqua propria passione habere scientiam certam et veram, qui potest ipsam de suo subjecto per proximam sui causam demonstrare, etsi nequeat ulterius ascendere.

At illo modo tum demum recta est Conscientia, quum et ipsa Regulae suae proximae conformis est, et illa insuper Regula Regulae primae:* quemadmodum is dicitur habere rei alicujus certam, id est perfectam, scientiam, qui omnes ejus causas novit usque ad primas. ‘Tunc enim unamquamque rem scire dicimur,’ inquit Philosophus, initio Lib. I. Phys.† ‘quum omnes ejus causas, principia, et elementa cognoscimus usque ad prima.’ Proinde ut certitudo scientiae, etsi oriatur immediate ex cognitione causae proximae, resolvitur tamen ultimate in cognitionem causae primae, sic rectitudo Conscientiae, etsi attendatur immediate penes conformitatem ad Regulam suam proximam, resolvitur tamen ultimate in Regulam suam primam et supremam.

5. Sciendum, quarto, quum de Obligatione Conscientiae loquimur, Obligationem illam non significare coactionem aliquam, Conscientia enim proprie loquendo non magis cogi potest quam ipsum liberum Arbitrium, sed imperium potius et potestatem urgendi eam, cum auctoritate tamen cui ipsa obedire tenetur, ad faciendum quod sui est officii, eodem omnino modo, quo Princeps, qui habet potestatem νομοθετικήν, ferendo Leges obligat subditos ad ipsarum observationem. Sicut ergo in foro externo subditos ad obediendum obligat, proprie et formaliter, non Lex ipsa, sed potestas Legislatoris,‡ vere tamen dicitur et Lex ipsa obligare, etsi improprie et quasi materialiter, sive terminative, quia per eam et ad eam fit Obligatio; sicut dicitur Lex etiam judicare—*Num Lex nostra judicat quemquam?* Joh. vii. 51.—etsi ipsa non judicet, sed Praetor, quia Praetor debet secundum Legem judicare; sic et in foro interno Conscientiam proprie obligat non Regula sive Lex ei imposita, sed potestas et auctoritas imponentis; ita tamen ut ex consequenti, vere et non incommode, licet minus proprie, dici possit Regulam ipsam obligare. Quum ergo quaeritur, quid sit illud quod obligat Conscientiam ad faciendum officium suum,

§. 5.

* The doctrine that the conformity of Conscience to its proximate Rule makes it relatively right, but that the conformity of the proximate Rule to the primary Rule is requisite in order to make it absolutely right, is sound Morality; but Sanderson has not sufficiently illustrated by examples what he means by the

proximate and what by the ulterior Rules of Conscience. WHEWELL.

† Aristot. Nat. Ausc. i. I. I. τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαστον, ὅταν τὰ αἷτια γνωρίσωμεν τὰ πρῶτα καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρῶτας καὶ μέχρι τῶν στοιχείων.

‡ Compare Praellect. v. §. 5, and viii. §. 15.

utrumque hoc quaeritur, primo et principaliter, quis sit Dominus Conscientiae, qui jus habeat et potestatem imponendi ei Legem seu Regulam cui se debeat conformare; deinde, secundario et consequenter, quae sit Regula Conscientiae, ceu Lex ab illo Domino suo imposita, cui ex ejus imperio conformare se teneatur?

§§. 6, 7.
Eorum
quae Con-
scientiam
obligant
varii gra-
dus.

6. Sciendum, quinto, quum quidquid alteri attribuitur, attribuitur vel per se, vel non per se; idque iterum dupliciter, vel non per se, id est, per aliud, vel non per se, id est, per accidens: res illas proinde, quibus vis obligandi Conscientiam quovis modo attribui posse videtur, esse in triplici discrimine. Vel enim, primo, obligant Conscientiam per se simpliciter: hoc est, directe ex se et vi propria obligant, non solum ut τὸ per se opponitur τῷ per accidens, sed etiam ut opponitur τῷ per aliud. Vel, secundo, obligant per se respective, prout τὸ per se opponitur τῷ per accidens, sed non prout opponitur τῷ per aliud: hoc est, obligant non ex vi sua propria, sed virtute alicujus alterius vim obligandi habentis. Vel, tertio, obligant per accidens tantum, et neutro modo per se. Quin et in illis quae secundo modo obligant discrimen aliquod observandum est, pro diversa ratione illius causae ex qua oritur Obligatio. Aliter enim se res habet, quum ex aliena auctoritate necessario inducitur Obligatio: aliter, quum ex propria voluntate sponte contrahitur. Ex quibus omnibus efficitur ut sint eorum quae obligant Conscientiam gradus omnino quatuor. Exempli gratia, ut et ea quae dicta sunt rectius intelligatis, et eorum quae dicenda forent rudem quandam ὑπογραφήν ὡς ἐν τύπῳ habeatis, obligat, primo, per se et vi propria expressum Dei Mandatum. Obligant, secundo, nulla tamen vi sua sed virtute Divini Praecepti, Leges humanae et Mandata Superiorum. Obligant, tertio, ex libera cuique electione et facto proprio, quum ei integrum ante esset aliter fecisse, sponte suscepta Vota. Quarto, denique, et ex accidente, obligat Lex sive ratio Scandali.

§. 7. 7. Sciendum, ultimo, Obligationem illam duntaxat quae est in primo gradu esse absolutam et universalem; reliquas tres relativas et particulares. Illa absoluta est, quia directe obligat, et semper, et universos; et est ejus vinculum plane insolubile. Reliquae relativae dici possunt, tum quia non ex se et vi propria obligant, sed per relationem ad Praeceptum aliquod aut Institutum Dei, tum quia non semper, ubique, et in omni casu

obligant, sed quando rationes illae, quas respicere debent, exigere videntur. Praejudicat ergo primi gradus Obligatio cuius Obligationi in aliis quibuscunque gradibus ita ut ipsa reliquas irritas faciat, non autem ipsam illae. Immo universim Obligatio in superiore quoquo gradu validior est, caeteris paribus, Obligatione in gradu quocunque inferiore, atque ei praejudicat, vel tollendo jam contractam, ut plerumque, vel saltem, idque perpetuo, impediendo contrahendam. Cedant ergo oportet quantum ad obligandi vim Leges humanae Divinis, privatae pactiones et promissiones Constitutionibus publicis, hisce demum omnibus Scandali Lex.

8. His ita praemissis, ut certa nobis constet vivendi Lex, ea quae de Conscientiae Regula et ejus Obligatione passiva sunt maxime scitu necessaria, quibusdam Conclusionibus, prout pollicitus sum, complectar. §. 8-11. CONCLUSIO PRIMA. Deus solus directum habet in Conscientias imperium. CONCLUSIO PRIMA. Deus solus merum et directum habet imperium in Conscientias hominum. Ita ut extra Deum nemo potestatem habeat Legem imponendi Conscientiae cujusquam hominis, cui ut per se obligatoriae subjicere sese debeat. Dico per se, quia obligamur omnes in Conscientiis justas Leges humanas observare, fidem Deo vel hominibus datam praestare, ne simus aliis scandalo cavere; sed ad ista omnia non aliunde obligamur, nisi in quantum ad Dei Voluntatem ista omnia imperantis revocantur, ut de singulis suo loco videbitur.

9. Probatur haec Conclusio. Primo ex verbis illis Apostoli jam propositis, *Unus enim est Legislator, qui potest servare et perdere.* Ubi duo se offerunt in rem nostram argumenta. Primo enim Deum asserit esse unum Legislatorem, non unum e multis, vel prae caeteris unum; sed exclusive unum, hoc est unicum. Alias argumento usus esset ad probandum quod volebat parum efficaci. Reprehendit nimirum eos, qui de personis aut factis alienis temere ferebant iudicium, ut juris alieni invasores. *Quis tu, inquit, qui alium iudicas?* Quasi diceret, 'Noris te, qui sis, et quas res agas.' Non est tuum falcem tuam in alienam messem immittere; multo autem minus in Omnipotentis Dei solium temet audacter ingerere. Si nescis, illius unius est de Conscientiis hominum iudicium ferre, cujus unius est ipsorum Conscientiis Leges imponere; is autem praeter unum Deum nullus est. *Εἷς ἐστὶν ὁ νομοθέτης.* Deinde soli Deo potestatem asserit servandi et perdendi. Unde secundum ex-

§. 9.

struitur Argumentum. Is solus jus habet Conscientiis aliquid imperandi aut prohibendi, qui potestatem habet Conscientiam imperata facientem gratuitis praemiis, detrectantem justis suppliciis, afficere. At penes unum Legislatorem Deum est hominibus praemia et poenas pro Conscientiae cujusque qualitate retribuere. Ipsi ergo soli jus est in hominum Conscientias.

§. 10.

10. Probatur secundo. Qui solus novit internos Conscientiae motus, solus potestatem habet Legem illis praestituendi: quia Lex de ignotis nec statuit nec judicat; at soli Deo καρδιογνώστη cogniti sunt interni cordium et Conscientiarum motus: ergo penes ipsum solum potestas est Legem Conscientiis imponendi quae ipsas obliget. Hinc est quod Leges humanae externos tantum corporum motus obligant ad externam conformitatem, a quarum imperio et cognitione interna interim cogitationes, omnesque mentium et Conscientiarum motus prorsus immunes sunt. Adeo ut non tantum viri sancti et veri Dei cognitione imbuti, quales fuere tres viri illi apud Babylonios captivi, Dan. iii, et Maccabaei fratres septem, sed et Ethnicorum Sapientes plurimi tyrannorum minas et tormenta riserint, ut qui non in ipsos, sed in ipsorum θυλάκους tantum et ἀποδέρματα saevierint. Quin audiamus quid Servator noster Christus hac in re et ipse senserit, et suis praeceperit, *Nolite, inquit, timere eos, qui quum interemerint corpus, non habent quod amplius faciant: sed metuite eum, qui potestatem habet ubi occiderit, et in infernum conjiciendi*, Luc. xii. 4, 5. Quasi dixisset, Habent tyranni ex permissione Dei in corpora potestatem; ast in animas hominum et Conscientias nullam habent ἐξουσίαν, jus nullum. Non possunt aut Leges rogare, aut irrogare poenas quae ad interiorum hominem pertineant. In totum hominem Dei unius jus est, qui potest neglecti officii non a corpore solum sed et ab anima poenas sumere, et totum hominem aeternis suppliciis addicere.

§. 11.

11. Probatur, tertio, ex conditione ipsius Conscientiae et naturali ejus statu, quam jam ante diximus ita medio quodam inter Deum et hominis voluntatem intervallo positam, ut quod de Regibus et Imperatoribus vere dici solitum est, de singulorum hominum Conscientiis non minus vere dici possit, solo Deo minores* esse, nec aliquem in terris Superiorem agnoscere.

* Tertullian. ad Scapulam, §. 2. a Deo secundum, . . . solo Deo minore. Colimus Imperatorem . . . hominem

Memorable est Maximiliani Primi, Imperatoris, quod legimus dictum illud, ‘Conscientiis dominari velle est arcem coeli invadere.’* Praedator est gloriae Dei, et potestatis sibi debitae nefarius inceptor, quisquis in Conscientias hominum aut sibi jus arrogat, aut dominatum exercet. Viderint Romani Pontifices, quique illis aut Canonistae parasitantur, aut supparasitantur Jesuitae, caeterique, ut se hujus tam immanis sacrilegii crimine liberent. Quin et illos quoque, qui Conscientias suas quae soli Deo absolute subesse debent, ullius creaturae potestati ita subijciunt ut ex illius arbitrio toti pendeant, cautos velim, ne dum servitutis honorem, qui Deo soli jure debetur, in creaturam conferunt, e creatura, quod interpretative saltem idololatria est, Deum faciant. Ex hac prima Conclusionem quam hactenus firmavimus sequitur hoc *πόρισμα*, Regulam Conscientiae propriam eam esse, quam ipsi Deus Supremus Legislator praestituerit, nec extra eam aliam admitti oportere.

12. Sequitur CONCLUSIO SECUNDA. Conscientiae Regula §§. 12, 13. proxima et immediata, etsi nec adaequata nec summa, est SECUNDA: Proxima Conscientiae Regula, recta Ratio. Lumen menti pro tempore praesens, id quod alii Lumen Rationis, alii Legem Mentis, Scholastici fere post Philosophos rectam Rationem appellare solent.^a Probatur haec primo ex S. Scripturae locis aliquot: Luc. xii. 57. *Quare non ex vobismet ipsis judicatis quod justum est?* inquit Servator Christus. Quasi diceret, est vobis internum lumen, a vera illa luce mentibus vestris inditum *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, cujus ope, nisi vobis ipsis deesse velitis, poteritis † ‘rectum dignoscere curvo,’^b et iniquo discernere justum. Est et notissimus locus, Rom. ii. 14, 15. *Quum Gentes quae Legem, scriptam scilicet, non habent, natura ea quae sunt Legis faciunt*, id est exercent actus prudentiae, justitiae, fortitudinis, temperantiae, et reliquarum virtutum, *isti Legem non habentes sibi ipsis sunt Lex: Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium una perhibente* S. Joh. i. 9.

* A slip of memory for Maximilian the Second. See Schmidt, *Neuere Geschichte der Deutschen*, ii. 365; and Thuanus, *Histor.* lxii. tom. iii. 134. Geneva, 1626.

^a [Μόνω] τῷ λόγῳ, καθάπερ ἐπι-
τρόπῳ σώφρονι, παρακαταθετέον τὸν
βίον [καὶ τὴν νεότητα.] Socrates

apud Stobaeum λογ. [Tit. iii. 43. ed. Gaisford.]

† Horat. II. Epist. ii. 44.

^b [ὡς τὸ συνειδὸς διδάσκει τούτων
ἐκότερον,] τὸ οἰκείον καὶ ἀψευδὲς κρι-
τήριον. Greg. Nazianz. Orat. xv.
[tom. i. 227 D. ed. Bill.]

conscientia sua, et invicem se cogitationibus accusantibus vel etiam defendentibus. Ex quibus verbis manifestum est Conscientiam in illis suis Actibus, testificandi, accusandi, defendendi, quos exercet circa jam facta, de illis omnibus ex impresso menti Rationis lumine judicare. Unde consequitur, quum sit de praeteritis et futuris eadem judicandi Regula, Conscientiam et in illis suis Actibus qui circa facienda versantur, examinandi, judicandi, dictandi, &c, eodem illo lumine, ut eorundem actuum regula et mensura, uti. Illud Ps. iv. 6, quod a plerisque Latinorum Patrum, posterioris praesertim aevi, et a Scholasticis passim affertur in firmamentum hujus Conclusionis, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, prudens omitto, quum nitatur illa verborum interpretatio versione* non proba, nec videatur ad mentem et scopum Prophetæ multum pertinere.

§. 13.

13. Probatur, secundo, ex communi more loquendi. Solemus enim dicere, eum qui secundum Lumen mentis suae operatus est, bona usum Conscientia, etsi fortassis id fecerit vel omiserit quod non fuit ab eo faciendum vel omittendum: eum e contra, qui dictamini mentis suae non auscultaverit, sed contra fecerit, mala Conscientia rem egisse. Paulus Apostolus, Act. xxiii. 1, profitetur se *omni bona conscientia Deo servivisse usque ad illum diem.* Quae verba si et ad anteriorem vitae partem, quum nondum factus esset Christianus, extendenda sint, quod multis placuisse video, et mihi quidem videtur valde probabile,† statuendum est eum, etsi Christiano nomini et fidei infestis-

1 Tim. i. 13. simum hostem, et, ut ipse fatetur, *persecutorem* adhuc et *blasphemum*, dici tamen potuisse etiam tum omni bona Conscientia *πεπολιτεῦσθαι τῷ Θεῷ*, quod omni illo tempore nil fecerit, nisi quod Conscientia ipsius, pro mensura luminis quod tunc habuit, faciendum sibi dictaverat. Revera enim existimabat, ut ipse, in altera sua, apud Regem Agrippam, apologia, palam Act. xxvi. 9. et sincere profitetur, *ἔδοξα ἐμαυτῷ*, oportere se *adversus nomen*

* The Vulgate, which seems to have followed the LXX. Ἐσημειώθη ἐφ' ἡμᾶς τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. The rendering exhibited in the Authorized Version and in the Prayer Book Psalter, *Lord, lift Thou up the light of Thy countenance upon us*, is undoubtedly correct, containing an

allusion to the Levitical Benediction, Numb. vi. 25, 26. See Hengstenberg's Commentary on the Psalms.

† In Sermon vi. ad Populum, §. 24. Sanderson mentions this view of the passage, without avowing it as his own, as here he does.

Jesu Nazareni multa contraria facere. Sed quidquid de Paulo ejusque tunc temporis Conscientia statuendum sit, illud interim certum est, Deum ipsum testimonium perhibuisse Abimeleco, qui Abrahae uxorem, ignarus rei, in contubernium suum accersiverat, id ab eo *in integritate cordis sui*, id est, bona Conscientia, factum fuisse: non alia sane ratione, quam ea quae se excusabat Abimeleco, quod scilicet si eam scisset fuisse maritam, non eam fuisset in aedes suas deducturus.* Potest ergo Conscientia, ex ignorantia non culpabili, forte an et aliunde erronea, vel Deo judice dici non quidem simpliciter et absolute, sed tamen quadamtenus et secundum quid bona et recta, propter conformitatem quam habet cum lumine mentis suae, ut Regula sua proxima et immediata. Sed ut *ὀλοκλήρως* et usquequaque recta dicatur, huic conformitati accedat oportet altera et ulterior, ut nimirum conformis sit Regulae suae primae et supremae. Quenam autem sit illa, aliquanto propius inquirendum est.

14. Esto itaque haec CONCLUSIO TERTIA. Sacra Scriptura, §§. 14-17. sive verbum Dei Scriptum, non est Conscientiae Regula adaequata. TERTIA. Scripturae non est adaequata Conscientiae Regula. Probatur, primo, extra cujuscunque rei Regulam adaequatam, non est necessarium ut sit ejusdem rei Regula aliqua alia; adaequatio enim excludit necessitatem alicujus supplementi. Sed extra Sacram Scripturam necesse est ut sit alia Conscientiae Regula. Alias, Gentes quae non habent Scripturam nullam haberent Conscientiae suae Regulam, quod rationi, experientiae, et Apostoli, loco paulo ante citato, aperto Rom. ii. 14. testimonio vel maxime adversatur. Inesse omnibus hominibus Conscientiam, eamque alicui Legi subesse, quae ipsam ut norma dirigat, res ipsa clamat. Unde enim illae, quarum meminit Apostolus, exstantque in historiis et in vita communi plurima passim exempla, graves illae Conscientiae accusationes; easque consecutae animorum aegritudines, flagella, cruciatus, tormenta, illae Tragicorum Furiae et *Ἐπιπτώσεις*, nisi ex violata Conscientiae Lege? Quae si nulla esset, essent eo feliciores barbarissimi quique populi, quanto ab Evangelii voce et sonitu remotiores, utpote quibus nulla posset juste imputari peccati culpa. *Ubi enim non est Lex, nec transgressio* esse potest, Rom. iv. 15, quum sit peccatum nihil aliud quam *Legis transgressio*. *Ἡ γὰρ*

* Compare Sermon vi. ad Populum, §. 11 sq.

ἀμαρτία ἢ ἀνομία, 1 Joh. iii. 4.* Magnam esse Conscientiae vim in utramque partem,^c ut et nihil metuat, qui nullius sibi culpae conscius est, et nihil non metuat, quem exagitat scelerum suorum Conscientia, Veterum Ethnicorum non Scholae tantum personant, sed et Rostra et Theatra; qui tamen nihil de Mose, nihil de Christo, nihil de Lege et Prophetis, nihil de Evangelio et Apostolis, unquam inaudiverant. Ergo non est Scriptura sola et adaequata Conscientiae Regula.

§. 15. 15. Probatur, secundo, a proprio Sacrae Scripturae fine, qui est *σοφίσαι εἰς σωτηρίαν*, II Tim. iii. 15, *sapientes nos red- dere ad salutem aeternam per fidem quae est in Christo Jesu*. Quum enim non posset Lumen naturalis Rationis ad ea quae nos perducant ad finem supernaturalem sufficienter pertingere, quum propter obscuratum nimis ex Adae lapsu naturale illud Lumen, tum etiam quia ad finem supernaturalem opus est mediis supernaturalibus, placuit Deo, imbecillitatis nostrae habita ratione, voluntatem suam pro ea qua ipsi visum est mensura hominibus in Verbo suo patefacere. Gratoso admodum, et nobis salutari consilio, ut non solum ea quae proprie sunt fidei, nec possunt lumine naturae cognosci, nobis nota fierent per Revelationem Divinam, sed et in iis quae natura nobis cognita sunt, perfectius et salutarius instrueremur: quo nimirum ea ipsa opera, quae Natura dictat esse utcumque facienda, ex nobiliori principio orta Dei amore, et ad nobiliores fines ordinata Dei Gloriam et animarum nostrarum Salutem, e moralibus spiritualia fierent, Deoque per Christum grata et accepta. Est ergo Scriptura, quoad supernaturaliter Credenda, sola et adaequata Fidei Regula; estque eadem, quo ad Agenda etiam, quatenus sunt spiritualia et ad finem supernaturalem ordinata, sola et adaequata Morum Regula; atque ita ex consequenti, Agendorum Regula principalis, et ut ita dicam architectonica. Sed quum ad Conscientiam spectat circa res agendas inquirere, non ea duntaxat ratione qua sunt spirituales, an fiant ex charitate, et in finem supernaturalem dirigantur, sed ea etiam qua morales sunt, sintne bonae vel malae, licitae vel illicitae, liberae vel necessariae: ut de his rebus rite iudicetur, non ex sola Scriptura, sed et aliunde etiam petenda sunt opportuna adjuncta.

* Compare Praelect. v. §. 5. viii.

^c Cic. pro Milone. [61. Compare the opening of the first Praelection.]

16. Probatur, tertio, ex ipsius Scripturae forma, caractere, et temperamento. Quae quum plurima contineat non unius generis Praecepta, quorum alia ad Mores pertinent, alia ad Ritus; alia omnibus ex aequo communia, alia certo alicui populo, ordini, aut personae peculiaria; quaedam ad tempus aliquod duratura, alia perpetuae obligationis; quaedam *κατὰ γνώμην*, vel *κατὰ συγγνώμην*, et quasi per modum consilii de rebus aut plerumque expedientibus, aut pro certo rerum statu et conditione temporum; quaedam *κατ' ἐπιταγήν*, et quasi per modum mandati, de rebus simpliciter et ubique necessariis: si non esset alia aliqua Regula extra Scripturam discernendi Moralia Praecepta a ritualibus, temporaria a perpetuis, singularia a communibus, omnino in incerto haereret saepissime Conscientia, quo se verteret nescia, praesertim quum diversi generis Praecepta eodem quasi halitu prolata, eodem sermonis tenore, et verborum continuo nexu, immediate invicem se consequuntur. Exempli gratia, Levit. xix. 18, Praeceptum est de diligendo proximo sicut seipsum. Versibus immediate sequentibus praecipitur ne duorum generum jumenta coire sinantur, ne ager diversi generis seminibus seratur, ne vestis e lini lanaeque textura conficiatur. Quorum illud morale et universale Praeceptum esse, ista, sive Caerimonialia sive Judicialia, uni Judaico populo peculiaria, nemo est qui dubitat. Sed quum haec leguntur in Ecclesiis, quod sit inter ea aliquod ejusmodi discrimen, non potest ex aliquo ipsius Textus indicio constare. Ejusdem etiam capituli versu 30, Sabbati sanctificatio et Sanctuarii reverentia continua verborum serie pariformiter praecipuntur, idque eadem solenni Juris sanctione, *Ego Jehovah*. Esse tamen non dubito qui putent, altero Praecepto Conscientias hominum etiamnum teneri, altero non teneri. Cur tamen sic putent, quum sit in ipso Textu ubi omnia sunt paria tam lati discriminis nec vola nec vestigium, non aliunde certe est quam ex rationis et prudentiae judicio: quo secluso non possunt obligatoria Praecepta a non obligatoriis sic dignosci, ut non fluctuet saepenumero Conscientia, nec certo sciat, quid sibi faciendum sit, quid non faciendum, judicare.

17. Probatur, quarto, ex incommodis diversae sententiae; nimirum gravissimis illis malis, quae Ecclesiam Christianam jamdiu exercuerunt, postquam ex male intellecta de Sacrae

§. 16.

§. 17.

Scripturae perfectione doctrina, obtinuit apud aliquot magni nominis viros periculosissimus error, nihil licite fieri posse nedum praecipui, quod non esset a Deo in Scriptura aut praecceptum, aut laudabili saltem exemplo comprobatum. Hoc semel jacto fundamento, coepere mox praefervidi ingenii viri non pauci, zelo Dei, ut ex charitatis judicio credere par est, *sed non secundum scientiam*, abrepti, de Ritibus Ecclesiasticis rixas et turbas ciere non necessarias. Scilicet eliminandas ex Ecclesiis Christi et abigendas procul Caerimonias in Sacris Literis non praescriptas, Leges de rebus adiaphoris ab hominibus latas refigendas, reformandas per Orbem Ecclesias, et ad Evangelicam puritatem et simplicitatem omnia revocanda. Stetit hic aliquandiu, sed non diu hic stetit, effraenis hominum temeritas; sed, ut fieri amat, *ἐνὸς δοθέντος τ' ἄλλα συμβαίνει*. Hoc fonte derivata audacia effluxit tandem in apertam rabiem, et exivit jamdiu in furorem Anabaptisticum. Et, quamvis quo porro progrediatur vix habeat, usque tamen progreditur indies, et nova quotidie parturit opinionum monstra, ut nisi ex sacrosancto Dei Verbo didicissemus firmum stare *fundamentum Dei*, neque adversus Ecclesiam Christi praevalituras unquam ex toto inferorum portas, omnino metuendum foret, ne universa Christi Ecclesia, Atheismi velut diluvio obruta, toto Orbe funditus periret.

11 Tim. ii.

19.

S. Matt. xvi.

18.

§§. 18, 19.

Nihil hinc
defractum
Scripturae
perfectioni.

18. Neque vero existimet quis, ista me declamatorio more invidiosius conqueri quam pro rei ipsius merito. Id enim mihi persuasissimum est, qui hunc errorem penitus imbiberit, importunis Anabaptistarum, Socinianorum, aliorumque quos nominare non libet apud nos Sectariorum argumentis, in plerisque earum quae nunc dierum agitantur controversiis, nullo modo posse satisfacere; nam ut certam Ecclesiastici Regiminis formam praeteream, quam heri nati Politico-Theologi nostri non aliunde quam ex hoc ipsissimo fundamento, quod eam e Scripturis nusquam constare putent, aut penitus sublatam volunt, aut, quod parum abest, ad civilem Magistratum delatam, Diei Dominicae observationem, Ministrorum Evangelii missionem, Baptismum infantium, aquae in Baptismo pro totius corporis immersione inspersionem, Sacramentalem Gratiam, aliaque per multa quae depromptis e Socini pharetra telis strenue oppugnant moderni Sectarii, aut ex Ecclesia una cum Ritibus et Legibus Ecclesiasticis exterminanda esse, ex suo illo principio

concedant necesse est, aut mutata in melius sententia, una cum illis et ista etiam sine peccato retineri posse fateantur.

19. Atqui hoc est, inquietis, Scripturae perfectioni, quam libenter agnoscunt omnes Reformatarum Ecclesiarum Theologi, derogare, Pontificiorum Traditionibus januam aperire, et argumentis a Scriptura negative ductis, quibus usi frequenter et priscae Ecclesiae Patres, et utuntur etiam horum temporum doctissimi quique Theologi, vim omnem adimere. Respondeo, Pontificios perfectioni Scripturae in eo derogare quod in Fidei dogmatibus, et rebus ad Salutem necessariis Traditiones obtrudant non scriptas, cum scripto Dei Verbo pari veneratione recipiendas, quasi non ex se valeret σοφίαι εἰς σωτηρίαν, et conferre filiis Dei paternam haereditatem, Christi Testamentum, sine affixis humanarum traditionum codicillis. Eos autem qui a Scripturis negative disputant, de rebus ad Salutem necessario credendis aut agendis intelligendos esse, siquidem uti debent eo utantur argumento. Caeterum nunc non de Fidei Regula quaeritur, sed Conscientiae; nec de ejus Regula praecipua, sed adaequata; nec quid homini Christiano sit necessario credendum vel agendum ad consequendam animae Salutem, sed quid a viro pio et prudente licite fieri possit vel non pro hic et nunc. Summa est, Scripturam sacram esse fidei et supernaturaliter credendorum, actionum item moralium, qua ex parte spirituales sunt et ad finem supernaturalem ordinantur, adaequatam Regulam; esse etiam Conscientiae Legem et agendorum moralium Regulam praecipuam et supremam, ita ut ubi Scriptura de re quavis aliquid in universum statuit praecipiendo prohibendove, non fas sit alteri cuicumque Legi ex adverso intercedere: non esse tamen ita Conscientiae Legem unicam, ut quod non est ibi praeceptum continuo illicitum sit, quia non est praeceptum. Et haec de tertia Conclusionem.

§. 19.

20. Sequitur QUARTA. Propria et adaequata Conscientiae Regula Dei Voluntas est, qualitercunque hominibus revelata. Hanc alii Legem Dei, alii Legem aeternam dicunt, vocabulis pro suo cujusque arbitrio, sed eodem sensu. Hujus Conclusionis singulae particulae expendendae sunt. Dico, primo, Voluntas Dei. Cujus Voluntatis notissima est illa distinctio, quam tamen a Scriptoribus aliquoties animadverti aut non recte explicari, aut non rite applicari, in Voluntatem Bene-

§§. 20-22.
QUARTA.
Adaequata
Conscientiae
Regula, Vo-
luntas Dei
qualiter-
cunque
patefacta:

placiti, et Voluntatem Signi. Prior illa, quam Beneplaciti vocant, ea est, qua Deus ab aeterno apud se constituit quid ipse velit facere. Altera quam, Signi appellant, ea est qua nobis Legem praestituit, significando quid velit a nobis fieri. Quorum illa proprie et univoce Voluntas Dei est, haec improprie et *αναλόγως* sic dicta. Voluntas illa Beneplaciti est ipsi quidem Deo, si de tanta Majestate *κατ' ἀνθρώπων* loqui fas sit, quodammodo agendi Lex; semper enim ille facit quod ipsi complacitum est; sed non est a Deo nobis in Legem data, ut sit Conscientiae nostrae Regula, saltem quod ad res agendas attinet. Pertinet illa quidem aliquo modo ad Conscientiam respectu perpessionum; a posteriori scilicet et hoc sensu quod obligamur in Conscientia quodeunque contigerit id omne aequo animo ferre,^d postquam nobis ex eventu constiterit id Deum voluisse; quia hoc dictat recta Ratio, non debere nobis Divinae Providentiae ordinem displicere, qui nil velle potest nisi quod est rectissimum. Reliquum est ergo ut sit Conscientiae nostrae Regula Voluntas illa quae Signi dicitur. Quum enim Deus, praecipiendo et prohibendo, quid a nobis fieri velit et non fieri significaverit, nostri est officii ipsius Voluntati voluntates nostras simpliciter conformare. Multa apud Scholasticos disputantur inutili subtilitate, an et quatenus teneatur voluntas creaturae rationalis conformare se Voluntati Creatoris in re volita? quum possit, quod instituto nostro et ad vitae usum sit satis, res tota aperte et breviter uno verbo confici, nimirum, teneri nos semper id velle quod Deus vult nos velle. Ut quum praecepisset Abrahamo Deus, ut filium Isaacum ipsi offerret in holocaustum, etsi Deus Voluntate Beneplaciti, uti mox ex eventu patuit, vel tum quum ei hoc faciendum praecepit id fieri noluerit, tenebatur tamen Abrahamus id ipsum velle, quia Deus praecipiendo significaverat se velle ut Abrahamus id vellet.

§. 21. 21. Dico, secundo, Voluntas Dei hominibus revelata, quia revelatio est formalis ratio obligandi. Voluntas enim Dei non obligat eos quibus non est revelata. Unde Gentes, quibus Evangelium non est praedicatum, non obligantur credere Evangelio, aut ad Fidem in Christum. Nemo enim tenetur ad im-

^d Optimum est [pati quod emendare non possis, et] Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine mur-

muratione comitari. Seneca, Epist. 107. Placeat homini, quidquid Deo placuit. Id. Epist. 74.

possibile.* Impossibile est autem ei cui Evangelium non fuerit praedicatum, nec qui de Christo quidquam inaudiverit, credere Evangelio et Christo, quum lumen rationis non possit eo pertingere: juxta illud Apostoli, Rom. x. 15. *Quomodo credent ei de quo non audierint? et quomodo audient absque praecone?* Nec idem Apostolus aequum esse censet, ut per Legem judicentur alii quam qui in Lege peccaverunt, Rom. ii. 12. Immo vero nec illud per se sufficit ad inducendam Obligationem in Conscientia, Voluntatem Dei esse alicui revelatam, nisi insuper ei revelata sit ut Voluntas Dei quoad ipsum. Adeo ut si quis ex Gentibus ἀλλόφυλος incidisset forte in libros Mosis, atque ex eorum lectione percepisset mandata Hebraeo populo inibi data, non mox obligatus esset ad ea praestanda licet essent ei revelata, quia ad ipsum non pertinebant, sed erant illi populo peculiariora; et scitum est Legem non obligare omnes quibus cognita est, sed omnes et solos quibus data est.

22. Dico, tertio, Voluntas Dei qualitercunque revelata: quia auctoritatem habet Voluntas Dei ex se, et non ex modo revelandi. Ita ut non opus habeant Pontificii, in controversia de Traditionibus, de eo laborare ut probent Verbum Dei non scriptum paris esse auctoritatis cum Verbo Dei scripto. Id enim nos ultro largimur: modo, ut de scripto nobis constat, constare posset pariter de non scripto, quod sit indubie Verbum Dei. Ergo Voluntas Dei, quocunque demum modo revelata, dummodo sit menti ita sufficienter revelata, ut ei aut actu innotescat, aut, nisi obstet negligentia culpabilis, actu innotescere possit, est Regula Conscientiae, obligans eam ad agnoscendam Dei Voluntatem, eamque voluntati propriae proponendam ut Dei Voluntatem cui se conformare teneatur; nec id solum, sed et potentiis executivis imperare ut ad eam Dei Voluntatem adimplendam se accingant. Recte Damascenus,† *Τοῦτο ἀγαθὸν ὅπερ ὁ Θεὸς βούλεται*. Quod vult Deus, id bonum esse necesse est; cujus scilicet Voluntas boni mensura est. Lex autem Dei est ἡ τοῦτο διδάσκουσα ἐντολή, mandatum illud quo Deus nos docet suam illam bonam Voluntatem. Pergit, *ἐπιβαίνων ὁ τοῦ Θεοῦ νόμος τῷ νῷ ἡμῶν, ἐφέλλεται πρὸς ἑαυτόν*. Accedens autem menti nostrae Dei Lex, ubi semel eam occupaverit, attrahit ad

§. 22.

* Ad impossibile nemo obligatur. i. 292. ed. Le Quien. See above, Digest. xxix. Tit. v. §. 2. Praelect. i. §. 8.

† De Fide Orthodoxa, iv. 22. tom.

se, καὶ νύττει τὴν ἡμετέραν συνείδησιν, hoc est, excitat, pungit, subjectis quasi stimulis urget Conscientiam nostram ut officium suum faciat, dictando nimirum voluntati nostrae Voluntatem Dei. Atque haec est ipsissima illa quam diximus Conscientiae Obligatio.

§. 23.
quae eadem
fundamen-
tum est Ob-
ligationis.

23. Cujus Obligationis vim et effectum varie exprimit Beatus Paulus. Nunc se debitorem fatetur, *Graecis et Barbaris debitor sum*, Rom. i. 14, quasi diceret, Quum me sciam Voluntate Dei sepositum ad praedicandum Evangelium Gentibus, sive ii Graeci sint sive Barbari indiscriminatim, agnosco me utrisque hac ex parte debitorem. II Cor. v. 14, ait se *συνέχεσθαι*, ut solent vinculis ligati constringi et coarctari ad officium faciendum. I Cor. ix. 16, *ἀνάγκη μοι ἐπίκειται*, fidei meae, inquit, concredita est Evangelii praedicatio, ita ut non sit mihi liberum otari et curare cutem; sed gravis mihi incumbit necessitas Evangelizandi, quam, vae mihi, si neglexero. Qualem sibi etiam impositam necessitatem, ita ut non possent eam excutere, senserunt ante eum et palam professi sunt, duo summi Apostoli et longo tempore individui comites Petrus et Johannes, Act. iv. 20. *Ὅ δυνάμεθα μὴ λαλεῖν*. Jussit nos Deus *παρηρησία* loqui: vos tacere jubetis: utris parendum sit potius, *Vosmet judicate*. A vestro imperio liberi esse possumus, immo et sumus, quibus jus nullum est in Conscientias nostras; sed arctat nos Dei imperium et ita constrictos tenet, ut nobis non sit liberum, ni perire velimus, aliter facere quam Ipse jusserit.

§§. 24, 25.
Hujus Re-
gulae partes
tres. 1^o. Lu-
men menti
Innatum,
Lex Na-
turae.

24. Porro quum dictum sit,* Conscientiae Regulam proximam et immediatam esse Lumen Mentis, primariam et supremam Verbum Dei Scriptum, propriam et adaequatam Voluntatem Dei qualitercunque revelatam, sive, quod idem est, Legem a Deo rationali creaturae impositam, ut ista plenius intelligantur, sciendum est, triplex esse Lumen Mentis, prout Deus creaturae rationali Voluntatem suam tribus modis patefecit; Lumen scilicet Innatum, Lumen Illatum, et Lumen Acquisitum; sive Lucem Naturae, Scripturae, Doctrinae. Primum illud Lumen quod Innatum dixi, e Lege Naturae oritur. Indidit enim Deus in prima mundi creatione, ut creaturis brutis et inanimatis instinctum naturalem, quo inclinantur ad ea facienda quae sunt congrua naturae suae et ejus conservativa,

* See above, §. 12.

quae est ipsis instar Legis, proptereaque et Davidi Lex dicitur, Psalm. cxlviii. 6. *Dedit illis Legem quae non praeteribit.** Ita et Homini Legem quandam Naturalem, naturae suae ut rationalis creatura est proportionatam, hoc est sublimiorem multo, et nobiliorem, et, si fas dicere, Diviniorem, quam quae aliis inferioris hujus Orbis creaturis, data est; quae ipsum ad ea agenda impellat quae sunt naturae suae congrua quatenus homo est, animal nempe ratione praeditum: hoc est, ut verbo dicam, ad vivendum secundum rationem. Est autem haec Lex naturalis impressio quaedam, et quasi *ἐκτυπον* Legis illius archetypae et aeternae, quae est in mente Divina; estque pars illius Divinae imaginis ad quam dicitur homo primum conditus et efformatus, Gen. i: per quam certo cognoscentes aliqua esse ex Dei Creatoris Voluntate rationali naturae nostrae congruentia, alia autem secus, statuimus illa bona esse et a nobis fieri oportere, ista mala et propterea non oportere. Ex hac Lege ortum lumen, in gravi illa naturae humanae ruina quae lapsum Adae insecuta est, admodum obscuratum est: unde crassae illae erroris et ignorantiae tenebrae, in quibus dum hic vivimus omnes ejus posteri assidue versamur. Ita tamen sapientissime providente Deo, ut ex communi naufragio illaesus aliquanto evaserint quam aliae pleraeque facultates. Nempe voluit Deus quasdam propositiones et principia practica, quas *κοινὰς ἐννοίας* et *προλήψεις φυσικὰς* vocant Philosophi,^e *ἐγκεκρυμμένον ἡμῶν σπιωθῆρα* scite Basilius,† quasi conservatam ex tanto incendio inter medios cineres et favillas ignis Divini scintillulam,^f in nobis remanere, ut haberet in intimis pectoribus nostris Voluntatis suae praecoones. Sunt hae *κοινὰς ἐννοίαι* *Lex illa Dei*, quam Apostolus, Rom. ii. 15. *scriptam* ait *in cordibus* hominum; prorsus ut Leges Civitatum aut Principis tabulis aeneis inscribi solitae sunt. Habent enim rationem Legis sive regulae nobis a Deo impositae: sicut voluntas Legislatoris, publico instrumento significata et populo proposita, Legis nomine censetur.

* 'quae non praeteribit.' In the First Edition, *quam non transgrediantur*.

^e Quae in animis imprimuntur inchoatae intelligentiae, [similiter in omnibus imprimuntur.] Cicero de

Legibus. I. [x. 30.]

† Compare Sermon vi. ad Populum, §. 10.

^f Haec tamen exigua lucis scintillula remansit. Calvin. iv. Instit. 10. sect. 5.

§. 25.

25. Constat autem haec Lex Naturalis ex variis principiis practicis, quae tamen ad unam primam et universalem Legem quae reliquas complectatur revocantur, videlicet hanc bipartitam, Bonum esse faciendum, Malum fugiendum. Sicut omnia Praecepta Decalogi ad unam Legem universalem, eamque bipartitam, reducuntur, illam scilicet quae est de Dilectione Dei et Proximi. Huic universali Legi in *Synteresi* conservatae subjiciuntur aliae, ceu Leges particulares, ex ea derivatae, ut conclusiones ex praemissis, quarum aliae sunt de primo, ut loquuntur, naturae dictamine, et principali illi Legi proxime conjunctae, aliae quae remotius ei appendent, nec nisi secundo, et virtute illarum propinquiorum. Quae sunt de primo naturae dictamine, simul ac menti nostrae et cogitationibus offeruntur, fidem nostram statim imperant, coguntque nos eis assentiri, propter summam earum evidentiam. Neque enim fas est alicui de ipsarum veritate dubitare, neque possibile est quemquam, cui satis perspecta sit ipsarum vocum significatio, circa eas errare. Audito Deum esse colendum, Injuriam nemini faciendam, acquiescit statim animus, et sine ambage praebet assensum. At in posterioribus illis, propter discrepantiam quae potest oriri ex circumstantiis, et dubitare saepissime contingit, et errare, et quo remotius a primis illis principiis receditur, eo proclivius est in errorem labi. Prima enim et universalialia tanto certiora sunt posterioribus et particularibus, quanto sunt minus circumstantionata. Nam ἐκ περιστάσεων πλάνη, ut dici solet, et ‘Descendendo contingit errare.’* Ejus generis Praecepta sunt, Honorandos esse parentes, Liberos alendos, Conservandam proximi vitam, Depositum reddendum. Quae utut communiter et ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ observanda sunt, non tamen simpliciter et absolute, si res et locus, quod fieri potest, aliud postulent. Nam et parentum jussa prae Dei amore spernenda sunt, et justa potest esse causa abdicandi liberos, et vitam proximo adimendi; nec est gladius furioso restituendus. Affinis huic distinctioni est illa Ciceronis,‡ a Stoicis accepta, Officiorum distributio. Aliud enim est ipsis rectum et perfectum Officium, quod Graeci κατόρθωμα; aliud medium et commune, quod καθήκον vocant. Quare ut Conscientia de rebus propo-

* See above, Praelect. i. §. 26.

‡ Cicero Lib. i. Offic. [cap. 3.] Compare De Finibus, iii. 6.]

sitis, quantum ad hanc Regulae suae partem attinet, quae sit Dei Voluntas rectius et certius judicare possit, opportunum erit ea ad universalissima quam fieri potest Praecepta, et ad prima illa et *ἀπόπιστα* axiomata revocare atque exigere. Sed de hac Naturae Lege, quia ad alia properandum est, quum non liceat plura dicere, accipite, quaeso, illa Ciceronis, quae ex amissis ejus de Republica Libris* affert Lactantius, vi. Instit. 8. ‘Est quidem vera Lex recta Ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, [quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet.] Huic Legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum aut per Populum solvi hac Lege possumus. Neque est quaerendus explanator aut interpret ejus alius. Nec erit alia Lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore una Lex et sempiterna et immortalis [immutabilis] continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus, ille Legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; † atque hoc ipso luet maximas poenas, etiam si caetera supplicia, quae putantur, effugerit.’ Insignis sane locus, et qui hujus Innati Luminis naturam et vim luculentissime explicat, adeo ut nihil opus sit plura in hanc rem adjicere.

26. Secundum Lumen, quod menti Illatum diximus, ei ab extra advenit, oriturque a Revelatione Divina, nempe ab illa luce quam Deus nobis subministravit in Sacra Scriptura, in qua Voluntatem suam humano generi uberius adhuc patefecit, ne quid ei deesset adminiculi quod ad mores regendos et beatitudinem consequendam esset necessarium, quum ad ista non sufficeret Lumen internum naturale, ut jam ante ostendimus. Differt autem hoc Lumen a Naturali, non origine solum, sed et perfectione. Primo, quia Voluntatem Dei manifestat in his, ad quae non potest Lumen naturale pertingere. Secundo, quia actus morales a naturali Lumine dictatos ad finem sublimiorem ordinat. Tertio, quia quum Lex mentibus insculpta a Deo tanquam Auctore Naturae instituta sit, Lex ista in Verbo re-

§. 26.
2º. Lumen
menti Illa-
tum, Ver-
bum Dei
Scriptum;

* iii. 22. ed. Moser.

† aspernatus, hoc ipso, &c. Cicero.

velata est ab eo instituta tanquam Auctore Gratiae et Salutis. Ergo ubi aut deficit aut debile est Naturae Lumen, (deficit autem in his quae sunt extra orbem suum, cujusmodi sunt *Mysteria Fidei*; debile vero est, in his quae ab universalissimis praeceptis sunt aliquanto remotiora,) ad Lumen Verbi recurrendum est, *sicut ad lucernam in loco caliginoso fulgentem*, 2 Pet. i. 19. *Ad Legem et ad Testimonium: si non loquantur secundum hoc verbum, non est eis lux*, Esa. viii. 20. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen gressibus meis*, Psalm. cxix. 105. De hujus Legis perfectione et utilitate si sermonem instituerem, nullus esset dicendi finis. Videte, sodes, in hanc rem Davidis Psalmum decimum nonum, ubi multa paucis et contractius, ac Psalmum etiam centesimum decimum nonum, ubi eadem pluribus et diffusius exposita reperietis.

§§. 27-30.
in Lege
Veteri, sive
Mosaica;

27. Porro hujus Legis duae partes sunt, Lex proprie dicta, et Evangelium. Legem vero et Evangelium non hic intelligo in eo sensu, quo plerumque a Theologis sumuntur, pro binis Dei initis cum humano genere Foederibus, Operum scilicet et Gratiae; sed popularius, pro Scripturae Libris Veteris et Novi Instrumenti. Patres, ad nostrum saltem institutum non incommode, Legem Veterem et Novam dixerunt. Utramque Legem, et Veterem illam Mosis in universum, et Novam Christi quantum ad illam partem qua Moralia continet, ut inutilem prorsus, et Christiani hominis cura studiove, postquam adultae in Christo aetatis fuerit, et unctione Spiritus perfusus, indignam exagitant, nec nisi Fidei legem et Spiritus dictamen admittunt, nostri saeculi Antinomi, Anabaptistae, Enthusiastae, et reliqua id genus prodigiosa nomina. Quos non est nunc refutandi locus, alia agentibus; neque est id profecto multum necessarium, quum in istiusmodi errorum monstra ita gladium jam olim strixerit Jacobus Apostolus, ut videri possit spiritu quodam prophetico eorum refutationem data opera suscepisse.

§. 28.

28. Legis Veteris, quae et Mosaica dici solet, notissima est illa distributio, qua in tres partes distinguitur; Moralem scilicet, Caeremoniarum, et Judiciorum. De quibus singulis multa a multis varie disputantur. Quibus praetermissis, quid de earum obligatione mihi sentiendum videtur, salvo tamen suo cuique judicio, breviter proponam. Dico igitur, primo, nullam omnino latam a Mose Legem obligare Christianorum Consci-

entiam, directe, formaliter, et per se; quatenus scilicet est a Mose lata aut tradita. Ratio est, quia omnis Lex Mosaica, qua talis, fuit positiva; et Lex positiva non nisi eos obligat quibus posita est. Quum ergo Lex a Mose tradita uni tantum genti Hebraeorum posita sit, ut vel ex ipso statim exordio, *Audi, Israel*, et toto insequentis sermonis caractere facile quisquis animum adverterit intelliget, non poterit ad eos qui extra illius gentis censum sunt ita pertinere, ut, eo nomine quod sit a Mose tradita, eos obliget. Quod siqua pars illius Legis nunc obliget Christianos, ut certe obligant Praecepta Decalogi, ex accidente id fit, et ratione materiae: non quia sic Moses praeceperit, sed quia id quod ab eo sic praeceptum est aut est Legi Naturae consentaneum, aut a Christo est in Lege Nova confirmatum.

29. Dico, secundo, Legem Mosis Caerimonialem obligasse quidem Judaeos in Conscientia ante praedicatum ipsis Evangelium Jesu Christi: non item alios, nisi qui Proselyti fierent Cultus et Religionis Judaicae; qui quum essent duorum generum, Proselyti scilicet Portae et Proselyti Justitiae Judaeis dicti, obligabantur ad Praecepta Ritualia observanda; pauciora quaedam illi prioris generis, posterioris generis hi, pariter ac ipsi Judaei, universa. A Christi autem morte et resurrectione, ex quo tempore coepit Judaeis solis primum, dein post paulo et Gentibus, praedicari Evangelium, usque ad eversionem Templi Hierosolymitani et Politiae Judaicae, fuisse hanc Legem, ut post Augustinum* loqui amant, mortuam, sed non mortiferam: hoc est, amisisse quidem vim obligandi; non tamen fuisse ritus a Mose traditos prorsus illicitos, sed liberae observationis, ita ut fas esset homini cuivis, prout res postularet, habita interim prudentiae et charitatis justa ratione, ipsis pro arbitrio vel uti vel non uti. Quam fuisse B. Pauli mentem, ex ipsius constanti tum doctrina tum praxi manifestius est quam ut probari debeat. Post eversionem Templi denique a plerisque dici solere, non mortuam solum esse hanc Legis Mosaicae partem, sed et mortiferam. Quod subvereor ne ingeniosius dictum deprehendatur quam solidius, nisi dextre explicetur et cum adhibita distinctione. Non enim sunt omnia Caerimonialia pari loco habenda; sed illa quae sunt ordinis et

§. 29.

* Compare Epist. 82. §§. 17-20. 1679; and the eighteenth and nineteenth books contra Faustum.

decentiae ab illis quae futurum Christum figurabant prudenter separanda. Caerimonias illas figurativas quae a Deo institutae sunt ut essent Typi Christi Redemptoris in carne venturi, cujusmodi fuere Circumcisio, Sacrificia, et alia nonnulla similia, certum est ex quo Christus omnia illis Caerimoniis typice figurata reipsa adimpleverit, et omnia rite esse adimpleta universo Orbi per Evangelii sui praecones sufficienter annuntiaverit, nullum jam ultra usum habere posse, proinde non solum ut emortuas et putidas e medio tollendas esse, sed ut pestiferas et exitiosas ab omni vere Christiano summopere fugiendas. Illud praesertim studiosissime cavendum, ne cum aliqua necessitatis opinione observentur, juxta illud, Gal. v. 2, *Ego Paulus dico vobis, Si circumcidamini, Christum vobis nihil profuturum esse.* Ast illae Caerimoniae, quae ad externum tantum decorem et Cultus Divini solennitatem quandam pertinebant, etsi praestaret fortasse non usurpari, ubi saltem subesse potest justus scandali metus, non sunt tamen simpliciter damnandae ut illicitae, hoc solo nomine quod paedagogiae Mosaicae pars fuerint.

§. 30. 30. Dico, tertio, utut nonnulli distinguant inter Leges Mosis Politicas eas quae erant Juris communis, quarum etiam notas quasdam assignant et *κρίτηρια*, et eas quae erant Juris particularis, non esse necessarium ista sic distingui: immo rotunde affirmari posse, ex iis Legibus Mosis quae Politicae aut Judiciales dicuntur, nullam omnino obligare Christianos Magistratus in utramvis partem, quin ut ipsis liceat, pro arbitrato suo, et prout incolumitati et utilitati Reipublicae videbitur expedire, eandem apud subditos suos sancire vel non sancire.

§. 31. 31. Dico, quarto, Legem Moralem a Mose traditam, hoc est Praecepta Decalogi, obligare omnes Christianos pariter ac Judaeos ad eam observandam. Et hoc quidem omnes, quod sciam, Protestantes uno ore confitentur: quo majorem nobis injuriam facit Bellarminus,* qui nos fingit in eo ponere Christianam libertatem, ut nulli Legi subjecti simus in Conscientia, Moses autem cum suo Decalogo nihil ad nos pertineat. Videbitur quomodo se calumnia liberet suosque, si nos in hac culpa,

* De Justificatione, iv. 5. Igitur Adversarii, ut supra diximus, in eo ponunt Christianam Libertatem, ut nulli Legi subjecti sint in Conscientia, et coram Deo; et Christum habeant pro Redemptore, non pro Legislatore; Moses autem cum suo Decalogo nihil ad eas pertineat. Opp. iv. col. 1186 C. Ingoldst. 1601.

eodem crimine. Agitur enim haec controversia inter suos Scholasticos, teneantur Christiani Praeceptis Decalogi quatenus sunt declarativa Legis Naturae tantum, an etiam quatenus sunt Mosis a Deo, Deique jussa a Mose populo Dei tradita, et in Sacros Codices relata? aliis utrumque affirmantibus, aliis e duobus alterum negantibus. Est et in nostris Ecclesiis eandem reperire hac de re sententiarum, si tamen sententiarum et non verborum potius, diversitatem. Caeterum quum et illi inter se, et nos cum illis in eo quod rei caput est, haec tenus consentiamus, habere Moralem Legem eam, quae a Mose tradita est et in Praeceptis Decalogi continetur, vim obligandi nostras Christianorum Conscientias; fortasse non est operae pretium, unde illam obligandi vim obtineat, multum litigare. Consultius tamen mihi loqui videntur, qui dicunt Legem illam Mosis non obligare Christianos formaliter et qua talis, hoc est quatenus a Mose tradita est, sed tantum ratione materiae, quatenus declarativa est Legis Naturalis; et proinde vim suam obligandi omnem non ab auctoritate Mosis eam sive ferentis sive tradentis derivare, sed ab ipso Naturalis Legis dictamine, quam Deus mentibus nostris et in sevit in prima Creatione, et ut Voluntatis suae monitorem in iisdem etiam post Lapsum voluit permanere. Haec de Lege Vetere et Mosaica.

32. Lex Nova sive Christi, hoc est, Evangelium, tria ista §§. 32-34. in Lege Nova, sive Evangelica. continet, Mystera Fidei credenda, sub quo capite complector et Promissiones Dei gratuitas, Instituta Sacra Caeremonialia et Ecclesiastica, et Praecepta demum Moralia. De quibus dico, et, primum, de omnibus universim, Evangelium non obligare nisi vocatos, id est eos solos quibus annunciatum est. Quia *ubi Lex non est, nec transgressio esse potest*; moraliter autem, praesertim in supernaturalibus, idem est non esse et non apparere, sive non ita sufficienter proponi ut possit iis innotescere. Diserte Servator ipse, Joh. xv. 22, *Si non venissem, et locutus essem eis, peccatum non haberent*: id est, non rei essent sprete Evangelii. Obligare tamen omnes quibus praedicatum est ad obedientiam tum fidei tum vitae: ita ut teneantur omnes quibus Evangelium annunciatum est, et in Christum credere ut Redemptorem, et ipsi ut Legislatori parere; quod utrumque ni fecerint, in neglecti officii supplicium poenas aeternas luent.

33. Dico, secundo, obligari Ecclesiam Christianam ad Insti- §. 33.

tuta Sacra, hoc est ad Verbi praedicationem, Sacramentorum administrationem, Ministrorum Evangelii ordinationem, et Clavium tum Scientiae tum Potestatis exercitium, in iis omnibus quae ad ipsorum essentiam pertinent, juxta institutionem Christi et Apostolorum, ita ut non liceat ei, multo vero minus particulari alicui coetui aut personae, inde quidquam sponte vel imminuere vel immutare. Caeterum externas Sacrorum Institutorum circumstantias ita esse liberas, ut possit Ecclesia quaevis particularis,* pro ratione locorum et temporum, prout ex usu fuerit populi Dei, et ut aedificationi videbitur expedire, ita de eis statuere.

§. 34. 34. Dico, tertio, Novi Testamenti Moralia Praecepta eadem esse quoad substantiam cum Moralibus Veteris Testamenti, et utraque ad Legem Naturalem, quae in decem Praeceptis Decalogi continetur, esse revocanda: sicut omnia Entia realia revocantur ad decem Praedicamenta. Esse tamen Praecepta Christi in Lege nova, ut Sancti Ecclesiae Patres ubique testantur, Praeceptis Mosis in Veteri Lege quoad aliqua multo praestantiora: non eo solum respectu, quod plenius, clarius et explicatius proponuntur, sed quatenus etiam altius assurgunt, et ad eminentiorem perfectionis gradum Christianos provocant; idque efficacissimis utrinque *θελητηρίοις*, proposito scilicet eis ex una parte Exemplo Christi praeterito, ex altera amplissimo Regni Coelestis futuro praemio. Ut in duobus illis magnis vitae Christianae officiis vel maxime patet, de diligendis inimicis et tollenda Cruce, in Lege Nova imperatis. Neque enim sunt illa, sicut aliqui somniarunt, eo duntaxat loco habenda, acsi consilia tantum essent vitae perfectioris, quae sint omnibus proposita quidem sub conditione praemii amplioris, neminem tamen obligent sub peccato, nisi siqui se voto ad ea observanda obstrinxerint. Quinimmo vere Praecepta sunt, eaque proprie dicta, et universaliter obligatoria, ad quorum observationem sub gravissimi peccati culpa, abnegati scilicet Christi, et aeternae damnationis, ni resipiscant, poena obligantur, quotcumque Christi fidem nomenque profitentur. Et haec de secundo mentis Lumine dicta sunt.

§. 35. 35. Tertium restat, quod Lumen Acquisitum diximus. Quod
3^o. Lumen Acquisitum: sane nihil aliud est quam *ἀποτέλεσμα* quoddam et incremen-

* Compare the last paragraph of the Thirty-fourth Article.

tum illius luminis, sive Naturae, sive Revelationis, quod ante menti inerat, quoad aliquem claritatis gradum. Quum scilicet Voluntas Dei, cujus cognitio mentibus nostris hactenus illuxit, sive interne impressa in Lege Naturae, sive externe in Verbo revelata, aut propria meditatione aut aliena institutione, clarius adhuc nobis innotescit. Cujus media praecipua sunt, Discursus Rationis, et Auctoritas, hoc est iudicium et praxis, Ecclesiae; de quibus nec patitur tempus ut multa dicam, nec ut multa dicantur res ipsa postulat. E Lege Naturae deducuntur per discursum Rationis ad usum Conscientiae, multae particulares de rebus agendis Propositiones, velut Conclusiones ex suis Principiis. Qua in re, nisi a primo ad ultimum rite procedatur, proclive est errare, ut ante dictum est. Quare diligenter videndum, ut in singulis partibus Discursus legitimus fiat processus, utque posteriora quaeque a prioribus apte pendeant, et ex eis necessario consequantur, ne Conscientia, in errorem prolapsa, Voluntati aliud aliterve quam oportuit dictet. Periculum itidem est, ne in applicanda Sacra Scriptura ad usum Conscientiae similiter erretur, nisi et Rationis justa ratio habeatur, et Auctoritati sua constet auctoritas. Pontificii, dum in illam partem omnia studia sua conferunt, ut nequid Ecclesiae suae auctoritati decedat, parum deferunt Rationi. Sociniani ex adverso, dum rejecta omni Auctoritate Fidem sola Ratione metiuntur, id tandem agunt ut cum Ratione insaniant. Unus utrisque Error; sed variis illudit partibus.* Vitabitur uterque scopulus non aliter commodius quam si cum ratione Auctoritas, cum auctoritate Ratio, scite et prudenter conjungantur.

36. Utraque quatenus in Sacra Scriptura dextre explicanda riteque applicanda locum habere debeat, non est praesentis aut temporis aut instituti plene disserere. Agendum paucis. Rationis circa Scripturam duplex potissimum est usus, Collativus scilicet et Illativus. Collativus, ut nempe diversa Scripturae loca, ea praesertim quae insignem aliquam invicem aut cognationem aut repugnantiam habere videntur, diligenter conferamus: Illativus, ut eruta e verborum proprietate, contextu, et scopo, documenta debite et artificiose inferamus. Memores interim, humanae Rationi in rebus agendis tanto plus tribuendum esse, quam in credendis, quanto plus naturalis ingenii captum superant Fidei Mystera, quam Officia vitae.

§. 36.
quod discursu Rationis constat,

* Horat. II. Sat. iii. 50.

§. 37.
et Auctori-
tate Eccle-
siae.

37. Auctoritatis autem praecipuus usus est, ad retundendam Haeticorum et Impostorum audaciam, qui clarissimis Scripturae testimoniis tenebras offundunt, earumque vim distinctiunculis et subtilitatibus suis eludunt. Quibus non opportunius os obturabitis, aut saltem vosmet ipsos aliosque ab ipsorum contagione illaesos efficacius conservabitis, quam si iudicium et praxin, non unius aut paucorum hominum, non unius anguli aut saeculi Ecclesiae, sed Catholicae, hoc est diffusae per totum Orbem, omnium locorum et temporum Ecclesiae, ipsorum strophis et sophismatis opponatis. Sic olim prisci illi Fidei Christianae Advocati, Irenaeus, Tertullianus, Vincentius, reliqui, Praescriptionis jure cum adversariis agendum judicarunt: quod quantum Orbi Christiano profuerit, eventus docuit. Sed ista omnia, pleniore tractatione digna, memor temporis meique et vestri, omittere cogor, et quae de Legum humanarum Obligatione proxime dicenda sunt in aliud tempus remittere.

PRAELECTIO QUINTA.

IN QUA, DE LEGUM HUMANARUM OBLIGATIONE IN
GENERE, QUAESTIO PERTRACTATUR.

ROM. XIII. 5.

*Quare subjici necesse est, non solum propter iram, sed etiam
propter Conscientiam.*

DE Obligatione Conscientiae Passiva tractationem exorsus §§. 1, 2.
superiori Termino,* haecenus progressus sum, ut, reiectis ante Ante dicto-
rum recen-
sio.
rejectisque illis latibulis, in quibus inesse aliquid praesidii ad
Conscientiae suae sive fructum quoad jam facta, sive securita-
tem quoad faciendam, frustra sibi blandiuntur vulgus hominum,
boni scilicet Finis Intentione, et alieni Exempli Judicivae aucto-
ritate, propriam illam et adaequatam Conscientiae Regulam,
cui se absolute et simpliciter conformare teneatur, investiga-
rem. Ubi ostendi, primo, Deum solum in Conscientias homi-
num merum et directum imperium habere: secundo, Consci-
entiae Regulam proximam et immediatam esse Lumen menti
pro tempore praesens, sive, quod idem est, ultimum Judicium
Intellectus practici:^a tertio, Verbum Dei Scriptum esse qui-
dem supremam et primariam, non tamen adaequatam Consci-
entiae Regulam: quarto, propriam et adaequatam Conscientiae
Regulam esse Voluntatem Dei qualitercunque revelatam, sive,
quod etiam idem est, Legem a Deo rationali creaturae imposi-
tam. Dixi insuper, ut quaenam esset illa Dei Voluntas
plenius et distinctius intelligeretur, Deum Optimum Maximum
Voluntatem suam humano generi triplici medio velut Lumine
patefecisse. Lege scilicet Naturae, quae constat ex quibusdam
Principiis practicis per se notis, quae et *Lex Dei scripta in*

* 'Superiori Termino.' A Trans-
script of this Lecture in P. 18. fol.
229, of the MSS. given by Bishop
Barlow to Queens' College Library,
has this memorandum prefixed:

'Ter: Trinit: et Mich: 1647. Prae-
lect. 1^a.'

^a ἡ τελευταία πρότασις . . . κυρία
τῶν πράξεων. Aristot. Ethic. Nicom.
vii. 5. [13.]

cordibus nostris dicitur, Rom. ii. 15, velut Lumine interno et mentibus innato: Verbo Dei Scripto, quod in Sacris utriusque Instrumenti Voluminibus continetur, velut Lumine externo supernaturaliter revelato, et mentibus illato: Scientia denique ex utroque priore, aut propria meditatione aut aliena institutione eruta, velut Lumine acquisito; cujus iterum media praecipua sunt, Discursus Rationis, et Auctoritas, i. e. Judicium et Praxis universalis Ecclesiae.*

§. 2.

2. Quin et illud submonui, quo futurae tractationi viam saltem aliquam praestruerem, praeter Dei Legem, quæ per se absolute et vi propria omnium hominum Conscientias obligat, idque in summo gradu, esse et alia nonnulla, quæ gradum quendam obligandi obtinent, sed summo illo inferiorem: ut quæ non primario et per se, sed secundo et ex consequenti, non absolute, sed relative, non vi propria, sed virtute Divini alicujus Praecepti sive Instituti in quo fundantur, obligant Conscientias. Quæ tametsi in eo convenient omnia, quod quamcunque habent obligandi vim, eam ex toto Divinae Legi acceptam debeant; primum enim in unoquoque genere est causa reliquorum; nec esset Divina Lex adaequata Conscientiae Regula, quod jam ante positum est, si extra ipsam aliquid obligaret, quod non ipsius virtute obligaret,—differunt tamen inter se singula, quemadmodum specie, propter diversitatem materiae, sic et gradu, quantum ad obligandi vim. Sunt autem illa in triplici potissimum discrimine. Quaedam enim constanter obligant, quorum rursus sunt duo genera: unum eorum quorum Obligatio oritur ex potestate alterius, ut Leges humanae, mandata Parentum, Dominorum &c. Alterum eorum quorum Obligatio oritur ex libera propriae Voluntatis electione, ut vota, juramenta, pacta, promissa et his similia; quaedam vero ex accidenti tantum obligant, et velut ambulatorie, pro hic et nunc, secundum exigentiam circumstantiarum, ut Lex sive Ratio Scandali.†

§§. 3, 4.
Legis nomine quid veniat intelligendum;

3. Postulat ordinis ratio ut a primo illo genere ordiamur, in quo familiam ducunt Leges Humanae. De quarum Obligatione quæ a nobis dicenda erunt, ad duas hasce quaestiones revocari possunt universa. An scilicet obligent Conscientias Leges humanae? et quatenus obligent? Casuum plerorumque

* Compare Praelect. v. §§. 35, 37.

† Compare Praelect. x. §. 2.

particularium determinatio ad posteriorem quaestionem magis pertinet, de qua, si Deus annuerit, instituentur futurae aliquot Praelectiones. Priorem solam hoc tempore attingemus, hanc scilicet, An Leges humanae obligent Conscientias? Subjectum Quaestionis non indiget multa explicatione. Lex, sive, primo, a legendo, id est eligendo dicta active, ut Ciceroni placuit,^b quod Legislatores ea quae Reipublicae magis utilia fore iudicabant eligerent; sive, quod alii malunt, secundo, a legendo item, sed in alia significatione, eaque passive accepta, quod oporteret Leges mox ubi latae essent aeneis tabulis incisas, aut alias perscriptas et columnis appensas proponi in publico, ut a populo legerentur; * sive, denique, ex aliorum mente, tertio, a ligando, quod subditos ad eos observandum obligarent:^c in genere nihil aliud est quam Regula agendi subdito a superiore potestatem habente imposita. Dicuntur autem humanae Leges per oppositionem ad Divinas. Sicut enim Divinae appellantur eae Leges quae Dei ipsius auctoritate immediate constitutae sunt, sive eae Naturales sint, sive Positivae, sic humanae dicuntur eae Leges, quae, etiamsi per auctoritatem ipsis a Deo derivatam, ab hominibus tamen immediate imperatae et subditis impositae sunt.

4. Definitur porro Lex humana ab Aquinate, ‘Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata:’^d ab aliis aliter, quoad verba, sed fere in eundem sensum. Et quidem recte: siquidem convenit ista Definitio Legi publicae, quae est notissima et usitatissima ejus vocabuli acceptio; et Analogum per se positum, ut dici solet, pro famosiore significato stare praesumitur. Sed in praesenti Quaestione, et quod nostrum institutum attinet, sub nomine Legum humanarum intelligendae veniunt, non tantum Leges publicae Communitatum, licet eae potissimum et primario, sed et mandata particularia Parentum, Dominorum, aliorumve quorumcunque Praelatorum sive Superiorum, filiis, servis, aliisque subditis suis imperata. In hoc enim uno inter Legem proprie dictam et Mandatum discrimen praecipue cernitur, quum

§. 4.

^b [Ut illi, scil. Graeci, aequitatis, sic nos] delectus vim in Lege ponimus. Cicero, de Leg. i. [19.]

* ‘ut a populo legerentur;’ Aquinas, Prim. Sec. Quaest. xc. Art. 4, quotes Isidore for this derivation

from *legere*: ‘Lex a legendo vocatur, quia scripta est.’ Orig. ii. 10.

^c Aquinas, Prim. Sec. Quaest. xc. Art. 16. Biel, in Sent. iii. Dist. 37. Art. 1.

^d Prim. Sec. Quaest. xc. Art. 4.

utrumque sit Praecepti species, quod Mandatum sive Jussum sit personae privatae privatam auctoritatem habentis Praeceptum, Lex autem Praeceptum commune personae publica potestate praeditae. Caetera fere sunt paria. Certe ad obligandi vim et effectum quod attinet, qua de re nunc agitur, quum ex hujus Capitis versu primo constet, omnem omnino legitimam potestatem, quaecunque demum illa fuerit, non publicam modo, de qua tamen sola fateor inibi ex instituto loqui Apostolum, sed et privatam, a Deo constitutam esse; et sit Mandatum patris filio, non minus quam Lex principis subdito, agendi Regula: quae de Obligatione Legum humanarum a me dicenda erunt, ita intelligi par est, quod semel praemonuisse sufficiet, ut una cum publicis Legibus privatorum etiam Mandata, cum politicis constitutionibus oeconomica quoque jussa, aliaque id genus similia, quatenus saltem fert analogiae ratio, complectantur. Et haec de Subjecto Quaestionis.

§. 5.
et quid Ob-
ligationis.

5. Praedicatum est, Conscientiae Obligatio. Quid sit Conscientia,^e quid item in genere Obligatio,^f fuit a me dudum fuse satis explicatum; nec opus est repetitu. Legem autem obligare quum dicimus, nil aliud volumus, quam quod Lex imponit subdito necessitatem parendi ipsamque observandi. Sciendum est enim Legem ex sui natura, et quatenus Lex est, duplicem habere vim sive effectum necessarium: vim scilicet dirigendi, unde et *Κάτων* dicitur seu Regula, quatenus notificat subdito voluntatem superioris et ostendit quid superior ab eo fieri velit, et vim obligandi, per quam differt a consilio et monito, quatenus imperat ut voluntati suae a subdito mos geratur, et ipsum ita ad imperata facienda obstringit, ut si non pareat peccet. Siquidem nihil aliud est Peccatum, quam aberratio sive recessus a Regula illa sive Lege quam sequi debemus: *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*: sicut monstra, propter recessum ab ordinaria Naturae Lege, dicuntur Peccata Naturae. Sciendum tamen, secundo, Legis hunc effectum, vim scilicet obligativam, fundari in voluntate et potestate Legislatoris, ita ut proprie loquendo, non tam Lex ipsa,* quam voluntas et potestas Legislatoris, obliget effective, causando scilicet vel inducendo Obligationem per modum Causae Efficientis. Dicit tamen potest et solet Lex obligare terminative, scilicet ut ter-

^e Praelect. i. supra.

^f De Juramenti Obligatione, Prae-

lect. i. sect. 11, &c.

* See above, Prael. iv. §. 5.

minus Obligationis, et per modum Causae exemplaris, quia est id ad quod obligatur quis, ut ex ejus praescripto operetur: sicut artifex in operando dirigitur ab exemplari sibi proposito. Sciendum, tertio, quod obligare Conscientiam, est ita astringere aliquem ad obediendum sub mortali, ut loqui amant Scholae Magistri, hoc est sub culpa mortali, ut si non pareat, non solum poenae temporali, aut Legibus constitutae aut ex arbitrio superioris inferendae, obnoxius sit, sed et a propria Conscientia, velut neglecti officii contractaeque inde offensio- nis Dei reus, merito redarguatur.

6. Sensus itaque Quaestionis est, An Leges humanae habeant vim obligandi Conscientias eorum quibus feruntur, eo quo jam expositum est modo? Negant e Protestantibus Calvinus,* ut ipsi saltem objicit Bellarminus,§ Beza,† et alii nonnulli: e Pontificiis Gerson,‡ fatente etiam Bellarmino, Almain,§ et, ut aliqui volunt, Navarrus.|| Affirmant e Protestantibus Musculus,¶ Ursinus,** et alii; et e Pontificiis, Jesuitarum et Scholasticorum plurima turba. Sunt qui distinguunt, ut David Paraeus,^h et alii. Et sane fatendum est, si non ἀμετρία τῆς ἀνθολοκῆς,†† et nimio contradicendi studio utrinque peccatum esset, jamdudum e medio tolli potuisse istam controversiam. In istiusmodi disputationibus subinde mihi veniunt in mentem, quae apud Aristotelem adolescentem me legisse memini,—Δῆλον ὅτι πῶς μὲν ἔστι, πῶς δὲ οὐ,—ubi disputat An Principia sint contraria?‡‡ An detur infinitum?§§ &c,—et διαιτητοῦ δεῖ, (si-

§. 6.
Quaestio.
Obligentne
Leges hu-
manae Con-
scientiam?

* Instit. iii. 19. §§. 15, 16. iv. 10. §§. 3-5.

§ Bellarm. de Laicis, iii. 9. [Secundus error Calvinus est, qui etsi lib. iv. Institut. cap. 20. probat contra Anabaptistas, in Ecclesia debere esse Leges Civiles, judicia, et gladium, tamen lib. iv. Institut. cap. 10. §. 5. asserit Leges Civiles non obligare in Conscientia: quod ante illum docuerat Joannes Gerson de Vita Spirituali, Lect. 4, et Almain de Potestate Ecclesiastica, Quaest. i. cap. 10. Opp. tom. ii. col. 644 C. Ingoldst. 1601.]

† Comment. in Ep. ad Rom. xiii.

‡ De Vita Spirituali Animaе, Lect. iv. Opp. iii. col. 200 sq.

§ ? De Potestate Ecclesiastica, Cap. xiii. Prop. 2.

|| Martinus ab Azpilcueta Navarrus, Enchiridion Confess. et Poenit. cap. xxiii. Opp. iii. 199 sq. Lugdun. 1597. Compare Praelect. viii. §§. 17 and 24.

¶ Comment. in Epist. ad Rom. xiii. p. 233. Basil. 1600.

** Zacharias Ursinus, in Expos. Secundi Praecepti Decalogi, Opp. i. 696 sq. Heidelb. 1612.

^h ad Rom. xiii. [Dub. vii. p. 1124. Genев. 1617.]

†† Basil. Epist. 41. Opp. iii. p. 60. Paris. 1638.

‡‡ Ὅτι μὲν οὖν τὰναντία πῶς πάντες ποιοῦσι τὰς ἀρχάς, δῆλον. Nat. Ausc. i. 5. 2. ἔστι μὲν ὡς τὰναντία . . . ἔστι δ' ὡς οὐ. i. 7. 11.

§§ Nat. Ausc. iii. 5. 10. to the end.

quidem est illa vera illius loci lectio, iii. Physicorum,)* arbitro nimirum potius opus est, qui utramque sententiam, specie magis pugnans quam re, in unum conciliet, quam Judice, qui, dum statuit alteram partem, alteram damnet. Quod fortassis in non paucis earum controversiarum, quae in Orbe Christiano magna cum animorum contentione stylique acrimonia jamdiu inter partes agitantur, obtineret, si tam studio pacis et charitatis, quam odio partium agerentur, qui Theologica tractant. Equidem in praesenti Quaestione, quantum ex paucorum eorum lectione, quos mihi, et alias occupato, et parum firmae valetudinis, in hac temporis angustia consulere licuit, judicare possum, demptis utrinque quae expressit contentionis aestus, neutri mihi pessime sentire videntur. Existimo tamen eos qui affirmative definiunt, ut aperte quid de tota re sentiam eloquar, et commodius ad vitae institutionem, et cautius tutiusque ad vitandum errandi periculum, et ad *formam sanorum verborum* propius locutos, quam qui negative. Caeterum, ut quid hac in re, ut mea fert sententia, statuendum sit, distinctius vobis ob oculos ponam, rem universam quam potero breviter et dilucide quibusdam Conclusionibus complectar: sententiam meam, ubi opus est, aliquot rationibus confirmabo, et quae afferri solent ex adversa parte Objectiones diluam.

§§. 7, 8.
 Conclusio
 Prima. Le-
 ges injus-
 tae non
 obligant
 Conscien-
 tiam. Ea
 explicatur,

7. CONCLUSIO PRIMA. Leges humanae injustae non obligant ad obediendum. Manifesta res, modo verba recte intelligantur. Ne quis tamen ea secus quam par est interpretetur, animadvertendum est, posse Legem aliquam injustam dici, vel ratione finis, modi, aut circumstantiae alicujus Legi ipsi extrinsecae, vel ratione materiae sive objecti ipsius Legis. Distat enim imperetne quod manifeste injustum est, an quod alias fortasse non sit injustum, injuste tamen imperetur. Tollit Obligationem id injustitiae genus, quod Legi ipsi per se adhaeret respectu rei imperatae: non tollit id genus, quod extrinsecus ei advenit et ex accidenti, vitio scilicet imperantis. Esto enim Princeps Lege lata juberet aliquid fieri quod non esset ex se factum illicitum, vel fieri prohiberet quod non esset simpliciter necessarium; nulla tamen justa subesset causa cur aut illud juberet, aut hoc prohiberet, sed aut turpis lucri cupiditate, aut

* καὶ γὰρ δέῃ διατητὰς ἀλλ' οὐκ ἔστι κρίνειν ἰκανῶς. De Coelo, i. ἀντιδίκους εἶναι τοὺς μέλλοντας τὰλη- 10. 1.

exercendae tyrannidis mera libidine, aut pravo alio quocunque animi affectu adductus: injusta quidem esset Lex ex parte imperantis; subditus tamen ad parendum nihilominus obligaretur. Ratio est, quia injustitia illa tenet se ex parte imperantis tantum, non autem ex parte rei imperatae. Adeo ut, quamvis non possit Princeps sine peccato ejusmodi Legem ferre, poterit tamen subditus quod ea Lege imperatum est sine peccato facere.* Et quidquid potest ab ipso sine peccato fieri, id omne subditus si postuletur ex obedientiae debito tenetur praestare. Qua intentione quove consilio Princeps Legem tulerit, ipse viderit: id mea qui subditus sim nihil interest; nec siquid ille ea in re peccaverit, mihi imputabitur. Imputabitur, modo nihil imperetur nisi quod a me licite fieri poterit, si officio meo defuero, nec parvero.

8. Quin et illud insuper adjicio: si Lex ipsa etiam ratione materiae sive objecti sit forte injusta et subditum gravet, ut, exempli gratia, si imperet pensionem gravioris tributi quam res postulat, non tamen propterea continuo solvi Obligationem. Sed hic iterum opus est distinctione. Potest enim aliquid esse injustum, vel eo solum nomine quod sit perpessu iniquum, vel eo quod sit etiam factu illicitum. Illo modo si injustum est quod Lege imperatur, hoc est, si iniquum sit tantum et non inhonestum, et tamen fiat, unius imperantis culpa est. Tam culpa caret qui obsequitur imperio, ut omnino peccaret si non obsequeretur. At posteriori modo siquid imperetur injustum, hoc est si quod postulatur sit non solum grave perpessu, sed etiam factu turpe, et tamen a subdito fiat, utrinque peccatur: a Praelato, quod rem iniquam postulaverit; a subdito, quod rem illicitam effecerit. Sensus ergo Conclusionis est, ubicunque Lex imperando aliquid prohibet fieri quod est ita necessarium ut non possit a subdito omitti sine peccato, vel imperando jubet

§. 8.

* 'sive peccato facere.' The remainder of this Section, and the matter of §. 8, as far as 'rem illicitam effecerit,' is exhibited in a much abridged form in the Queens' College Transcript. Immo et ratione materiae sive objecti, si Lex sit injusta imperando rem iniquam vel injustam, ut si imperaret pensionem longe gravioris tributi quam res postularet, obligaret tamen subdi-

tum, quia quod imperatum est injustum est ex parte imperantis simpliciter; et ex parte subditi injustum est eo tantum nomine, quod sit perpessu iniquum, non eo quod sit factum illicitum. Et injustitia in isto casu tenet se ex parte Praelati tantum imperantis, non ex parte subditi alterius imperio parentis. Sensus ergo, &c.

aliquid fieri quod est ita illicitum ut non possit ab eodem sine peccato fieri, Legem illam non obligare in Conscientia.

§. 9.
et confir-
matur.

9. Ratio Prima, quia rei illicitae, ut alias fuse ostendimus, i nulla potest esse Obligatio. Secunda, quia, ut ibi etiam dictum est, Obligatio prior praejudicat posteriori, ita ut ei non possit superinduci Obligatio nova contraria. At Lex jubens rem illicitam, ut homicidium, perjurium, sacrilegium, &c, aut prohibens officium necessarium, ut cultum veri Dei, debitum principibus et parentibus obsequium, &c, id exigit quod contrarium est Obligationi priori, qua virtute Praecepti Divini subditus jam ante constrictus tenebatur. Proinde Lex humana istiusmodi non potest inducere subdito Obligationem. Tertia, quia nemo potest simul obligari ad contradictoria. Sed si Lex ejusmodi esset obligatoria, obligaret ad id faciendum, ad quod non faciendum Lex Dei eodem tempore obligaret; facere autem et non facere sunt contradictoria. Quarta, ab exemplis piorum, qui ex fidei sui principiis sic instituti semper fuerunt, ut Imperatorum jussa tametsi gravia, si non inhonesta, alacri animo capessent, obirent, exsequerentur; at siquid abs eis vel Lege lata exigeretur, quod esset contra fidem aut bonos mores, vel cum honesto quomodolibet pugnaret, palam et constanti animo imperium detrectarent, et prae Dei timore Leges et instituta quaevis humana contemnerent. Lege lata Babylonica ut audito musico concentu aureum grande simulachrum quod erexerat potentissimus Monarcha, singuli adorarent, idque severissima proposita siqui secus facerent poena, non se passi sunt ea Lege obligari tres Hebraei adolescentes, Dan. iii. Quia scilicet jubebatur res illicita, cultus Idoli. Lege itidem Persica lata, ne quis per aliquot dies a quoquam Deo vel homine praeterquam ab uno Persarum Rege quidquam peteret, non paruit Daniel, sed eo ipso quo solitus est more, statis temporibus Deum precatus est, Dan. vi. Et prohibiti Petrus et Johannes ne ultra loquerentur in nomine Jesu, Act. iv, non solum non paruerunt imperato, sed et fidenter responderunt, *Utrum justum sit coram Deo vobis potius obaudire quam Deo, ipsi judicate.* Nimirum quia utrobique quae prohibebantur erant res necessariae: illic cultus veri Dei, hic concredita ipsis Evangelii praedicatio.

ⁱ De Juramento, Prael. ii. sect. 13.

10. CONCLUSIO SECUNDA. Lex humana prohibens rem simpliciter malam, ut furtum, adulterium, sacrilegium, aut jubens rem bonam et necessariam, ut cultum Dei, solutionem debiti, honorem parentum, inducit novam Obligationem in Conscientia. Ratio prima, quia, posita causa propria, sequitur effectus ejus necessarius, nisi aliunde impediatur. Obligatio autem est Legis effectus ita necessarius, ut aliqui existimarint ab hoc ligandi effectu ipsum Legis nomen, sicut ante dictum est,* originem suam traxisse; nec videtur hic aliquid assignari posse, quod istius effectus consecutionem impediat. Ratio secunda, a minore ad majus. Obligat omnium confessione Lex prohibens rem alias licitam, aut jubens rem alias liberam: ergo multo etiam magis prohibens rem illicitam, vel jubens rem necessariam. Est tamen quod utrique huic rationi ex adverso opponi posse videtur, scilicet, Non esse multiplicanda Entia sine necessitate: obligari jam ante unumquemque vi Legis Divinae ad faciendum quidquid est necessarium, et ad non faciendum quidquid est illicitum; quae Obligatio excludit eam quam ex humana Lege consequi supponimus, ut superfluam, sicut praeexistens in vase pleno liquor impedit infusionem novi liquoris. Nec videntur admitti posse duae Obligationes ad eandem rem in eadem Conscientia magis quam duo accidentia ejusdem speciei in eodem subjecto. Sed respondeo, dici quidem solere et quidem vere Obligationem priorem praejudicare posteriori, quo argumento et ipsi paulo ante usi sumus in firmamentum superioris Conclusionis; sed hoc dictum in iis tantum Obligationibus locum habere, quae sunt invicem destructivae, et quarum effectus tantam habent inter se contrarietatem et repugnantiam, ut posita alterutra necessario tollatur reliqua: hoc tamen non impedire quin Obligationi priori accedere possit altera, quae sit ejusdem rationis, et possit cum ea consistere. Neque est simile quod de liquore affertur in vase pleno: quia impedimentum ne vas plenum novum liquorem admittat, non stat ex parte liquoris, sed provenit ex incapacitate vasis et natura loci qui non potest simul recipere plura corpora. Et accidentia nihil prohibet esse in eodem subjecto ejusdem speciei plura, modo sint relativa, non absoluta: ut in Socrate, supposito quod decem haberet filios, decem essent quoque paternitates, quia relationes multi-

§. 10.
 Conclusio
 Secunda.
 Lex hu-
 mana po-
 test priori
 Obligationi
 superindu-
 cere novam
 Obligatio-
 nem.

* §. 3.

plicantur ad multiplicationem suorum terminorum; et modo diximus Legem obligare ad modum termini. Ergo quot sunt Leges, quum sit omnis Lex, ex natura sua et quatenus Lex est, inductiva Obligationis, totidem etiam erunt Obligationes, illis ut suis terminis correspondentes. Neque vero hoc est multiplicare Entia sine necessitate, quia, multiplicatis causis, necesse est multiplicari effectus illarum causarum. Immo hoc ipsum, ne cui incredibile videatur, aut quod huic persimile est, quotidie contingere videmus et in Naturalibus et in Moralibus. Nam et sensui evidens est, posse aliquem ad columnam duobus vel tribus vinculis alligari, ut Petrus, Act. xii. 6, *cubavit δεδεμένος ἀλύσει δυνί*: nec potest cuiquam esse dubium, quin possit aliquis ad id officium quod ipsi ex Lege Divina praestandum incumbit, non obstante illa Obligatione, denuo se obligare voto, vel juramento, vel promissione. Quemadmodum vovit Jacobus Patriarcha, unicum sibi Deum fore Jehovam, Gen. xxviii. 21; et David juravit justa se Dei judicia custoditurum, Ps. cxix. 106. Et quotquot sumus Christiani, quum sacro fonte tingemur, novo nos Foedere Baptismali obstrinximus ad Fidem in Christum; ad abrenunciandum Satanae, Saeculo, Carni; ad observanda Dei Mandata: ad quae tamen omnia praestanda nos ante obligatos fuisse certissimum est.

§§. 11-13.
Conclusio
Tertia. Lex
a non ha-
bente legi-
timam
potestatem
lata non
obligat.

11. CONCLUSIO TERTIA. Leges humanae, sive illicita impendantur, sive necessaria, sive adiaphora, latae a persona vel Communitate non habente legitimam potestatem, non obligant in Conscientia. Ut si Praetor urbanus Leges ferret huic Academiae, aut vicinus paterfamilias servum meum juberet boves meos jungere, segetes suas occare, &c. Aut si collecta hominum seditiosorum manus in aliquo Angliae Comitatu, quod in agro Norfolciensi, Edvardo sexto regnante, sub Ketto duce, alibique alias multoties factum est, incolis certam pecuniae summam, aut operarum servitutem sibi indebitam publicatis edictis imperaret, eosque vi et armis ad imperata facienda cogerent, utut eis forte liceret, posito quod resistendo pares non essent, imperata facere, ejusmodi tamen jussa neminem certe ad ea observanda obligarent in Conscientia. Tum quia ejusmodi Leges, nomine tenus duntaxat et aequivoce, Leges sunt, re autem vera Violentiae magis quam Leges;^k et causa aequivoca non infert

^k Aquinas, Prim. Sec. Quaest. 96. art. 4.

effectum, sicut non obligat partes lata a non-Judice sententia. Tum quia vis obligandi, ut etiam modo dictum est, non causatur effective ab ipsa Lege, sed a conjuncta cum potestate Legislatoris voluntate. Ergo ubi deficit potestas, deficit et causa proprie efficiens istius Obligationis, et, causa propria deficiente, effectum ejus deficere necesse est. Quod ipsum ex hoc ipso Apostoli loco colligere licet, qui necessitatem τῆς ὑποταγῆς, debitum scilicet obedientiae ex parte subditi, deducit ἀπὸ τῆς ἐξουσίας, a potestate jurisdictionis in Praelato: unde efficitur non teneri quenquam ad parendum ei qui non habet jus imperandi.

12. Si dicas, colluviem ejusmodi qualem jam dixi hominum factiosorum habere imperandi potestatem, quia possunt eos in quos imperium exercent ad faciendum imperata cogere, respondeo, potestatem de qua loquimur, et a qua pendet Obligatio, non esse potestatem illam quam Graeci δύναμιν vocant, hoc est potestatem, seu potentiam potius, qua voce libentius in ea notione plerique utuntur, physicam, sive de facto, per quam quis potens est id quod intendit ita effectui dare, ut finaliter non impediatur; sed eam potestatem quam ἐξουσίαν vocant, hoc est potestatem legitimam sive de jure, quae scilicet ei competit jure aliquo Naturae, Gentium, aut Civili, ratione personae quam gerit, et per respectum ad eos qui ipsi quoquo modo subsunt. Hanc ἐξουσίαν in praesenti argumento ita premit Apostolus, ut eam trium commatum spatio quinque nominaverit; de δυνάμει interim ne γρῦ quidem.

§. 12.

13. At certum est, inquit, eos qui Romae principatum gerebant illo Apostolorum aevo, nec haereditario jure, nec liberis populi suffragiis, nec legitima alias vocatione ad Imperii culmen conscendisse, sed aut vi aut dolo aut militari tumultu Imperium usurpasse: quibus tamen et ἐξουσίαν, ut legitimis Magistratibus, disertim tribuit Apostolus; et subditis parendi necessitatem, ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, imponit, idque non supplicii metu tantum, sed et *propter conscientiam*. Primos illos post eversam Republicanam Imperatores Romanos sane fatendum est non optimo jure Imperium adeptos: habuisse tamen jus gladii et legitimam ἐξουσίαν, sive jurisdictionem, cui subesse deberent quotquot Romanae ditionis essent homines, fatendum est pariter. Neque enim quisquam erat singularium hominum qui eam potestatem, ut sibi potiore jure debitam, vindicare posset; et Senatus Popu-

§. 13.

lusque Romanus penes quem novissime et ab aliquot retro seculis summa fuisset potestas, qua metu qua obsequio, juri suo utcunque cesserant, eosque qui Imperium malis artibus quaesivissent, pro suis tamen legitimis Principibus agnoverant. Hoc dato, quod mihi certe omnino concedendum videtur, de obediendi necessitate nulla potest reliqua esse dubitatio. At in casu dubio, quod sit Christiani hominis officium, an et quatenus obligetur in foro Conscientiae tempori cedere, praesentibus moribus se accommodare, Legibus, Edictis, aliisque jussis ejus qui de facto, nullo tamen jure, suo saltem judicio, summae rerum praeest, obtemperare, non peraeque facile est dijudicare; nec prudentis est in re tam gravi, tam ardua, quidquam temere definire.

§§. 14-21.
Quod sit
subditi offi-
cium, ubi
de facto qui
jus non ha-
bet impe-
rat, fuisse
disquiritur.

14. Nihil itaque statuo. Ne tamen aut officio meo aut vestrae saltem expectationi defuisse existimer, si quam in medium produxeram Quaestionem intactam prorsus relinquerem, quid mihi de tota hac re serio cogitanti visum est rectae rationi maxime consentaneum, nisi si forte, ut in istiusmodi de liberationibus fere contingit, aliud suadeant *περιστάσεις*, paucis exponam. Dico igitur, primo, Eum qui de facto summum in civitate imperium obtinet, etsi malis artibus potestatem illam sibi quaesiverit, civi tamen pro legitimo Principe habendum esse, eique ut legitimo Principi ex Conscientiae Obligatione esse obtemperandum, modo nulla subsit in contrarium justa dubitandi ratio. Videtur autem ea sola esse in hoc casu justa et idonea dubitandi ratio, quum civi aut certo constet, aut saltem valde sit probabile, aliam esse aliquam personam cui summa potestas meliori jure debeatur. Hoc ni fuerit, non poterit civis bona Conscientia possidentis Imperium detrectare. Neque enim ad civem pertinet, ordinarie, quo jure possideat qui possidet curiosius inquirere: sufficit ei ad Conscientiae securitatem quod de facto possideat, nec sit alius quispiam, saltem quod ipsi cognitum sit, qui de jure possidere debeat. Huc facit, praeter jam dicta de Romanis Imperatoribus oppressa Republica rerum potitis, universa paene Israeliticorum Regum historia. Quorum plerique, nullo juris praetextu nixi, sed vi injusta et nefario scelere regnum consecuti, simul ac, extincta funditus regia antecessorum sobole, ne quis superesset qui in jura paterna aut avita succederet, thronum conscendissent, regnum deinceps quasi pleno et proprio jure administra-

runt; praestitataque est eis a populo, haud secus ac si optimo jure imperium obtinerent, obedientia. Neque vero id ipsis vitio versum usquam legimus: quin potius suadebat recta ratio sic fieri oportere. Intererat nimirum salutis publicae, ut esset qui ad Reipublicae gubernacula sederet; nec civium rerumque suarum incolumitati satis alias prospectum fuisset, si cujus jure, possidentis utique, nullum esset potius, ejus non haberetur jus potissimum. Et, ex jure gentium, quae nullius sunt transeunt in jus occupantium.

15. Dico, secundo, In regno haereditario, ubi inter duos aut plures petitores jus dubium est, lite adhuc pendente, et interim dum res aut amica tractatione aut bello cernatur, boni civis officium esse, ei qui in imperii possessione sit, ut legitimo Principi, parere. Cujus casus occurrunt passim in historiis plurima exempla. Inter illustriora sunt quae contigerunt inter competitores regni Lusitaniae complures post mortem Sebastiani Regis; et regni Scotiae etiam, sex ad minimum post mortem Regis Alexandri de regno lites; et inter nobilissimas familias Eboracensem et Lancastrensem de successione Anglicani Regni acris admodum et diuturna contentio. Omnium toto Orbe populorum consensu, jura ubique favisse certum est possidenti; et in istiusmodi casibus obtinuit semper celebre illud Jurisconsultorum pronunciatum, In rebus dubiis melior est conditio possidentis.*

§. 15.

16. Caeterum, ubi quis, pulso vi et armis legitimo Principe Regni haerede, vel ita oppresso ut jus suum persequi non possit, eo tamen adhuc superstite, imperii habenas arripit, et se pro Rege gerit, quum sit verius regni invasor quam Rex, ita ut jam non sit ultra jus dubium, sed aperta injuria, si quaeris quid in hoc casu bono civi faciendum esse censeam qui fidelitatem legitimo Principi fortasse juravit, aut si non juravit non minus tamen ei debet quam si juratus esset; dico, tertio, mihi videri, non solum licere bono civi, Legibus ab eo qui summum imperium de facto sed non de jure possidet latis parere, aliaque ab eo imperata, modo non sit factu turpe aut injustum quod imperatur, facere; verum etiam, postulante humanarum rerum conditione, eo necessitatis deveniri posse, adeoque saepissime deveniri, ut ni sic fecerit, defuisse officio suo

§. 16.

* Compare Praelect. vi. §. 17.

existimandus sit. Atqui dictum est modo,* *Leges a non habente legitimam potestatem latas non obligare in Conscientia.* Dictum sane, et quidem vere dictum; nec, ut opinor, ista pugnant. Obligetur licet subditus ad faciendum quod *Lege* cavetur, non tamen *Legi* obligatur, sed sibi et Patriae. *Legi*, quae vere *Lex* est, de se et quatenus *Lex* est, annexa est *Obligatio*,† eamque sequitur necessario ut effectus suam causam. At *Legem a jus non habente latam* diximus non esse vere sed aequivoce *Legem*: proinde nec obligandi vim habere. Quaecumque ergo subdito hac in re incumbit *Obligatio*, aliunde exsurgit, et non ab ipsa *Lege*, cui extrinsecus advenit ut obliget, et mere per accidens, ut si musicus aedificet.

§. 17.

17. Quaeres, Si non ex *Lege*, unde tandem oritur ista subditi *Obligatio*? Respondeo, Quum sit pii et prudentis viri, non solum quid liceat attendere, sed et quid ipsum deceat videre, et quid aliis expediat, posse bonum civem obligari ad id faciendum in sui et concivium suorum commodum, ad quod faciendum alias et de jure non tenetur. Oritur ergo ista *Obligatio* ex duplici illa parte officii, qua sibi quisque debitor est, et qua patriae. Se quod attinet imprimis, viri et prudentis est, sibi rebusque suis in futurum prospicere; et honesti, qua sit praesenti conditione cogitare. Dandam esse unicuique operam, omnibus viis et modis licitis et honestis, se vitamque suam tueri, atque ita se gerere ut possit tuto et in pace vivere, agros, aedes, possessiones suas sibi habere, eorumque qui ipsi et vitam et facultates quum libuerit eripere possunt offensio-nem devitare, nemo est, nimirum *Natura* id dictante, qui non fateatur. Et hinc prima parendi necessitas, quam propterea non tam urget noster *Apostolus* quam supponit, velut cujus unicuique a natura insitus est sensus, οὐ μόνον διὰ τὴν ἀργίην. Quasi hominis esset parum sanae mentis, ejus qui gladii potestatem habet iram temere provocare, et ejus offensam contumacia sua, nulla postulante necessitate, incurrere. Ipsius igitur interest, in salutis suae compendium, iniqua nonnulla pati, *Legibus* obtemperare, et, quoad sine peccato fieri potest, ταῖς οὐσαῖς ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι; sicque jugum, quod excutere non potest, bene ferendo levius aliquanto, mitius et tolerabilius efficere.

Rom. xiii.

5.

* See above, §. 11.

† See above, §. 10, and compare Praelect. vi. §§. 20, 21.

18. Sed et altera insuper, eaque fortiore, quaeque ad Conscientiam propius pertingit Obligatione, ad hoc idem faciendum semet obstrictum sentiet, quisquis quae ex politico regimine civibus proveniunt bona attente cum animo suo cogitaverit. Et ita sane Chrysostomus* illa Apostoli verba, *διὰ τὴν συνέδησιν*, hoc loco interpretatur, ut ad illius protectionis beneficium quam praestat subditis civilis dominatio, potissimum respexisse putet Apostolum. Quasi diceret, Conscius quum sit quilibet civis quam multis beneficiis fruatur sub principatu politico, sciat se, in tot et tantorum beneficiorum compensationem, ad deferendam vicissim ei qui principatum tenet debitam Obedientiam, quadam quasi gratitudinis Lege teneri, *ὅνα μὴ ἀγνώμων δόξῃ περὶ τὸν εὐεργέτην*, ut ibi loquitur Chrysostomus, a mente Apostoli alieno, ut mox videbimus, ast sensu alias haud multum incommodo. Fateor equidem, quod est a Tacito observatum, raro fieri, ut quis imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercent; † pleraque enim quibus artibus parantur iisdem et conservanda esse videntur; et scelere tuendum est scelus. Posse tamen id fieri, Hieronis Siculi, Edgari Anglorum Regis, et aliorum nonnullorum exempla, qui principatum non optime acquisitum modeste tamen administrarunt, satis testantur. Sed utcumque rem gerat qui principatum tenet, non poterit unquam sic abuti sua potestate, ut non interim sit *Θεοῦ διάκονος εἰς τὸ ἀγαθόν*, ut loquitur Apostolus istius capituli commate quarto. Nec enim ulla tam mera tyrannis esse potest, quae non speciem aliquam justae dominationis retineat, et non aliqua saltem ex parte subsidio sit ad tuendam hominum societatem, ut etiam recte ad hunc locum admonuit Calvinus. Quum itaque quod rerum nostrarum domini sumus, quod tuti a caedibus et rapina vivimus, immo et id ipsum quod vivimus, summis potestatibus debeamus, absque quibus esset, nullum nobis adversus sceleratorum hominum libidines, furores, injurias, aut praesidium esset aut remedium, aequissima res est, ut pro tot tantisque beneficiis aliquid saltem ipsis vicissim rependamus. Exigit hoc a nobis optima aequi boni Lex, vetus illa commutationum formula, *Δός τι, καὶ λάβε τι*. ‡ Et profecto perversissimae mentis est, sub illius dominationis patrocinio velle

* Hom. xxiii. in Epist. ad Rom. tom. ix. 688 D. ed. Ben.

† Hist. i. 30. Nemo enim un-

quam imperium, flagitio quaesitum, bonis artibus exercuit.

‡ See Sermon vii. ad Aulam, §. 12.

vivere, cui parere nolis; et cujus protectione gaudeas, ejus imperium detrectare.

§. 19. 19. Porro quum nemo sibi solum natus sit, sed humano generi et publicae utilitati, hinc oritur tertia parendi necessitas praesenti potestati, quocunque jure ipsam adepti sunt qui rerum potiuntur. Unde etiam aliquo modo constare poterit, quis modus sit statuendus, et qui fines, illi obedientiae quae imperium injuste possidenti, ex Conscientiae debito, a cive praestanda est. Quidquid enim finis alicujus gratia faciendum est, eatenus fieri oportet, in quantum ei fini consequendo necessarium vel utile videbitur. Civilis autem regiminis, ejusque quae ipsi debita est obedientiae, finis est, humanae societatis salus et tranquillitas. In quantum igitur illius societatis, cujus ipse membrum et pars est, salus et tranquillitas exigit, eatenus civis unusquisque imperiis ejus, qui de facto in illa societate summae rerum praest, obtemperare tenetur. Sunt autem conservandis humanis societatibus tria haec imprimis necessaria: I. Defensio Patriae, adversus externam vim et hostium conatus. II. Administratio Juris, ut sua bonis civibus praemia, improbis supplicia, prout Legibus constituta sunt, reddantur; quod Justitiae Distributivae munus est. III. Quod ad Justitiam Commutativam spectat, Commertii cura et Mercaturae; de rebus emendis, vendundis, permutandis, et omne genus contractibus. His tribus rebus ita continetur incolumitas humani generis, ut nisi ista adsint, fieri non potest quin protinus pessum eant universa; omnia rapinis, caedibus, fraudibus, injuriis repleantur; innocentissimorum civium vita, conjuges, fortunae potentiorum libidini praedae sint et ludibrio. Quibus malis ut obviam eatur, malorumque petulantia mature coerceatur, unicum remedium erit, si boni cives suum esse meminerint, eorum legibus et imperiis, quorum gladio et auctoritate a sceleratorum injuriis defenduntur, in omnibus quae ad publicam salutem faciunt, obtemperare.

§. 20. 20. Sed haec obtemperare, ne quis ista quae dicta sunt secus quam par est interpretetur, ut simul meminerint, ad hanc obedientiam praestandam se non ultra teneri, quam aut gratitudinis ratio aut publicae rei salus postulat; et observandas esse Leges potestatem injuste possidentis, non quasi ullo imperantis jure obligatorias, sed ut recte Aquinas,¹ ad 'vitandum

¹ Prim. Sec. Quaest. 96. Art. 4.

scandalum vel turbationem' Reipublicae. In quo casu, inquit ille, debet quis jure suo cedere : quod et probat ex illis Christi verbis, Matt. v. 40, 41, *Ei qui vult tecum litigare, et tunicam tuam capere, dimitte et pallium : Et qui te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo.* Potest ergo quis, et, prout res exigit, debet, etiam privatae pacis, sed multo ergo magis publicae tranquillitatis causa, juri suo cedere, et ei qui imperandi jus non habet parere. Sed et hic iterum cauto opus est, idque vel maxime, ut scilicet ita jure suo cedat, ne quid eo pacto jure decedat alieno. Id juste et prudenter cavit Abraham, Gen. xiv, dum Regi Sodomorum sic gratiam fecit partis suae acrothiniarum, quae sibi ex devictis quinque Regibus jure belli in praedam cesserant, ut et, Sacerdoti sua decima, et tribus belli sociis ad suas portiones jus integrum remaneret. Proinde regni invasori sic praestandum est obsequium, ut fidelitas legitimo haeredi debita nullatenus violetur, nec aliquid fiat in juris sui praejudicium.

21. At qui hoc fieri potest? inquires. Quod regni invasori §. 21. gratum est, non potest legitimo Principi non esse ingraticissimum. *Nemo potest duobus dominis servire,* tam adversa S. Matt. vi. spectantibus; quorum omnia vota, studia, consilia, pronis in²⁴ mutuum perniciem affectibus, in contrarias partes feruntur. Respondeo, rite subductis rationibus, non esse cur putemus, legitimo Principi, sed extorri, ingratum omnino fore, injusto imperii possessori praestitum a cive, eo quo dictum est modo, et intra dictos fines, obsequium: quin potius ipso consentiente sic fieri oportuisse praesumendum est. Siquidem ejusmodi obsequio, non tam injuste dominantem, quam toti Communitati, hoc est Reipublicae, servisse existimandus est: quam salvam esse, justis haeredis nihilo minus interest, quam illius qui de facto in ea dominatur. Fortasse an et multo etiam magis, quo sincerius patriam diligere censendus est, et ei bona omnia velle, qui genuinus Patriae Pater est,* quam qui, eo excluso, in ipsius aedes se ingressit, et in familiam ipsius jus et imperium exercet; et quo puriores et vehementiores in liberos matris affectus sunt, quam novercae. Ut in celebri illa duarum muliercularum coram Rege Salomone altercatione,† quae vero³ Reg. iii. 26.

* 'the Magistrate being Pater §. 28.

Patriae, as the master is *Pater familias.* Sermon v. ad Populum, † Compare Sermon v. ad Magistr. §. 11.

mater erat, puerulum quem suum esse sciret salvum utcumque cupiit, maluitque alterius esse, immo adversariae, quam perire. Sic civium salutem, quos etsi sub alieno jugo, suos tamen interim agnoscit, et sibi olim utiles fore confidit, legitimo haeredi majori esse curae et verisimile est et merito praesumitur, quam ei, qui, quum imperium injuste usurpaverit, de stabilienda recens quaesita dominatione sua quam de salute civium procuranda, par est esse magis sollicitum; adeoque malle ipsum, ut praesentibus rebus, quo salvi sint, se qua licet modeste accommodent, quam ut potentiori in certam suam perniciem semet intempestive opponant. Atque ita habetis meam de gravissima hac et ardua admodum Quaestione sententiam;* nihil interim temere statuentis, sed eam, ubi quis certiora docuerit, mutare parati, et in ipsius castra transire.

§. 22. 22. Hactenus haec: sequitur CONCLUSIO QUARTA. Leges humanae de rebus non illicitis Conscientias obligant per se et directe in generali. Quod est dicere, Hoc praeceptum generale, ut subditi obtemperent Legibus humanis rite constitutis, est per se et directe obligatorium. Id quod ipse etiam Calvinus, qui non solet humanis constitutionibus nimium tribuere, agnoscit, qui, iv. Instit. 10. §. 5, ita distinguendum esse monet inter genus et speciem, ut licet negandum sit Leges in speciali obligare Conscientias, concedendum tamen sit eas obligare in generali. Ratio perspicua: quia hoc praeceptum generale ad ipsam aeternam Legem Divinam pertinet, cujus omnis pars est per se et directe, et non ex consequenti solum, obligatoria Conscientiarum. Pertinet autem ad Divinam Legem duplici nomine. Tum, quia naturalis Ratio dicat non posse pacem et ordinem, quae anima est Rerumpublicarum et omnis humanae societatis, conservari, nisi Legibus rite constitutis obediatur. Tum, quia in Sacra Scriptura Deus praecepit, ut his qui nobis in eo ordine quem Deus praestituit praesunt subijciamur, ut *ὑπερχούσας ἐξουσίας* pareamus, nec iis resistamus, hujus capituli vers. 1 et 2, nec eorum jugo colla nostra subducamus, eo scilicet praetextu, quod meri homines sint, et creaturae, sicut et

1 S. Pet. ii. nos, *κτίσις ἀνθρωπίνῃ*, filii Adae, mortale genus, iisdem omnino affectibus, perpressionibus, infirmitatibus, casibus, quibus et nos obnoxii. Quin potius memores, Deum Optimum Maximum eos

* Compare the Case of the Engagement.

nobis cum delegata potestate velut suos in terris vicarios* praefecisse, ipsosque propterea tanto honore dignatum esse, ut eis et nomen suum, quasi visibilibus et mortalibus quibusdam Diis, communicaverit, *Ego dixi Dii estis*, par est ut eos summa Ps. lxxxii. cum reverentia colamus, honoremus, obsequamur. Etsi non 6.
ipsorum gratia, qui, ut homines sunt, pari nobiscum conditione sunt, nec de meliore luto effecti, at Divinae tamen Ordinationis intuitu, qui eos, qua Principes sunt, sublimiore loco esse voluit quam reliquos homines, et suae potestatis aliquatenus participavit: *διὰ τὸν Κύριον*, ut alibi Petrus; et ex consequenti *διὰ τὴν συνείδησιν*, ut hic loquitur Apostolus Paulus. I ii. 13. Rom. xiii. 5.

23. CONCLUSIO QUINTA. Leges humanae rite constitutae, §. 23. etiam in particulari, etsi non directe et per se, ex consequenti CONCLUSIO QUINTA. In particulari tamen et virtute generalis Praecepti Divini, obligant subdito- etiam ex consequenti. rum Conscientias. Dico, primo, Leges rite constitutas. Id est, et ratione causae efficientis, ab eo qui legitima potestate praeditus est latas; et ratione materiae, nil illicitum, inhonestum, turpe, aut officio hominis Christiani quomodolibet contrarium, imperantes. Jam enim diximus eas Leges, quae utrovis nomine peccant, non obligare. Dico, secundo, In particulari: id est, quantum ad determinationem particularem in rebus mediis aliisque. Ut quale et quantum tributum sit solvendum; quas merces liceat aut non liceat e regione exportare; in Academia, qui habitus quibus gradibus competant, quae statuta sint dispensabilia, quae non, &c. Dico, tertio, Leges ejusmodi non obligare per se et directe. Probatur, primo, quia Deus unus est Legislator, qui in Conscientias hominum merum et directum imperium habet. *Unus est Legislator, qui servare potest et perdere.* Jac. iv. 12. Deum autem supponimus de rebus ejusmodi mediis et adiaphoris, quae fere sunt materia Legum humanarum,† nullam Legem tulisse in particulari; sed ea omnia eorum arbitrio, qui Ipsius in terris vices gerunt, permisisse. Probatur, secundo, quia illa tantum obligant directe et per se quae obligant ratione materiae velut internae causae, citra respectum ad causas externas, Efficientem scilicet et Finem: id est quae obligarent, etsi ab hominibus mandata non essent. At res mediae et adiaphorae, Lege humana positiva et particulari determinatae,

* Compare Praelect. vii. §. 15. † Compare Praelect. vi. §§. 15 and 22.

quum sint ita natura sua comparatae ut ante illam determinationem libere possent a quoquam fieri vel non fieri, non obligant ratione materiae : ergo nec per se. Dico, tertio,* ejusmodi Leges obligare tamen in particulari ex consequenti, et virtute Praecepti Divini generalis. Et quia in hoc ultimo dicto totius controversiae quasi cardo vertitur, propono Conclusionem, jam statim pluribus confirmandam, aliquanto explicatius, sic. Leges humanae positivae, rite et legitime constitutae, quae continent particulares determinationes circa res medias, in se adiaphoras, et antequam sic determinarentur liberas ad utrumlibet, virtute illius Praecepti Divini quo tenemur iis parere qui nobis a Deo praepositi sunt, ita obligant subditorum Conscientias ad praestandam eis obedientiam, ut sub peccato mortali et metu offensionis Dei teneantur ejusmodi Legibus obtemperare ; et ni sic fecerint, accusantis Conscientiae murmura et ictus perferre.

§§. 24-30.
Quod varie
confir-
matur.

24. Firmatur haec Conclusio multis rationibus. Quarum prima ex praesenti Textu desumitur, *Quare subjici necesse est, non solum propter iram, sed et propter conscientiam.* Verba sunt satis perspicua. Urserat nempe Apostolus superioribus versibus aliquanto fusius Christianae subjectionis necessitatem, duobus potissimum argumentis : altero, ab instituto et ordinatione Dei, duobus versibus primis ; totidem sequentibus, ab humani supplicii metu, altero. Utrumque argumentum ὡς ἐν ἀνακεφαλαιώσεως τρόπῳ breviter recolligit et repetit quinto hoc versu ; idque, qui fere mos est Sacrae Scripturae, ordine inverso, † repetitionem exorsus a membro posteriore et proximior. Quasi dicat, Utrinque vobis incumbit gravis parendi necessitas ; sive vos poenae metus tangat, sive pulset officii conscientia. Si quod malum est feceritis, spreta nimirum Potestatum et Legum auctoritate, cogitate eum qui vobis

* It is evident that this paragraph, though it is marked by the word *tertio*, is not really a third argument on the point, that Human Laws do not oblige the Conscience of themselves ; but is the enunciation of a proposition hereafter to be confirmed, that such Laws do oblige the Conscience by virtue of the Divine Precept. It is, in short, the Fifth Conclusion, after the negative parts of it have been rejected. WHEWELL.

† See Hammond's Note on S. Matthew, vii. 6. 'There is in these words observable an ἐπίστροφος or ὑστέρησις, a going back, speaking first to the second of the two things proposed, and then after to the first. As it is very frequent with the Prophets in the Old Testament, and not seldom used in the writers of the New.' Compare Bp. Jebb, Sacred Literature, chap. iv. and xvi.

praeest Magistratum Dei ministrum* esse, ἔκδικον εἰς ὀργήν, neglecti officii vindicem, gladium sibi a Deo concreditum stringere paratum, ad infligendum Legum suarum contemptoribus debitam poenam corporalem. Sin vos ista parum moveant, quod speretis fieri posse ut ipsius brachium aliqua evadatis,

Ast sperate Deum memorem fandi atque nefandi.

Hunc timete justum Judicem : veremini Conscientias vestras, severos accusatores, testes veraces, importunos tortores. Hos nullis potestis aut latebris effugere, aut artibus eludere. Ex hujus ergo loci scopo sic struitur argumentum. Quae violata Conscientiam laedunt, ea Conscientiam obligant, quia omnem Conscientiae laesionem sive gravamen ex alicujus Obligationis sensu oriri necesse est, sicut omnes alii effectus consequuntur suas causas. At violatae Leges humanae laedunt Conscientiam. Id enim sibi volunt ista verba, *necesse est subjici propter conscientiam* : id est non potestis Conscientiam integram et illaeram conservare nisi subjicimini. Ergo Leges humanae obligant Conscientiam.

25. Ad hujus argumenti vim enervandam, sunt qui Conscientiam hoc in loco aliter interpretantur, et Chrysostomi auctoritate se praecipue tumentur, ac si non alia hic Conscientia intelligenda veniret, quam illa beneficiorum, quae subditis obveniunt a regimine politico : sensu a nobis prius allato, pio quidem illo, fateor, et nos ante laudavimus, sed, ut arbitror, parum genuino. Contra enim, primo, singularis paene est inter Veteres in ea interpretatione Chrysostomus, quem secuti e tot Interpretibus vix unus et alter extra Oecumenium et Theophylactum, qui in recensendis testimoniis nullo numero habendi sunt, quia Chrysostomi vestigiis ita semper insistent, ut universi tres unum tantum faciant testem. Secundo, nec potest afferri locus aliquis, in quo D. Paulus aut alius quis Sacrorum Scriptorum Conscientiae vocabulo in eo sensu usus sit, quem hic sibi fingit Chrysostomus. Tertio, adducere voluit Apostolus, ut res ipsa clamat, aliquid quod esset gravius, et ad excitandum hominum animos efficacius, supplicio temporali : cui rei aptius certe fuerat eos injecto offensionis Divinae metu perterrefacere, quam accepti ab hominibus beneficium admonuisse. Quarto denique, concludere hic voluit Apostolus, brevi repe-

§. 25.

* Compare §. 30. below ; Praelect. vi. §. 11. and vii. §. 15.

titione earum rationum quas jam ante adduxerat, suam de Christiana Subjectione dissertationem; adduxerat autem duobus primis versibus hujus capituli rationem, non a beneficii, sed ab officii conscientia desumptam.

§. 26. 26. Sequitur Ratio Secunda, ab usu et fine Legum. Quas condi, conditasque observari, ad societates humanas in pace et publica tranquillitate conservandas, pernecessarium est: alias nulla esset certa contractuum regula, nulla fidei et justitiae civilis mensura, quae sunt civitatum et societatum firmissima vincula. Lex enim Dei, et naturalis et scripta, licet sit in suo genere utraque vel seorsim perfectissima,* complectaturque conjuncta tum quae sunt fidei supernaturalis singula, tum etiam rerum agendarum principia generalia ad omnes vitae partes regendas accommodata: neutra tamen ad omnia ea particularia descendit, quae ad conservandam in civitatibus et politis pacem et ordinem possunt esse, et plerumque sunt, necessaria. Exempli gratia, Lex Rationis, quae Naturae Lex est, dictat, et Scriptura etiam hujus capituli versu proximo docet, ad alendos principes, ad bellorum sumptus, ad alios usus publicos, Tributa esse pendenda. Sed nisi Lege lata definiatur quantum sit solvendum, et quota proportione, et a quibus, et quo temporis spatio, et id genus alia, aut nihil omnino pendetur, aut non tempestive satis, aut quod non satis sit ad usus Reipublicae. Si dicas, hoc argumento probari quidem Legum necessitatem, at non item statui Obligationem, posse enim poenis propositis adigi subditos ad officium, fatendum id quidem esset, si hic staretur. Sed si illud insuper cogitetur, dum praeceptum fertur ‘ad vetitum nefas,’ quam sit ‘audax omnia perpeti Gens humana,’^m quamque officii infidelis custos sit metus, ni adsit etiam Religionis sensus aliquis qui homines in officio contineat, facile constabit quam provide a sapientissimo rerum Moderatore, Deo Optimo Maximo, consultum sit rebus humanis, quod indiderit Conscientiis hominum, quae cum ipso Rationis usu simul adolesceret, religiosasam quandam Legum reverentiam. Unde factum ut apud Ethnicos veri Dei ignaros, vix repertus fuerit e priscis Legumlatoribus qui quas condebat Leges, non eas ab aliquo Numine sibi traditas mentiretur. De Numa, Zaleuco, Lycurgo, caeteris, quae in hanc rem tradunt historiae, non opus est ut recenseam, quum sint omnibus notissima.

* Compare Praelect. ii. §. 12. ix. §. 6.

^m Horat. I. Carm. iii. 25.

27. Ratio Tertia. Quod faciendum est *propter Dominum*, ad id faciendum obligamur in Conscientia. Sed Legibus humanis rite constitutis, id est a suprema potestate, vel his qui ab ea ad id delegati sunt, latis, subesse tenemur *propter Dominum*. 1 Pet. ii. 13. *Subditi estote omni humanae creaturae propter Dominum, sive Regi ὡς ὑπερέχοντι*, quod satis explicat quid sit Paulo *ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις* istius capituli versu primo, *sive praefectis ab eo missis, &c.* Ubi illud *διὰ τὸν Κύριον, propter Dominum*, Conscientiae obligationem significare, constat, primo, ex usu similium alibi locutionum, ut Eph. vi. 1, de officio liberorum erga parentes, *Liberi, obedite parentibus vestris ἐν Κυρίῳ, in Domino*; et de servorum officio erga dominos, ibid. vers. 7, *cum benevolentia δουλεύοντες τῷ Κυρίῳ. Domino servientes et non hominibus*, quod, Col. iii. 23, est *ὡς Κυρίῳ, ut Domino et non hominibus*: quasi dicat, *propter Conscientiam, et non solum propter iram*, vel ex timore Dei magis quam ob metum hominis. Constat id ipsum, secundo, ex verbis sequentibus in illo Petri loco, vers. 15, *ὅτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα Θεοῦ, quia sic est voluntas Dei*: uti Paulus etiam jam laudato ad Ephesios capite, vers. 6, de servorum officio locutus, hortatur ut dominis suis obsequantur in simplicitate cordis *ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, facientes voluntatem Dei e corde*. Est autem Voluntas Dei ipsissima illa, quam adaequatam diximus,* Conscientiae regula.

§. 27.

28. Ratio Quarta. Quod naturalis Ratio ita dictat esse faciendum, ut si non fiat culpa et reatus contrahatur, ad id faciendum procul dubio obligamur in Conscientia. Quum enim ad Conscientiam pertineat sensus peccati, et exinde natus supplicii metus, quidquid recte mens iudicat culpam inducere et poenae reatum, id omne et Conscientiam obligare censendum est. Naturalis autem Ratio, cujus iudicium non potest esse non rectum, Legibus humanis parendum esse sic dictat, ut, si non fiat quod imperatum est, † ipsi mox conscii nobis simus, mera id nostra culpa contingere quod non fiat.

§. 28.

29. Ratio Quinta. Cujus violatio Legis Dei violationem necessario secum trahit, id obligat Conscientiam: quandoquidem nemo potest illaesa Conscientia violare Legem Dei, quae est

§. 29.

* See Praelect. iv. §. 20.

† 'quod imperatum est.' These words were inserted in the Second

Edition, in compliance with Sanderson's direction at the end of the First.

Regula Conscientiae. Violatio autem Legis cujusunque particularis ab hominibus rite constitutae, necessario secum trahit violationem Legis Dei, illius nempe Praecepti generalis, quo Deus praecepit obedientiam Praelatis. Ergo &c.

§. 30.

30. Ratio Sexta. Obligamur in Conscientia ad non faciendum id, quod si fiat perinde est ac si Deo resisteretur. Obligamur enim subjici Deo, et proinde Ei non resistere, quum sint subiectio et resistentia sibi invicem contraria, nec possit aliquis eidem personae simul et *ὑποτάσσεσθαι* et *ἀντιτάσσεσθαι*. Ast Legibus humanis rite constitutis non obtemperare, est, interpretative, Deo resistere. Qui enim Legibus non obtemperat, potestati Magistratus legislativae obsistit: quod qui facit, quum sit illa potestas a Deo ordinata, Dei ordinationi se opponit, adeoque consequenter et interpretative, ipsi Deo, quod est ipsius Pauli postulatum, vers. 2. hujus capituli, ex quo legitime concludit subjectionis necessitatem *διὰ τὴν συνειδήσιω* in hoc versu.

§§. 31-35.
Objectioni
occurritur,
quae a
Christiani
hominis li-
bertate;

31. Ex his quae dicta sunt non erit difficile quae ex adverso adduci solent argumenta dissolvere. Quorum primum et praecipuum est illud quod a Christiana Libertate petitur, cui confirmando, pleraque Scripturae loca quae ad astruendam illam Libertatem spectant, magna cum pompa in medium afferuntur, et objectiones inde varie efformantur. Scriptum est, inquit, a Paulo, 1 Cor. vii, 23, *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*; Gal. v. 1, *State in libertate in quam vos asseruit Christus, nec rursus jugo servitutis implicamini*; Col. ii. 16, *Ne quis vos judicet in cibo vel potu, &c.* his similia. Disputant etiam non esse verisimile, Christum ita nos demum liberasse a Dei ipsius Legibus positivis, quae fuerunt certe justissimae, ut tamen nos Legum humanarum vinculo obstrictos relinqueret.

§. 32.

32. Ad singula loca respondeo. Sed vos ante praemonitos velim, quum sint multa Christianae Libertatis capita, cavendum esse diligenter ne ea temere confundantur, neve illa Scripturae loca quae ad unum aliquod libertatis genus pertinent, ad aliud genus quo non spectant imperite trahantur. Quae *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, non Antinomis solum et Anabaptistis, sed et aliis plerisque istius aevi Reformatoribus perpetuum et solenne vitium est, ut alias saepissime, ita vel maxime, ubi de Ritibus Ecclesiasticis instituitur disputatio. Quod admonuisse sufficiat: nunc propius ad rem. In illo ad Corinthios loco hortari voluit

Apostolus fideles, ut quisque quo ipsum loco Deus constituerit, quibusque donis ornaverit, contentus statione sua intra debitos fines se modeste contineat, et donis ac vocatione Dei se metiatur, vitamque et actiones ad illa accommode instituat, sive servus sit, sive liber; nec ita se Conscientiamque suam cujusquam hominis aut judicio aut imperio mancipet, ut ab ejus opinione aut voluntate totus pendeat; sed memor se Dei et Domini Jesu Christi servum esse, sic hominibus placere studeat, et ipsorum affectibus aut imperiis inservire, ut nihil indignum faciat eo homine, qui se servum Dei et Christi profiteatur. Quae quum sit Apostoli in tota illa perioche certissima mens, rectissime hinc concludi poterit, non debere nos Dominorum, Parentum, Principum, aliorumve quorumcunque mortalium hominum placitis morem gerere, siquid a nobis fieri postulent quod impium illicitumve sit: quia hoc esset pro Dei servo servum se hominum praestare. At qui justis, honestis, et utilibus hominum constitutionibus ex Conscientia obtemperat, tantum abest ut propterea servus hominum censendus sit, ut a duobus summis Apostolis diserte dicatur *Domino Deo servire, et non hominibus*, Eph. vi. 7, Col. iii. 23, et 1 Pet. ii. 16: id est, particula negandi, ut fieri amat, comparative sumpta, *Deo potius quam hominibus*: quia Deo propter se, hominibus propter Deum. Hominibus servit quidem, quatenus quod imperatum est facit; Deo autem servit, quatenus ex officii conscientia id facit.

33. Locus ille alter ad Galatas ex totius Epistolae scopo optime intelligitur. E Judaeis aut Judaizantibus Christianis Pseud-Apostoli quidam in Ecclesiis Galatiae, Gentiles ad fidem conversos, contra quam Apostoli in Concilio Hierosolymitano constituerant, non baptizari modo sed et circumcidi debere contendebant; multosque, ut solent impostores, obtentu pietatis, et improba diligentia apud credulum vulgus mirum quantum proficere, in eum errorem induxerant, ut nisi se circumcidi paterentur, existimarent aeternam se salutem consequi non posse. Pessimam hanc et prosperam imposturam non ferens B. Pauli spiritus, crassum illum errorem, ne ultra serperet, majore quam solet indignatione tota fere Epistola insectatur. Atque inter alia argumenta admonet Galatas ejus Libertatis, qua Christus Ecclesiam ab inutili jam post ipsius adventum, Mosaicarum Caerimoniarum onere et jugo liberaverat; hortaturque ut partam Christi morte Libertatem constanter tueantur, nec jugo

§. 33.

servitutis colla denuo subdant: quod omnino facerent, si emortuae jam Legis rituum observationem sibi ducerent esse necessariam. Quod quam incongrue ad Leges humanas utiles et Reipublicae necessarias accommodetur, a quibus nullibi Scripturae docent nos Christum liberasse, caecus sit oportet qui non videat.

§. 34. 34. Tertius item locus ex Epistola ad Colossenses non ad Leges humanas de rebus mediis rite constitutas pertinet, sed ad doctrinas impostorum, qui populo Dei aliqua dogmatice proponebant ut necessaria quae Deus non praeceperat; qui fuit mos Pharisaeorum Traditionariorum, quos eo nomine reprehendit Christus, Matth. xv. 9. quod docerent doctrinas mandata hominum; vel e contra aliqua dogmatice prohibebant ut illicita quae Deus nusquam vetaverat, dicentes non licere hoc vel illud tangere, gustare, attrectare. Monet Apostolus, caveant sibi a dogmatizantibus eis doctoribus Colossenses, nec Conscientiis suis laqueum injici sinant ab eorum imposturis. Non ergo peccant Magistratus politici, qui in rebus mediis aliqua subditis praecipunt aut prohibent, utilitatis, ordinis, aut honestatis et decori gratia, citra tamen opinionem necessitatis ex utraque parte, quod ad rem ipsam praeceptam vel prohibitam spectat. Peccant potius Ministelli illi, (Magistellos rectius dixerim, ita Magistraliter omnia pronunciantes,) qui innoxias Magistratuum Leges importune sollicitant, dictaturam in Conscientias populi exercent; et quod non sapit ipsorum palato, id omne aut impietatis damnant extemplo, aut saltem superstitionis.

§. 35. 35. Quod, quarto loco, ex eo urgent, quod nos Christus liberavit a Legibus Dei positivis, ergo multo etiam magis a Legibus humanis, non uno modo peccat. Imprimis, non illud vere dicitur, Christum nos liberasse a Legibus Dei positivis, quibus scilicet nunquam tenebamur. Leges enim positivae, sive Dei, sive hominum, non obligant nisi eos duntaxat quibus positae sunt. Dei autem Leges illae, quas positivas vocant, et a quibus nos per Christi mortem liberatos volunt, sive Rituum sive Judiciorum, Judaeis tantum positae sunt: nobis, hoc est, populo Christiano, non item. Deinde, ubi quid Deus fieri velit satis constat, non est nostrum ex collatione comparatorum importunius statuere quid fieri debuit. Constat autem utrumque Deum voluisse, et ut Leges ipsius positivae Hebraeo populo a

Mose traditae non obligarent Christianos, et ut Leges humanae a Magistratibus rite institutae subditos obligarent. Non animadvertunt denique qui ista objiciunt, eo argumento, si quidem valeret, tolli Legum humanarum non Obligationem solum, sed et omnem penitus usum. Non enim aliter nos Christus liberavit a Legum Mosaicarum Obligatione, quam earum usum ita tollendo ut non amplius essent nobis pro Legibus habendae. Si igitur eodem modo voluerit nos liberos esse ab Obligatione Legum humanarum, voluisse eum quoque necesse est ut nullae exstarent amplius humanae Leges. Quod est Anabaptistarum et fanaticorum hominum delirium, nec ab ipsis admittitur qui ista objiciunt.

36. Objiciunt et illud Jacobi Apostoli, *Unus est Legislator*, §. 36. &c. Jac. iv. 12. Deus scilicet et Christus, qui solus Dominus est itemque ei Conscientiarum.* Juris igitur Christi invasor est, et se in Dei quae ab uno Legislatore Deo et Christo ducta est: thronum ingerit, quisquis sibi potestatem assumit obligandi aliorum Conscientias. Respondeo, Legislatorem unum esse tantum Supremum, qui merum et directum imperium habet in Conscientias hominum, ut eas obligare possit per se, et virtute ac auctoritate propria, Deum nempe et Christum: quod voluit Apostolus. Quod tamen non impedit, quo minus sint et alii Legislatores inferioris ordinis et gradus, qui per concessam sibi et derivatam a summo illo Legislatore potestatem, jus habeant et ipsi Leges condendi, quae ex consequenti Conscientias obligent. Prorsus ut Rex, qui solus habet in regno suo potestatem Legislativam *αὐτοκρατορικὴν*, potest tamen per Chartam suam alicui communitati vel collegio jus dare condendi Leges, quae obligent omnia illius corporis membra: non virtute propria, sed vi donationis Regiae et ex potestate sibi a Rege concessa. Gaudent hoc privilegio, ut omnes nostis, Academiae nostrae, ut possint in legitima Convocatione Leges, quae Statuta dicimus, rogare; poenas delinquentibus irrogare; eadem Statuta, si sic expedire videbitur, abrogare et refigere. Cujus potestatis exercitium nemo tamen sanae mentis existimaverit juri Regis *νομοθετικῶ* ullatenus derogare, vel ei fraudi esse posse aut praedjudicio, nisi ultra definitos in Charta donationis limites protendatur. Quin potius eximium est et singulare Regiae *αὐτοκρατορίας* indicium, quod Legislativam Potestatem non tantum

* See Praelect. iv. §. 8.

ipse habeat, sed et aliis etiam, salvo tamen suo jure, habendam, utendam, concedere possit.

§§. 37-41.
ut et reli-
quis quae
contra hanc
sententiam
disputan-
tur.

37. Reliquae Objectiones quum uno eodemque fere nitantur fundamento, una proinde eademque opera solvuntur. Attingam ergo breviter. Objiciunt, tertio, potestatem civilem esse mere temporalem : non ergo pertingere ad Conscientiam, quae res est quaedam spiritualis. Quarto, finem Legum humanarum esse pacem Reipublicae externam, non internam Conscientiae : ergo et Leges ipsas exteriorem hominem tantum obligare, non item, quae intus est et latet, Conscientiam. Quinto, Magistratum Conscientias judicare non posse, ergo nec Leges eis ferre, quum sit ejusdem potestatis Leges dare et secundum Leges judicare. Sexto, Magistratum Legem ferendo non habere intentionem obligandi Conscientias subditorum, sed tantum obligandi ad id praestandum quod Lex imperat ; quod si praestatur, perinde esse ad utilitatem Reipublicae sive id ex officii Conscientia fiat, sive non ; et effectus actionum sat esse si commensurentur intentioni agentium, nec ultra extendi debere.

§. 38. 38. Respondeo ; et primum universim. His omnibus argumentis id tantum effici, Leges humanas non obligare directe et per se, aut vi propria ; quod nos ultro largimur, qui Obligationem non aliam asserimus, quam quae ipsis obvenit ex consequenti, et virtute generalis Praecepti Divini de praestanda sublimioribus potestatibus obedientia. Deinde ex hoc fundamento ad singulas Objectiones respondeo. Ad tertiam dico, potestatem civilem, quum sit mere temporalis, habere non posse ex se, et respectu objecti circa quod proprie et immediate versatur, effectum spiritualem ; proinde nec inducere ex se obligationem spiritualem : posse tamen habere effectum spiritualem ex consequenti, per derivationem a potestate superioris alicujus causae in cujus virtute operatur. Operatur autem Magistratus, quoties concessam sibi Divinitus Potestatem Legislativam rite et debito modo exercet, in virtute Dei ipsius, et ex ejus ordinatione : qui et ipse Spiritus est, et, ut spirituum Dominus et Pater, imperium habet in spiritus hominum.

§. 39. 39. Ad quartam dico, Etsi pax communitatis sit res externa, internam tamen Conscientiam obligari ad eam omnibus modis licitis et honestis pro virili procurandam et conservandam, eo quod praecepit nobis Deus, Conscientiae Dominus, ut pacem, quum privatam, tum multo adhuc magis publicam, diligamus et

sectemur. Nec inconvenit Conscientiam, etsi sit internum quid, obligari ad rem externam, siquidem consurgit Obligatio Conscientiae, non ex natura vel aliqua conditione rei sive obiecti in quod fertur, sed ex voluntate ejus qui habet jus obligandi, id est unius Dei.

40. Ad Quintam dico, Potestatem νομοθετικήν et κριτικήν, §. 40. Legislativam scilicet et Judiciariam, eidem personae competere originaliter, nempe τῷ ὑπερέχοντι, ei qui supremam habet in subditos jurisdictionem; posse tamen dispensative, ex voluntate supremi Magistratus, ab aliis personis administrari, vel utramvis vel etiam utramque prout ipsi collubitum est. Deus ergo, etsi solus habeat in Conscientias creaturae potestatem ἀποκροτορικήν, tum Leges ferendi, tum judicandi, jure originali, proprio, et absoluto, dispensationem tamen utriusque potestatis potest ipse aut alteri delegare, aut sibi reservare, pro beneplacito suo. Proinde non esset hac ex parte absurdum, si quis concederet Deum Magistratui potestatem obligandi Conscientias quadamtenus delegasse, Judiciariam vero in eas potestatem sibi integram reservasse. Sed nulla nos cogit necessitas ut hoc concedamus, aut locutione utamur quae sit leni interpretatione juvanda. Neque enim illud dicimus, Deum dedisse Magistratui potestatem obligandi Legibus suis subditorum Conscientias; sed hoc potius, quod est aliquanto cautius et commodius loquendi genus, Deum dedisse Magistratui potestatem Leges ferendi, quae, ex sola tamen auctoritate ipsius Dei, obligent subditorum Conscientias. Non enim, proprie loquendo, Magistratus obligat Conscientiam ad parendum Legi, sed Deus obligat Conscientiam ad parendum Magistratui.

41. Et per hoc patet responsio ad ultimam Objectionem. §. 41. Concedo quidem effectus actionum non debere extendi ultra intentionem agentium. Ubi tamen sunt plura agentia subordinata, nihil impedit effectum actionis extendi ultra intentionem inferioris agentis, dummodo non excedat intentionem agentis principalis. Sicut in generatione monstri, ut ex Aristotele pueri didicimus, effectus, qui est productio monstri, est praeter intentionem secundae causae, sive Naturae naturatae, ut loquuntur, hoc est, generantis; sed non est praeter intentionem primae causae, sive Naturae naturantis, hoc est, Omnipotentis Dei. Licet ergo Magistratus ferendo Legem nullam

habeat explicitam intentionem obligandi Conscientias, attamen instituendo Legem instituit id, quod ex intentione et ordinatione Dei habet implicitam et sibi necessario conjunctam vim obligandi. Atque haec dicta sunt de Obligatione Legum humanarum in generali.

Ad Quaestiones, sive Casus dubios particulares, progrediar, si Deus permiserit et per ambiguum valetudinem licuerit, sexta feria proxima.

PRAELECTIO SEXTA.*

DE OBLIGATIONE LEGUM HUMANARUM EX PARTE CAUSAE MATERIALIS.

PROV. VIII. 15.

Per me Reges regnant, et Legum conditores justa decernunt.

QUAE de Legum humanarum Obligatione dicenda proposui, §. 1. Propositio
ad duas Quaestiones generales, velut capita, revocavi. Altera, An Leges humanae obligent subditorum Conscientias? dicendo-
ram, An Leges humanae obligent subditorum Conscientias? rum.
de qua quid mihi sentiendum videbatur superiore Praelectione
exposui; alteram, Quatenus obligent? quo pertinere dixi ple-
rorumque Casuum et Dubiorum, quae in hac materia occur-
runt, decisionem. Quae, quoniam nec pauca sunt, nec unius
generis, ad vitandam rerum confusionem, et ut vobis aliquis
qualiscunque dicendorum ordo et ratio constet, non ab re fore
judico, totius institutae tractationis rudem quendam σχηματισμόν
et diagraphen ὡς ἐν τύπῳ vobis ob oculos proponere. Quod
autem in prioribus illis meis de Juramenti Obligatione exerci-
tationibus factum plerique vestrum meministis, idem mihi nunc
denuo imprimis censeo faciendum: ut scilicet quae ad quatuor
Causarum genera commode referri posse existimem, eo redu-
cantur singula. Sed quoniam restare video adhuc nonnulla
quae istis finibus non possunt ita facile concludi, sunt et illis
suae quoque classes assignandae. Eaeque potissimum duae:
de Personis, quae istiusmodi Legum Obligationi subjacent,
altera; altera de collatione virtutis obligatoriae quae Legibus
humanis inest, cum ea quae oritur ex Conscientiae iudicio, ex
Voto, Juramento, Promissione, vel Contractu, ex Scandali Lege,
aut siquid aliud sit aliunde obligatorium: quum repugnare vi-
dentur invicem istae Obligationes, utra scilicet utri cedere de-
beat. Tertia enim classis ut addatur, propter Legum species

* A transcript of this Lecture, lege, P. 18, fol. 242, has this note
among the MSS. given by Bp. Bar- prefixed: 'Ter. Trin. et Mich. 1647.
low to the Library of Queens' Col- Praelec. 2^{da}.'

quasdam quae videntur continere in se aliquid singulare, quales sunt Leges Ecclesiasticae, Leges quae Poenales dicuntur, Collegiorum et minorum Societatum localia Statuta, Privilegia, &c, non erit fortasse admodum necessarium, quum possint ista fere ad aliquod e quatuor Causarum generibus aliquo modo reduci, si non ita apposite ut istarum rerum curiosis satisfiat, at quantum sufficit instituto nostro, qui dum quid rerum agitur auditores intelligant, de methodo non ultra laborandum semper existimavimus. Agendum itaque, si Deus ad ea quae proposui perficienda vitam, valetudinem, opportunitatem concesserit, primo loco de Legum Obligatione quoad quatuor Causarum genera; proximo, de Personis quae ad Leges observandas obligantur; novissimo, de Obligationum invicem pugnantium comparatione; praemissis tantum una et altera distinctione, quae in toto hoc negotio permagni erunt usus.

§§. 2, 3.
Obedien-
tiae debi-
tum, et
Subjectio-
nis: utri-
usque dis-
crimen.

2. Sciendum ergo, primo, quum sit ad ordinis politici finem in iis qui praesunt duplex potestas necessaria, Directiva scilicet, ut subditi quae sibi facienda sint intelligant, et Coercitiva (sic enim potius dicendum ex Analogiae ratione quam Coerciva,) sive Coactiva, ut ad imperata facienda, si ultro nolint, compellantur; quarum utraque in Legibus ita continetur, ut illa in praeceptionibus maxime, haec in poenarum sanctione cernatur, exurgere ex duplici illa Praelati potestate, duplex etiam, quod utrique potestati respondeat, subditi debitum, *ὕπακοήν* scilicet et *ὑποταγήν*. Debitum Obedientiae, respectu potentiae directivae; et debitum Subjectionis, respectu potentiae coercitivae. Subjectionem hic intelligo proprie dictam, nempe generis appellatione, ut alias saepe fit, ad unam certam speciem restricta. Nam et Obedientia species est Subjectionis late sumptae. Utrumque hoc debitum simul complexus est Apostolus, Heb. xiii. 17, et duabus illis vocibus significavit, *Πείθεσθε καὶ ὑπέκτετε*. *Obtemperate praepositis vestris, et subditi estote.* Quarum illa, *πέθεσθε*, ad debitum pertinet Obedientiae, sive faciendi quod a legitimo Superiore praecipitur: haec, *ὑπέκτετε*, ad debitum Subjectionis, sive patiendi quod ab illo infligitur. Porro, ut ex duplici potestate duplex oritur debitum, sic ex duplici debito duplex oritur Obligatio. Nam et omne debitum trahit Obligationem, et omnis Obligatio supponit debitum. Est ergo Obligationis humanae Legis genus unum, quo tenentur subditi parere praeceptioni ipsius Legis; alterum, quo

subesse tenentur potestati ipsius Legislatoris. Illa Obligatio ad *ὑπακοήν* est, hoc est, ad Obedientiam activam; ista ad *ὑποταγήν*, sive ad Obedientiam quam vocant passivam: nos Subjectionem dicere maluimus.

3. Jam si quaeratur, Quatenus Leges humanae obligent Conscientias subditorum? dicendum, primo, Leges omnes ab habente legitimam potestatem latas obligare utcunque ad *ὑποταγήν*, ad subjectionem, ita ut subdito non liceat supremæ potestati vi et armis resistere, sive is justa præceperit sive injusta. Perpetua hæc fuit mens et praxis Christianorum in primis Ecclesiae sæculis, sub gravissima hostium Christiani Nominis tyrannide degentium; idque, ut Naturæ ductum interim taceam et rectæ Rationis lumen, ex apertissima utriusque summi Apostoli doctrina. Sic Petrus, circumcisionis Apostolus, Judæos, sic Gentium doctor Paulus suos Gentiles sedulo instituit. Ille, 1 Pet. ii. 18, ubi *servis-familias* præcipit *dominis suis ὑποτάσσεσθαι, non solum bonis et æquis, sed et sævioribus* illis, qui plagas ipsis nihil tale commeritis inferrent. Hic, Rom. xiii. 2, ubi Subjectionis necessitatem pluribus urget, resistendi vero licentiam, quocunque in casu, quocunque sub prætextu, nemini concedit. Dicendum, secundo, Subjectione, utut simpliciter necessaria, non tamen satisfieri officio, nisi et obediatur Legis imperio, ubi id sine peccato fieri potest; et proinde subditum et ad *ὑπακοήν* obligari in Conscientia in rebus omnibus licitis et honestis. Hinc toties ab Apostolo disertim inculcatur illud *ὑπακούετε*, Eph. vi. 1, 5, Col. iii. 20, 22, et alibi. Dicendum, tertio, ubi observari non potest Legis præceptio sine peccato, subditum si patienter se subjecerit potestati Legislatoris, officio suo et debito fecisse satis; nec obligari in Conscientia ad faciendum quod Lex præcipit: immo obligari ad non faciendum, quum ad illicita nulla possit esse Obligatio.* Semper igitur necesse est subjici, *ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι*: non semper necesse est obedire.

4. Porro, quum utrumque certum sit, tum Conscientias ho- §§. 4, 5.
minum liberas et esse, et esse debere, cui Libertati nulla pote- Sub ea
stas humana præjudicare aut possit aut debeat;^a tum etiam Obliga- Obliga-
tione, quam

* See above, Praellect. v. §. 9; and compare De Juramenti Obligatione, Praellect. ii. 13.

tem in totum hominem descendere: pars melior ejus excepta est. Seneca, de Benef. iii. 20.

^a Errat, si quis existimat servitu-

Leges inducunt, Conscientia interim libera est.

Obligationem quoddam vinculum esse, et necessitatem aliquam inducere, quae videtur cum justa Libertate pugnare, neque enim aut omnino liber est, qui vinctus est, aut ad utrumlibet liber, qui ad alterutrum necessitate aliqua arctatur: ut liquido constet consistere posse cum justa Conscientiarum Libertate hanc de qua nunc agimus Conscientiarum Obligationem, necessario nobis adhibenda est altera adhuc distinctio. Scilicet praeceptionem Legis humanae posse sumi dupliciter: vel formaliter, pro ipso actu praecipendi, vel materialiter, pro re praecepta. Legislator ergo, si intenderet Obligationem sive parendi necessitatem, quam subito imponit, a praeceptione suae Legis materialiter accepta deducere, hoc est, a necessitate ipsius rei praeceptae, quae tamen in rei veritate ante Legem illam latam non esset necessaria, vim sane faceret ipso facto Conscientiae subditi, quae ipsius Libertati adversaretur. Quod si Obligationem eam non aliunde ducat quam a praeceptione suae Legis formaliter accepta, hoc est, a sua praecipientis legitima auctoritate, rei ipsius praeceptae morali ἀδιαφορίᾳ in medio interim relicta, et in eodem statu quo ante Legem latam fuerat permanente, etsi Obligatio sequatur, quae parendi necessitatem Conscientiae imponat, illaesa tamen et integra manet interna Conscientiae Libertas.

§. 5.

5. Exemplo res, si cui obscura videatur, clarior evadet. Lege civili lata, ne quis carnes tota Quadragesima comederet, si Legislator in prooemio vel corpore ipsius Legis alicubi significaret, hoc se propterea subditis imperare, quod impium sit aut illicitum eo tempore carnibus vesci, esset hoc quidem subditorum Conscientiis laqueum injicere, earumque Libertatem, quantum in ipso esset, labefactare. Quod si expresse significaret Legislator, se de re alias et in se libera, ad Reipublicae aliquam commoditatem sic statuisset, aut ut inde populus Christianus ad veteris Ecclesiae exemplum occasionem caperet asceticae disciplinae utcunque exercendae; vel si ex verbis Legis aut alicunde constare posset, Legislatorem ea Lege non intendisse aliquam necessitatis opinionem rei ipsi imperatae affigere, nulla subditorum Conscientiae, ejusve Libertati, hoc pacto fieret injuria. Longe enim alia res est, quum quid propterea a Magistratu praecipitur, quod putetur esse necessarium, aut prohibetur, quia putatur esse illicitum: alia, quum quid tum demum incipit haberi necessarium, postquam est a Ma-

gistratu praeceptum ; aut illicitum, quia est ab eo prohibitum. Prior illa necessitas, quae se habet antecederet ad Legem, et ab ea supponitur, ut ejus causa aliqua, Conscientiae Libertati repugnat ; at posterior ista, quae consequenter se habet ad Legem, et ab ea oritur ut effectus ejus, non repugnat. Cujus discriminis ratio est, quod necessitas illa antecedens quam Lex supponit, necessario requirit assensum aliquem judicii practici : ad necessitatem autem consequentem quae ex Lege oritur sufficit consensus voluntatis ad faciendum id opus externum quod Lege praecipitur. Actus autem Voluntatis non potest Libertati Conscientiae praepredicare, sicut praepredicat actus judicii : quia Voluntatis actus sequitur Conscientiae dictamen, ut effectus sequitur suam causam ; actus vero Judicii praepredat illud dictamen, ut causa praepredat suum effectum.

6. His distinctionibus praemissis, ad Dubia pergo : ubi primo loco illa occurrunt, quae ad Materialem Causam pertinent, hoc tempore sola discutienda. Dubium itaque primum esto de Materia Impossibili. De qua dico, primo, Legem de re prorsus impossibili ferri non debere : si feratur, tyrannicam esse, et de jure nullam, nec quenquam obligare in Conscientia. Ratio prima. Quia Leges feruntur de actibus ut ab homine agendis, qui est liberum agens ; Libertas autem dicit potestatem ad utrumlibet ; sed in rebus impossibilibus non est libera potestas ad utrumlibet, ut per se patet. Ratio secunda. Nemo potest jure obligari ad id faciendum, ejus omissio non potest ei imputari ad culpam, nec debet ei imputari ad poenam ; omnis enim Obligatio aut ad culpam est, aut ad poenam, vel etiam utramque. Sed rei impossibilis omissio non potest alicui imputari ad culpam, nec debet alicui imputari ad poenam : ergo &c. Sed quod rei impossibilis nulla possit esse Obligatio, sive ea sit ex natura rei, sive ex circumstantiis, sive alio quocumque modo impossibilis, est a me jamdudum ex hoc loco satis confirmatum, quum de Juramenti Obligatione^b disserui ; nec opus est repetitu.

§§. 6, 7.
Dubium
Primum.
De Lege
jubente
rem impos-
sibilem ;

7. Dico, secundo, Legem de re plerisque possibili, sed quae videtur multis, aut paucis aut uni forte alterive impossibilis futura, posse quidem, si sit ex usu Reipublicae, licite ferri ; non tamen nisi admodum gravis subsit causa, et postulet mani-

§. 7.

^b Praelect. ii. sect. 12.

festā necessitas; latam vero, omnes eos obligare qui eam servare possunt, reliquos autem non obligare. Ut si Tributum grande in necessarios Reipublicae usus imperetur, cui solvendo aliqui subditorum non sint pares: qui pauperiores sunt quam ut solvere possint summam Lege imperatam, non obligari in Conscientia ad id faciendum quod ab ipsis fieri non potest, ex jam dicta hypothesi certum est. Obligantur tamen apud eos qui praesunt, tenuitatem suam aperte, sed sincere id et sine mendacio profiteri; et nisi possint ab eis aut omnimodam a Lege exemptionem, aut aliquotae saltem summae imperatae partis remissionem mereri, quantum possunt conferre in publicum. Quia qui non potest quod debet, debet tamen quod potest.^c

§. 8.
Dubium¹
Secundum,
—aut pos-
sibilem qui-
dem, sed
multum
onerosam.

8. Dubium secundum, de re Lege imperata, non impossibili, sed valde tamen gravi et onerosa, et quam subditus praestare non potest sine summo suo incommodo, damno, vitae discrimine, vel totius rei familiaris ruina. Dico, primo, Legislatorem, si praevideat hoc futurum, debere aliqua cautione in ipsa Lege ferenda, quam commode fieri potest, providere huic malo aliquod remedium. Id si non possit ita commode fieri in ipsa Legis formula, ne vafri hominibus, in ejusmodi occasiones plus satis attentis, aperiatur isto pacto rimula aliqua qua evadant et vim Legis eludant; illud saltem, quantum in ipso est, procurare debere, ut in Lege exsequenda aliquis modus adhibeatur,^d ne Lex alias utilis et necessaria honesto cuiquam civi fraudi vel nocumento sit. Dico, secundo, subditum eo quo jam supponimus modo aggravatum, teneri in Conscientia Legi obedire, etiam cum ruina totius rei familiaris, si boni publici ratio aliqua evidens et necessaria id postulet. Ut si Lex feratur, exercitu hostili regnum invadente, ut in agris segetes omnes per aliquot milliarium a litore spatium devastentur, omne frumentum in horreis et apothecis, quod non posset alio deportari, exuratur, aedes suburbanae diruantur, prata immisis fluminibus submergantur, obligatur omnino unusquisque civium ei Legi parere, atque imperata libenter et alacriter

^c μηδὲ ὅτι τῆς ἀξίας λείπη, τὸ πᾶν ἐλλίπησ. Gregor. Nazianz. Orat. 9. [i. 154 A. ed. Bill.] Debeone omittere quod possum, quoniam quod debeo minime possum? Bernard. Epist. 175. [tom. i. col. 172. ed.

Ben.]

^d Χρὴ τοὺς νόμους μὲν τίθεσθαι σφοδρῶς, πραοτέρως δὲ κολάζειν ἢ ὡς ἐκείνοι κελεύουσι. Isaëus ap. Stob. λογ. μς'. [48. 25. ed. Gaisford.]

facere, ut cum jactura rei privatae redimat salutem publicam. Idque non ea solum ratione, quod certum sit, prodita hostibus, intempestiva frugalitate, patria, calamitatem in privatos quosque cives propediem emanaturam; sed ex officii quoque Conscientia vel maxime, quod sit omni viro bono bonum publicum privato anteferendum. Dico, tertio, subditum, nisi insignis aliqua appareat necessitas, vel publici periculi metus, ordinarie non teneri valde onerosae Legi parere, cum certa rei domesticae ruina, aut capitis periculo: teneri tamen, ut ante generatim dictum est, (quod et in omnibus fere casibus observandum moneo, ne sit necesse id ipsum multoties repetere,) quidquid sibi injuriae vel contumeliae a sublimioribus potestatibus illatum fuerit, id aequo animo perpeti, nec eis ullatenus resistere.

9. Dubium Tertium, de re necessaria. Si Lex humana aliquid praecipiat quod fuit ante necessarium et Lege Dei §. 9. Dubium Tertium— praeeptum, aut prohibeat quod fuit ante illicitum et Lege Dei aut quae fuit ante necessaria. prohibitum, quae sit Obligatio? Respondeo breviter, subditum illa Lege simpliciter obligari. Nam primo, Obligatio quae praefuit vi Legis Dei non impedit effectum Legis humanae, excludendo Obligationem novam: quum possit quis ad idem officium pluribus vinculis obligari, ut superiore Lectione satis ostendimus. Cui rationi et illa adjicienda est, secundo, Legem humanam addere plerumque aliquid Legi Divinae: determinando scilicet actum, quoad substantiam suam, Lege Dei imperatum; proinde et necessarium, quoad modum, quantitatem, aut aliam sui circumstantiam, quae fuit ante libera; vel etiam adjiciendo Legi Divinae prohibenti rem illicitam determinationem aliquam, quoad gradum criminis, vel poenae genus, ejusve mensuram, aliaque ejusmodi. Exempli gratia, Coetus publicos ad officia Sacri Cultus peragenda haberi, Divini Juris est. At quibus horis, quo loco, populo sit conveniendum; qua verborum forma, quo situ corporis in singulis Sacrorum Officiorum partibus sit utendum, caeteraque similia, Constitutionibus humanis definienda restant. Sic ne furtum fiat, Lex Divina prohibet; sed quod furti genus quo supplicii genere sit puniendum, a Lege humana est. Habet utique ex hac determinatione rei generalis et Lege Dei indeterminatae Lex humana, quod subditi Conscientiae inducere possit novam Obligationem, ab illa priore Obligatione non modo numero diver-

sam et ratione termini, in quantum aliunde pendet, sed specie quoque diversam, et ratione materiae, quia versatur circa aliud objectum. Prior enim illa Obligatio, quae a Lege Dei oritur, est ad rem ipsam quoad substantiam: haec posterior, quam superinducunt Leges humanae, ad rei modum est, aut aliquam ejus circumstantiam.

§§. 10, 11.
Dubium
Quartum—
aut turpem
et illicitam.
Ubi Quae-
stiones i.
An propter
utilitatem
publicam
ferri debeat
Lex injus-
ta?

10. Dubium Quartum, de re turpi et illicita, quod est sane magni momenti Dubium, et multos casus continet, quia omnes fere conditiones, quae ad Legem rite constituendam requiruntur, ad unam Justitiam reducuntur.^e Non ob eam duntaxat rationem, quod Universalis Justitia *συνλήβδην πάσ' ἀρετή' στιν,*^f et universas virtutes suo ambitu complectatur; sed ob id etiam praesertim, quod Justitia Particularis, et speciatim illa quae Legalis Justitia dici solet, prae reliquis virtutibus omnibus praecipuum sit, et quasi unicum Rerumpublicarum et omnium humanarum societatum columen. Circa hoc Dubium quaeritur, primo, An propter utilitatem publicam ferri debeat Lex injusta? Dicitur in ea fuisse sententia Nic. Machiavellus,* ut diceret Legum debitam materiam esse eam, sive justam sive injustam, quae statui politico conservando augendoque esset commodissima. Quum enim potestatis civilis, ex ipsius sententia, finis sit sui conservatio et imperii amplitudo, nec possit ea potestas strenue conservari, multo autem minus proferri imperium, si Leges omnes, omnia principum consilia, ad exactam justitiae et honesti normam essent exigenda, eorum qui praesunt interesse videtur, ita inflecti nonnunquam in alteram partem honesti regulam, ut utilitati publicae possit inservire. Finem enim in omni re, optimam esse mensuram mediorum. Ut sit de Machiavello, fuit illa certe sententia magni nominis olim apud Lacones viri,† qui palam id esse honestum pro-

^e πάντα τὰ νόμιμά ἐστί πως δίκαια. Aristot. Ethic. Nicom. v. [1. 12.]

^fTheognis. [vers. 100. ed. Welcker. Compare Aristotle, Nicom. Eth. v. 1. 15.]

* See the Discourses upon the Third Decade of Livy, III. xli. p. 426 of the English Translation. 'And this ought to be considered and observed by every man whose office it is to advise for the good of

his Country; for where the safety of that is in question, no other consideration ought to be coincident, as whether the way be just or unjust, merciful or cruel, honourable or dishonourable; but postponing all other respects, you are to do that which shall procure the safety of your country and preservation of its liberty.'

† Lysander. See Plutarch. A-pophth. Lacon. Opp. tom. ii. 229.

nunciavit quod esset Spartis utile. Affertur firmandae huic sententiae dictum illud Horatianum—

Ipsa utilitas justi prope mater et aequi; §
 exemplum etiam Turcarum, quod quam ipsis salutare fuerit res ipsa comprobavit atque eventus; qui hoc nixi principio imperii sui fines longe lateque per Asiam, Africam, Europam, felicissime produxerunt. Quo pessimo principio nisi reipsa niterentur qui tamen se profitentur maxime, paene dixeram solos, Christianos, et purioris Religionis instauratores audire gestiunt, sub tot sacrilegiis, perjuriis, seditionibus, bellis, tumultibus, tyrannide, non ingemisceret hodie passim Orbis Christianus.

II. Sed contra. Non debent Principes terrae uti ea potestate quam a Deo acceperunt contra Ipsius voluntatem, aut aliorum quam Ipse intendit. Neque enim tam data est illis ea potestas ut dominis, quam a Deo credita ut administris: * *λειτουργοὶ Θεοῦ, et διάκονοι*, Rom. xiii. 4, 6. Credita autem eo fine, ut justitiam colerent, non ut tyrannidem exercerent et injuste dominarentur. Quod vel ex proposito Textu manifestum est: *per me Reges regnant, et Principes justa decernunt*: ac si id demum esset regnare, et vere principem agere, quod justum sit hoc tantum decernere. Quin et Prophetæ passim severam Dei iram et vindictam proclamant adversum Reges et Principes, qui *iniqua decreta* statuerant, et meditati erant *Esai. x. 1. iniquitatem sicut Legem*. Neque vero est, quem hujus mundi *Ps. xciv. 20. Politici* dicunt, potestatis civilis finis, Imperii dilatatio; sed conservatio populi *in pace et tranquillitate, cum omni pietate et honestate*, 1 Tim. ii. 2. † Est autem Justitia publicae pacis, si qua alia, conservatrix optima. Ut enim Justitia fidei pacem Conscientiae internam, ita Justitia legalis pacem Reipublicae externam et parit et conservat. *Erit fructus justitiae pax*, *Esai. xxxii. inquit* Propheta: immo et Thebanus Vates, *φίλη Ἀσυχία δίκας* ^{17.} *θυγατήρ*.^h Neque Horatiani dicti ea mens est quasi censisset mera utilitate metiendum esse honestum, qui longe aliud spectavit eo versu, nimirum utilitatis publicae et communis boni intuitu adductos initio homines rudes adhuc et vagos, ut in

§ Sat. I. iii. 98.

* Compare Praelect. v. §. 24. and Praelect. vii. §. 15.

† Compare Praelect. v. §. 19.

^h Pindar. [Pyth. viii. 1. *Φιλόφρον Ἀσυχία, Δίκας ὧ μεγιστόπολι θυγατέρ.*]

unum coirent, societates colerent, justis legibus et poenis vim, scelera, injurias coererent. Quae denique a Turcis ducuntur, quos videtur Deus eo potissimum fine excitasse, ut eo quasi flagello summam Christianorum perfidiam aliaque peccata corrigeret, aut alias a prospero rerum successu trahuntur in malae causae praesidium argumenta, Alcoranum magis sapiunt spurci nebulonis, quam puritatem Evangelii Servatoris Christi.

§. 12.
ii. An la-
tam subdi-
tus teneat-
tur obser-
vare?

12. Quaestio Secunda, Lex injusta, etsi fieri non debuit, si tamen lata fuerit, an obliget Conscientiam subditi, ita ut eam teneatur observare? Multa enim quae fieri non debent, facta tamen valent;* et fieri potest, ut quod non potuit sine peccato praecipui, possit tamen sine peccato praestari, ut in praecedentibus lectionibus abunde confirmavimus. Ratio dubitandi est, quia vera Obedientia non est disputatrix. In hoc enim proprie consistit Obedientiae ratio, ut se quis alterius voluntati sine aliqua disceptatione subjiciat. Nimis delicata est Obedientia, ut scite Bernardus,† quae transit in genus causae deliberativum. Respondendum tamen breviter, subditi Conscientiam ejusmodi Lege non teneri: quae fuit superioris Praelectionis conclusio prima, et ibi etiam pluribus confirmata. Et potest etiam, si quis adhuc plura desideret, inde ulterius probari, quod nulla potestas inferior potest obligare contra voluntatem superioris potestatis: ergo quum sit Dei potestas omni humana potestate superior, non potest ulla cujuscunque hominis potestas obligare contra voluntatem Dei, qui Lege sua prohibuit omnia prava et turpia, unde Augustinus,‡ Legem non videri ait, ‘quae justa non fuerit.’ Et per hanc rationem solvitur argumentum a ratione Obedientiae ductum, concedendo subditum debere se voluntati superioris sine disceptatione subjicere; Superioris nempe supremi, in cujus voluntatem ultimate resolvitur Obedientia, non autem Superioris subordinati, si voluntatem ipsius voluntati supremi illius constet adversari. Est autem Deus absolute summus Imperator,ⁱ

* Compare De Juramenti Obligatione, Praelect. ii. §. 14.

† Delicata satis, immo nimis molesta est hujuscemodi obedientia, . . . Disputare profecto hoc est in astu cordis, non in auditu aures obedire. De Praecept. et Disp. x. tom. i. 509 E. ed. Ben. Paris. 1690. Com-

pare Sermon iv. ad Clerum, §. 14.

‡ De Lib. Arbitr. i. 5. tom. i. col. 573 E. ed. Ben. Compare Praelect. v. §. 7.

ⁱ Quod jubet homo, prohibet Deus; et ego audiam hominem surdus Deo? Bernard. Epist. 7. [§. 3.]

cujus utique nuda voluntatis significatio sufficit ad inducendam parendi obligationem, praesertim quum sit certissimum voluntatem ipsius non posse esse injustam. Paruit itaque Abrahamus Deo ea mandanti quae, nisi praecepisset ipse Deus, videri potuissent non dura solum et iniqua, sed et impia scelerisque plena. Scilicet ut patre, patria, cognatione relictis, in terram longinquam pariter et incertam, pauper, exsul, hospes proficisceretur: immo ut filii unigeniti, in quo uno reposita essent non omnia modo solatia subsidiaque senectutis suae, sed et spes omnis promissionum Dei, propria manu jugulum solveret, eumque aris impositum victimam offerret tam saeva imperanti Deo. Recte ille quidem, et ut virum decuit qui dici mereretur *fideliūm Pater*, et esset universo Orbi incon-

Rom. iv. 12.

13. Quaeritur, tertio, Liceatne saltem subdito cedere jure suo hac ex parte, et quamvis non obligetur, legi tamen istiusmodi sponte sua parere? Respondeo, ne hoc quidem licere, quia Lex Dei simpliciter obligat* ad non faciendum aliquod turpe vel illicitum. Injusta ergo Lex, (injustam intellige eo sensu in quo nunc loquimur, injustam ex parte materiae) non

§. 13.

iii. An saltem liceat eam observare?

* [Quomodo ergo vel Abbatis jussio vel Papae permissio licitum facere valuit quod purum (sicut irrefutabiliter probatum est) malum fuit, cum superius nihilominus allegatum sit ea quae hujuscemodi sunt, id est,] pura mala, ut nun-

quam juste juberi, sic nec licite posse fieri? Bernard. Epist. 7. [§. 8. Pura mala sunt, furtum, sacrilegium, adulterium, et caetera talia, quae utique nec vel bene praecipii vel perfici possunt, nec male prohiberi vel non fieri. ibid. §. 4.]

potest licite servari, quia non potest Deus licite offendi. Quidquid enim Legi Dei, aut Naturae Lumine notae et cordibus inscriptae, aut in Verbo scripto revelatae, adversatur, non est ob quodcumque vel detrimentum proprium, vel proximi scandalum, vel Praelati sive gratiam promerendam, sive declinandum odium, viro Christiano admittendum. ‘Da veniam, Imperator: tu carcerem, ille gehennam:’* sic olim veteres illi

Act. iv. 19. Christiani. Sic ante eos Domini Jesu Christi Apostoli, *Oportetne vobis magis obaudire quam Deo, ipsi judicate*; et

Dan. iii. 18. ante eos etiam Hebraei adolescentes, *Notum sit tibi, Rex, quod nolumus adorare imaginem auream quam tu erexisti*.

§. 14.
iv. Cuinam
Legi injus-
tae parere
liceat, et
cui non?

14. Quaeritur, quarto, Quae Lex ita injusta censenda sit, ut non solum non obliget, sed et ei parere non liceat? Respondeo, Legem posse esse injustam ex multiplici causa. Primo, ex parte Causae Efficientis, si feratur a non habente legitimam potestatem. Et ista est injusta ob defectum Justitiae Commutativae, quia plus sibi assumit lator quam debet, aut ei ex aequo convenit. Propterea nec subditum obligat ad obediendum: potest tamen subditus, si ipsi videbitur expedire, nec aliunde impediatur, cedere jure suo, et Legi obedire. Secundo, ex parte Causae Finalis: si non tendat in bonum publicum, nec conservet jura communitati debita. Ista est injusta, ob defectum Justitiae quam Legalem vocant, quae semper intendit bonum commune, et ne quid Respublica detrimenti capiat. Sed enim, injusta ut sit, obligat tamen subditum, quia subditus non est legitimus et idoneus iudex Justitiae Legalis. Et si ex ipsius obedientia sequatur aliquid quod sit Reipublicae incommodum vel noxium, non est id ei imputandum¹ qui quod suarum erat partium rite obivit, sed Praelato, cui ex officio incumbit boni publici procuratio. Tertio, ex parte Causae Formalis: si Lex onera et favores, praemia et poenas iniqua proportione, et non pro civium merito dispenset. Ista est injusta, ob defectum Justitiae Distributivae, quae omnia jubet ex aequo singulis, prout quisque commertus est, tribuere. Et ista etiam, quantumvis injusta, obligat tamen, pariter ut illa quam proxime dixi, idque ob eandem rationem, quia scilicet istarum rerum dispensatio ad subditi officium non spectat, sed

* Compare Sermon iv. ad Clerum, §. 23. and Sermon vii. ad Populum, §. 21.

¹ Οὔτι μοι ἕμμες ἐπαίτιοι, ἀλλ’ Ἀγαμέμνων, ὅς σφῶϊ προίει. Homer. Iliad. α’. [335.]

Praelati. Quarto, ex parte Causae Materialis, de qua nunc agimus: si Lex jubeat rem turpem, inhonestam, vel quovismodo illicitam. Ista injusta est ob defectum Justitiae quae dicitur Universalis, quae debitam rectitudinem in omni actione requirit. Haec sola tam non obligat subditum ad obediendum, ut omnino obliget ad non obediendum.

15. Quaeritur, quinto, Quenam Justitia requiratur, vel quanta sufficiat, ad hoc, ut Lex aliqua dicatur justa, et cense-
 debeat obligatoria? Pro responsione dico, primo, non neces-
 sario requiri, ut id quod Lege imperatur sit justum positive,
 quod Philosophi honestum dicunt, hoc est, ut sit actus alicujus
 virtutis; sed sufficere si sit justum negative, id est, non in-
 justum vel turpe, quales sunt actus omnium vitiorum. Alias
 non possent ferri Leges de rebus mediis et adiaphoris, quae
 tamen, ut mox patebit,* sunt materia Legum aptissima. Dico,
 secundo, dato quod Lex aliqua sit injusta ex parte Causae vel
 Efficientis, vel Finalis, vel Formalis, aliquo eorum quo jam
 novissime dictum est modorum: si tamen nullus sit Justitiae
 defectus ex parte Causae Materialis, id est, si actus ex vi et
 imperio Legis a subdito exercendus talis sit ut possit ab eo
 praestari sine aliquo suo peccato, sufficere istiusmodi Justi-
 tiam ad inducendam Obligationem.

16. Caeterum ne subditus, quo se licentius vinculo Legis
 subduceret, inobedientiae suae scrupulum aliquem praetexeret,
 quo paralogismo mirum quantum se facile patiuntur decipi
 plurima hominum turba, videri sibi nimirum Legem iniquam,
 et cui bona cum Conscientia obediri non possit, ac proinde nec
 debeat, (hoc enim esset, inquit, dubitante Conscientia obe-
 dire; quod autem fit dubitante Conscientia sine peccato fieri
 nequit, docente Apostolo Rom. xiv. 23.† *Omne quod non ex
 fide est peccatum esse,*) necesse est ut ulterius quaeratur, et
 sexto, quae certitudo quod Lex aliqua sit injusta requiratur
 ad hoc, ut subditus possit esse securus in Conscientia, se ea
 Lege non teneri. Pro responsione dico, primo, si Lex sit ma-
 nifeste et notorie injusta, certum esse posse subditum, se ea
 Lege non obligari. Quod idem dicendum est, si vel morali
 certitudine, post adhibitam in veritate disquirenda debitam

* See §. 22.

† Compare Sermon iv. ad Clerum, §§. 26-29.

diligentiam, judicet eam esse simpliciter injustam. Dico, secundo, si ex errore aliquo iudicii obfirmato, et quem non sit facile deponere, existimet Legem esse injustam, quum non sit, Obligationem tamen Legis manere, errore illo mentis non obstante, ita ut peccati non sit immunis, si non obediat; gravius tamen peccaturum, si errore illo nondum deposito obediret. De quo casu, quum ad collationem utriusque Obligationis deventum erit, si Deo permittente eo perveniatur, opportunior erit disputandi locus. Dico, tertio, si ex levi aliquo injecto scrupulo aut objectiuncula suspicetur tantum Legem forte esse injustam, contemnendum esse ejusmodi scrupulum, et omnino Legi parendum: a qua parendi necessitate frustra fuerit, quisquis se tenerae Conscientiae obtentu satis excusatum iri existimaverit.

- §. 17. 17. Dico, quarto, quod utinam satis attenderent, quibus crassam suam inobedientiam tenerae Conscientiae praetextu tueri mos est, si, ob apparentes utrimque rationes probabiles, nesciat subditus nec facile apud se statuere possit, justane sit Lex an secus, ita ut mens quasi in aequilibrio pendula haereat, incerta utro se potius inclinare debeat, obligari in eo casu subditum ad actualiter obediendum, ita ut peccet, si non obediat; si obediat, non peccet. Ratio prima, quia, ex regula Juris, 'In dubiis potior est conditio possidentis.' Ergo ubi de Jure lis est inter Legislatorem et civem, nisi occurrat ratio aliqua idonea in contrarium, semper praesumendum est pro Legislatore, ut qui est in possessione Juris, contra civem. Ut autem sit aliqua satis idonea ratio in contrarium, fieri non potest in casu proposito, quia esset contra hypothesin; supponimus enim alias aequo inter eos jure contendere. Ratio secunda, ex alia itidem Juris regula, 'Quia in re dubia tutior pars est eligenda.*' Et omnino tutius est dubitante Conscientia obedire, quam dubitante Conscientia non obedire, quia tutius est in honore superioribus exhibendo excedere quem debeas modum, quam ab eo deficere. Ratio tertia, ex eadem etiam regula, quia generaliter tutius est, ut quis se obligatum judicet qui liber est, quam ut liberum se credat, quum sit revera obligatus. Quum enim, ex innata cordis humani pravitate, a nimia audacia saepius quam a nimio metu peccetur, atque ad carnis licentiam

* Compare Sermon iv. ad Clerum, §. 30.

procliviores quam par est, et ad ferendum jugum minus patientes simus omnes: ni firmo animi proposito nobis ante steterit, Legibus quae non sunt evidenter injustae parendum esse, suggeret nobis subinde prudentia carnis, accedente etiam serpentis astu, eas excusationes quae nos ab officio hac in parte praestando saepissime impediunt. Et haec de Dubio quarto.

18. Sequitur quintum, de Lege permissiva mali, an sit licita, §§. 18-21. et quatenus? Et an et quatenus obligatoria? Ubi imprimis Dubium Quintum. observandum est, Lege permitti posse rem malam tripliciter: De Legis malum permittentis Obligatione. privative, scilicet, negative, et positive. Privative permitti, idem est quod a Legislatore praetermitti: sic omnia illa permittuntur, de quibus vel prohibendis vel puniendis Jura nihil statuunt. Negative permittitur id, cujus exercitium Jura certis limitibus definiunt, intra quos qui se continuerint extra noxam sunt, qui vero eos excesserint sunt Lege puniendi. Sic Usuram exerceri permittunt plerarumque nationum Jura. Positive id permittitur, cujus, sub certa tributi cujusdam pensione, exercitium toleratur. Sic Romae permittuntur meretricum prostibula.

19. Hac distinctione praemissa, dico, primo, privative multa §. 19. mala in omnibus Rebus publicis necessario tolerari. Impossibile enim est ut ad omnes species actuum vitiosorum Jura se extendant, aut ut omne peccati genus Legibus humanis coerceatur. Habet hoc Dei Lex peculiare et eximium,* ut ea sola omnia facienda praecipiat, omnia fugienda prohibeat. Sed in istiusmodi permissione nullum esse Obligationi locum, quia oriri necesse est omnem Obligationem ex aliquo actu, non autem ex actus privatione sive non-actu. Dico, secundo, permissionem mali negativam posse esse licitam. Si enim malum aliquod non possit sine gravi incommodo publico penitus tolli, ad prudentiam politicam pertinet ipsius usum ita moderari et certis finibus circumscribere, ut possit utilitati publicae inservire. Idque Dei ipsius exemplo, qui populo Israelitico permisit uxorum repudia, eo consilio, uti exponit optimus Legis interpretes Christus, ne ex *duritia cordis* humani et effraeni S. Matt. xix. 8. maritorum in conjuges asperitate et saevitia graviora pullularent incommoda. Dico, tertio, ejusmodi tamen Lege neminem obligari ad faciendum id quod Lex permittit;^m finis enim

* Compare Praelect. ii. §. 12.

^m Aliud est indulgere, aliud jubere. Tertull. de Monog. 14.

permissionis est, non ut id fiat quod Lege permittitur, sed ne ultra id quod Leges permittunt fiat. Proinde, sicut permissio ipsa negativa tantum est, ita Obligationem inducit non nisi negativam: hoc est, obligatur subditus, si ipsi libuerit facere quod Lex permittit, praestitutos sibi a Lege fines non excedere. Dico, quarto, permissionem mali positivam, si plura aut graviora sint mala quae ex ejusmodi permissione consequuntur, quam sunt ea in quorum remedium adhiberi praetenditur, ut plerumque fit, non esse licitam: praesertim si permissioni rei turpis accedat ex imposito tributo turpis etiam lucri suspicio. Dico, quinto, neminem obligari tali Lege ad faciendum id quod permittitur; immo aliunde obligari unumquemque, non obstante Legis permissione, ad id non faciendum. Ratio est, quoad priorem partem, quia est contra naturam permissionis ut sit obligatoria, quum permissio det libertatem, et omnis Obligatio sit vinculum quoddam. Quoad posteriorem partem, quia supponimus id quod Lege humana sic permittitur esse ex se malum; et Lege Dei obligamur ad non faciendum malum. Permissio itaque mali, quatenus nuda permissio est, neminem obligat ad faciendum; quatenus autem mali permissio est, unumquemque obligat ad non faciendum id quod permittitur.

§. 20. 20. Atqui dictum est jam ante saepius, omni Legi adesse vim obligativam, quae eam ita individue comitatur, ut posita Lege necesse sit sequi Obligationem, et Obligatione sublata una tolli et Legem. Ergo Legem permissivam, aut negandum est esse Legem, aut fatendum est obligare. Huic Objectioni ut occurratur, nulla nos cogit necessitas eo confugere, ut Legem permissivam negemus esse Legem, quam non modo Legem, sed et Legem proprie dictam esse fatemur. Certe Lex illa Mosaica de repudio, cujus, Matth. xix, mentio facta est, ut permissionis nomine venit, *Μωσῆς ἐπέτρεψεν*, illius capitis versu octavo, sic ejusdem capitis versu septimo mandatum dicitur, sive praeceptio, *Μωσῆς ἐνετείλατο*. Quid quod ei Legis et nomen passim tribuitur, et definitio illius nominis aequae congruit ac Legi vel praecipienti fieri aliquid vel vetanti: ut omnino concedendum sit Legem de his omnibus, ut suis speciebus, per modum generis et univoce praedicari. Ergo et illud concedendum erit, civem ejusmodi Lege obligari? Omnino concedendum reor. Quod ut cum his quae de Lege permissiva hactenus dixi, quam non male cohaereat, rectius intelligatur,

21. Dico, sexto, Legem omnem hujusmodi permissivam, quatenus Lex est, obligare subditum in Conscientia ad sui observationem. Ratio manifesta: quia Obligatio, ut saepe dictum est, est Legis effectus necessarius, nec ab ea separabilis.* Quod ne pugnare videatur cum his quae modo dicta sunt, duo ista sunt observanda, quae propterea signanter sunt a me enunciata. Alterum, quod dixerim Legem permissivam obligare ad sui observationem; aliud est autem obligari subditum ad observandum Legem, quod nunc assero; aliud vero obligari subditum ad faciendum quod Lex permittit, quod et ante negavi, et jam adhuc nego. Alterum, quod dixerim Legem permissivam obligare, quatenus Lex est, quod verum est: non dixi obligare quatenus permissiva est, quod est falsum. Sciendum est enim Legis permissivae vim, quatenus Lex est, non consistere in ipsa permissione, quae quum sit Legis differentia divisiva, necesse est ut sit Lege posterior, sicut omnis differentia divisiva est natura posterior genere quod dividit, et ipsum supponit; sed in illa praeceptione, quae est Legis quasi constitutiva et formalis differentia,† et in ipsis Legis verbis, ut plurimum expresse, aut virtualiter saltem continetur. Haec enim praeceptio, inquam, illud est, a quo primum oritur subditi Obligatio, et ad quod ultime terminatur ejus obedientia. Exemplo rem ostendo. Legislator ob mutuandi necessitatem permittit Usuram, moderata quadam proportione, inter cives exerceri, proposita etiam poena his qui modum foenoris Lege definitum excesserint. Sitne Usura simpliciter et de toto genere illicita, necne, nihil hic definitio,‡ nec ad praesens negotium quidquam interest: hoc interim certum est, utut vel maxime licita esset Usura, neminem tamen illa permissione ad eam exercendam obligari. Sed in istiusmodi Lege, praeter istam permissionem, quae neminem obligat, duo sunt alia, quae quum ad praeceptionem Legis pertineant, habent proinde ex intentione Legislatoris vim obligandi omnes cives ad ea observanda. Quorum alterum formaliter et disertis verbis praecipitur, ne quis scilicet pecuniam ultra modum Lege definitum pro foenore exigat: alterum ex consequenti et virtualiter, ne quis ob exercitam prout ea Lege permittitur Usuram puniatur. Legis ergo permissivae, ut verbo dicam, praeceptio omnes cives obligat, permissio neminem.

* Compare Praelect. v. §. 10.

† Compare Praelect. viii. §. 10.

‡ See Sermon iv. ad Populum,

§. 30.

§§. 22-25.
Dubium
Sextum.
De Lege
determi-
nante rem
indifferen-
tem.

22. Dubium Sextum, De rebus mediis et adiaphoris. Res autem mediae sive adiaphorae* sunt, quarum tota species nulla Divina Lege, naturali, vel positiva, aut praecipitur aut prohibetur. Quae proinde sunt ex se et sua natura, citra circumstantiarum considerationem, et licitae observationis, quatenus non prohibentur, et liberae tamen observationis, quatenus non praecipuntur. Fuere qui existimarent, non debere Leges humanas ferri de rebus adiaphoris, sed de his tantum quae sunt Juris naturalis aut Divini; et proinde Leges civiles dicerent non tam esse novi Juris constitutivas, quam antiqui declarativas, velut Divinae Voluntatis explicationes quasdam et evolutiones. Sed quid opus est refutare opinionem, tam ab omni sana ratione alienam, ut potius ex adverso recte judicari debeant res istae adiaphorae Legum humanarum propriissima et maxime idonea materia?† Quandoquidem ad eorum quae Deus mandavit observationem obligamur, vel tacentibus, immo etiam vel contradicentibus, quorumcunque hominum imperiis; ad ea vero quae a Deo vetita sunt, non facienda obligamur, vel tacentibus vel etiam jubentibus hominum Legibus. Restant ergo sola adiaphora, velut campus in quo se exerceat, exseratque vim illam suam inducendi Obligationem ubi nulla praefuit, potestas humana. Plane ut constet, posse Magistratum civilem in rebus adiaphoris, et ante omnem ipsius actum liberis ad utrumlibet, statuere aliquid in utrumlibet partem, determinando illam ἀδιαφορίαν, quod obliget Conscientias subditorum ad obediendum. Sicut enim in cibo, potu, et voluptatibus, in dando item et accipiendo, Prudentia Ethica personae privatae, praestituendo sibi quandam mediocritatem, sic evehit actus illos naturales et indifferentes ultra statum suum et nativam conditionem, ut exinde incipiant esse actus virtutum, temperantiae scilicet et liberalitatis, sic personae publica auctoritate praeditae, Prudentia Politica, praestituendo subditis suis certos circa res medias et liberas mediocritatis fines, sic evehit actus illos quos Legibus praecipit ultra pristini sui status gradum, ut incipiant esse deinceps actus virtutum, Obedientiae scilicet, et Justitiae legalis.

§. 23. 23. Res aperta nec habitura adversarium, si non nostri saeculi, immo et gentis, Reformatores quosdam rinxisset tam manifesta veritas: qui quo sibi ad illam, ad quam anhelabant,

* Compare Praelect. i. §. 22.

† Compare Praelect. v. §. 23.

ψευδώνυμον Reformationem viam struerent, maluerunt contra communem hominum sensum ἀδιαφορίαν omnem e rebus penitus sublatum ire, quam ullam Magistratui de Ritibus statuendi potestatem concedere. Prorsus ut Macedo ille, qui Gordium difficilem nodum, quem nulla arte dissolvere potuit, gladio dissecuit. Veterum Stoicorum in hoc, ut et in aliis non paucis, genuini discipuli; qui sapienti nihil docuerunt esse indifferens, quum omnia, etiam minutula quaeque, usque ad digiti exsertionem, recta ratione agat.* Illi tamen ἀδιαφορίαν e rebus ita sustulerunt verbis, ut eam re ipsa, adversariorum rationibus adacti, tandem concederent, distinctiunculas quasdam commentī προηγμένων et ἀποπροηγμένων,† &c, quibus errorem suum, ne viderentur errasse, honestius occultarent. At reperti e nostris, qui hoc tam putidum et extritum jam diu e scholis dogma γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, publicatis scriptis, idque rigidius multo quam olim Stoici, tueri ausi sunt, duo praesertim; alter, alicujus nominis apud suarum partium homines, Theologus;‡ alter, e Proceribus regni, Laicus: uterque ante aliquot annos mortuus. Quibuscum quum interiisse simul putem illud suum dogma, nec facile apud viros cordatos fidem, nedum patronum reperiturum, non existimo operae fore pretium ei refutando immorari.

24. Esse igitur et res et actiones indifferentes, ex natura sua saltem et in specie, quod ne Στοικώτατον quemquam negaturum

§. 24.

* Ἀδιάφορα δ' εἶναι λέγουσι τὰ μεταξὺ τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν, διχῶς τὸ ἀδιάφορον νοεῖσθαι φάμενοι, καθ' ἓνα μὲν τρόπον τὸ μῆτε ἀγαθὸν μῆτε κακόν, καὶ τὸ μῆτε αἰρετὸν μῆτε φευκτόν· καθ' ἕτερον δέ, τὸ μῆτε ὀρμῆς μῆτε ἀφορμῆς κηητικόν, καθ' ὃ καὶ λέγεσθαι τινα καθάπαξ ἀδιάφορα εἶναι, οἷον τὸ προτείνειν τὸν δάκτυλον ὡδὶ ἢ ὡδί, ἢ τὸ ἀνελεῖσθαι τι τῶν ἐμποδῶν, κάρφος ἢ φύλλον. Stobaeus, Eclog. Eth. II. vi. 6. p. 570. ed. Gaisford.

† Προηγμένα μὲν, ὅσα ἀδιάφορα ὄντα πολλὴν ἔχει ἀξίαν, ὡς ἐν ἀδιαφόροις ἀποπροηγμένα δέ, ὅσα πολλὴν ἔχει ἀπαξίαν ὁμοίως· οὔτε δὲ προηγμένα οὔτε ἀποπροηγμένα, ὅσα μῆτε πολλὴν ἔχει ἀξίαν μῆτε ἀπαξίαν. ibid. p. 571. Προηγμένον δ' εἶναι λέγουσιν ὃ ἀδιάφορον ἂν ἐκλεγόμεθα κατὰ προηγούμενον λόγον. ibid. 575.

Προηγμένα δὲ λέγεσθαι, οὐ τῷ πρὸς εὐδαιμονίαν τινα συμβάλλεσθαι συνεργεῖν τι πρὸς αὐτήν, ἀλλὰ τῷ ἀναγκαῖον εἶναι τούτων τὴν ἐκλογὴν ποιεῖσθαι παρὰ τὰ ἀποπροηγμένα. ibid. p. 576.

‡ The particular Theologian here meant is not easily identified. Puritan Divines, from Cartwright onward, allowed nothing to be indifferent. See Hooker's Ecclesiastical Polity, II. iv. 3-6.

By 'Laicus' Sanderson probably intended Robert Greville Lord Brooke, who was shot at Lichfield in 1643. See chapp. v. and vi. of his 'Discourse opening the Nature of that Episcopacie which is exercised in England.' 4^o. Lond. 1641, and p. 82 of Wallis' 'Truth Tried,' Animadversions on Lord Brooke's 'Nature of Truth.' 4^o. Lond. 1643.

opinor, accipio pro confesso. De quibus, quod ad nostrum institutum attinet, illud proxime advertendum est. Actum sua natura, id est, respectu materiae sive objecti, indifferentem, si Lege praecipitur, e bono et licito fieri honestum et necessarium: si Lege prohibeatur, e bono et licito malum fieri et illicitum. Quod non contingit ex aliqua immutatione circa rem ipsam facta, quae seu jussa seu vetita, ut physice, ita et ethice, eadem permanet quae ante fuit, respectus enim non mutat naturam, sed ex Obligatione illa obvenit, quam Lex inducit. Unde factum, ut quod ante fuit, sicut natura et ex se, sic usu etiam et quoad nos, liberum ad utrumlibet, Legis accedente auctoritate, evadat usu et quoad nos non liberum amplius, sed pro Legis exigentia vel illicitum vel necessarium.

§. 25.

25. Si quaeratur, quomodo videatur Lex parem habere vim in utramque partem, qui fiat ut possit Lex vetando actum facere ex bono et licito malum et illicitum, non item possit Lex, id enim ante* negavimus, jubendo actum reddere ex malo et illicito bonum et licitum? Respondeo, rationem discriminis esse manifestissimam ex notissimo illo axiomate, 'Bonum ex causa integra, Malum ex quolibet defectu.'† Actus ergo de sua specie et respectu objecti malus, necesse est ut semper sit malus; nec potest in aliquo sui exercitio, quibuscunque accidentibus circumstantiis, fieri bonus, propter defectum bonitatis ex parte objecti, qui defectus sufficit ad totum actum vitiandum. At Actus de sua specie bonus, aut saltem non malus, si vel una aliqua accesserit circumstantia minus recta, totus redditur vitiosus, propter defectum scilicet debitae rectitudinis in illa circumstantia. Unde consequitur aliud etiam discrimen inter Legem humanam affirmativam et negativam, sive praecipientem et vetantem quod Lex affirmativa non dat Actui quem praecipit bonitatem, si sit alias aliqua ex parte malus; sed Lex negativa dat Actui quem prohibet, etsi sit alias ex omni parte bonus, malitiam.‡ Praeceptum ergo humanum affirmativum, quod invenit bonum, facit esse necessarium; negativum, quod invenit

* See Praelect. ii. §. 9.

† *Bonum ex integra causa, malum ex qualibet particulari*, quoted by Jer. Taylor in Pt. 2. of Sermon on Growth in Grace; and traced by Mr. Eden, iv. §14, to Dionys. Areop. de Div. Nomin. iv. §. 30. τὸ ἀγαθὸν

ἐκ τῆς μᾶς καὶ τῆς ὅλης αἰτίας· τὸ δὲ κακὸν, ἐκ πολλῶν καὶ μερικῶν ἐλλείψεων. Compare Sermon ii. ad Clerum, §. 22.

‡ 'malitiam. Praeceptum, &c.' In the First Edition, Sive quod idem est, Praeceptum humanum, &c.

bonum, facit esse illicitum: utrumque quod invenit malum, malum etiam sicut invenit, relinquit. Utrumque tamen obligat, suo scilicet modo, et quoad nos: illud ad faciendum quod praecipiendo jam factum est necessarium; hoc ad non faciendum quod vetando jam factum est illicitum.

26. Restat Dubium Septimum, de Legibus Ecclesiasticis in speciali. Leges autem Ecclesiasticas hic intelligo, non quae a personis Ecclesiasticis sine Magistratus Civilis auctoritate constitutae sunt, quae schola non est hujus loci, sed ad alterius generis causam, Efficientem scilicet, pertinet; sed quae a quacunque demum legitima potestate latae circa res Ecclesiasticas versantur; de Materiali enim Causa solum ad praesens disputamus. Non mihi adhuc videre contigit, praeter duos illos antedictos,* qui ἀδιαφορίαν omnem negaret, aut qui Magistratui politico aliquam in rebus adiaphoris mere politicis potestatem non concederet. At qui hominibus potestatem omnem adimant Ritus et Caerimonias in publico Dei cultu instituendi, extra eas quae sunt a Christo et ejus Apostolis in Evangelio perscriptae, occurrit ubique magna Novatorum seges. Verum enim vero, ut quod res est profiterar, dum, ut mihimet ipsi aliisque hoc in negotio satisfaciam, multa a multis, nostratibus praesertim, in eam sententiam congesta volumina excutio, nusquam reperi, qui justam aut justae similem discriminis rationem in medium afferret, cur determinandi et statuendi circa res adiaphoras potestas non in Ecclesiasticis aequae obtineat atque in Politicis. Quae enim a Scandalo, a Libertate Christiana, et aliis ejusmodi locis communibus, opponi solent argumenta, adversus utriusque generis Leges et Constitutiones aequo Marte militant, et aut utrasque pariter evertunt aut neutras. Quae peculiarem aliquam vim adversus Leges et Ritus Ecclesiasticos habere existimantur, quatuor omnino sunt, singula, pro temporis ratione, breviter et suo ordine examinanda: Christus Legislatores, Perfectio Scripturae, natura Sacri Cultus, et Veteris Ecclesiae exemplum.

27. Objiciunt primo illud Apostoli, Jac. iv. 12, *Unus est Legislatores, qui potest servare et perdere.* Hoc Novatorum argumentum, ut totius causae suae basin, regnante Elizabetha, plurimi fecere qui tunc erant Disciplinariae factionis † cory-

§. 26.
Dubium
Septimum.
De Legibus
Ecclesiasticis in
specie.

§. 27.
Quae in ad-
versam par-
tem dispu-
tari solent
diluuntur.

* See §. 23, above.

† Compare Sermon ix. ad Aulam, §. 30.

phaei, Christum nimirum unicum esse Ecclesiae suae, ut Principem, ita et Legislatorem. Quas ille dedit Leges Ecclesiam teneri in perpetuum observare, alias vero non admittere debere, nec alium Legislatorem agnoscere. Quicumque Leges Ecclesiae ferre praeter eas quae sunt a Christo latae praesumpserit, Antichristi partes agere, et se prodere regii Christi muneris temerarium invasorem. Hunc Apostoli locum aliquoties ante,* ut res postulabat, tractavimus: praesertim ubi probandum fuit Deum solum et ejus Christum in Conscientias hominum merum et directum imperium habere. Sed obtinere hoc in Legibus Politicis nihilo minus quam in Ecclesiasticis, caecus sit oportet qui non videat. Cur enim Obligatio Legum humanarum in rebus civilibus, cum Legislativa unius Christi Potestate consistere possit, non poterit consistere eadem in Ecclesiasticis, quis ullam discriminis vel tenuissimam umbram ex illo Textu eliciat tandem? Esto Ecclesiae Christianae Legislator Christus. Annon et Reipublicae Christianae pariter? Neque enim meminit Apostolus in toto illo commate Ecclesiae, nec de rebus Ecclesiasticis omnino disputationem illam instituit: quinimmo nec de Politicis aut Legibus aut Juribus ibi agitur, sed de privatorum hominum censuris. Voluit ille fideles admonitos ut Christianae charitatis memores a fratribus temere judicandis abstinerent, Deum enim unicum esse Conscientiarum Judicem, qui solus Legem dedit, ex qua in die ultimo judicandi essent singuli. Hic verus illius loci scopus, haec Apostoli mens. Quid hoc, quaeso, ad Leges humanas damnandas? aut si damnandas, cur Ecclesiasticas magis quam Politicas? Quarum neutrae, saltem non unae magis quam alterae, a nobis asseruntur per se et virtute sua obligare Conscientias.

§. 28. 28. Objiciunt, secundo, Perfectionem Sacrae Scripturae.

Regulam hanc esse vitae et morum, Legem perfectam, et quae sapientem reddere possit *hominem Dei ad omne opus bonum*, cui quisquis de suo quidquam addiderit, insignem Deo injuriam fecerit, et sibi gravissimas accersiverit poenas. Certissima omnia. Quod si Scriptura sit Regula vitae et agendorum omnibus numeris absoluta, idque, si novis his Stoicis fides, usque ad res quasque leviculas, ut nec festucam tollere † liceat nisi ex Verbi Dei praescripto, an non tam rebus civilibus regu-

* See Praelect. iv. §. 9, and Praelect. v. §. 36. † See above, §. 23.

landis sufficiet, quam Ecclesiasticis? aut qui magis derogabunt Perfectioni Scripturae Ecclesiae Leges, quam Reipublicae? Aut quis eum recte dixerit addidisse verbo Dei aliquid, qui Leges Ecclesiasticas condidit ordinis et honestatis causa, quum nec ille Leges suas populo proponat ut Dei Verbum, et Deus in Verbo suo praeceperit, ut omnia in Ecclesia ordine et honeste fiant?

29. Objiciunt, tertio, naturam Cultus. Nempe Cultum Dei esse rem sacram, in eo Cultu omnia ex Dei praescripto esse peragenda, procul illinc abigendas, ut superstitionas, immo plane idololatricas, quascunque humanas adinventiones, et Ritus *ἀγράφους*. Est profecto res sacra Cultus Dei; nec fas est homini Cultum aliquem instituere praeter eum quem ipse Deus praestituit. Sed quia latet in voce ambiguitas, distinguendum est de Cultu Dei; tripliciter enim accipitur ea vox. Imprimis Cultus Dei, proprie dictus et praecipuus, est internus ille animi Cultus qui consistit in exercitio virtutum internarum, Fidei, Spei, Dilectionis, Invocationis, Fiduciae, &c. Secundo, Actus illi externi, quibus internus ille animi Cultus, partim exprimitur, partim adjuvatur et fovetur, cujusmodi sunt Precationes publicæ, Gratiarum actiones, Psalmodiae, auditio Verbi, participatio Sacramentorum, &c. suo quodam modo, id est, reductive et minus proprie, dici etiam possunt et solent Cultus Dei: in quantum sunt illius proprie dicti Cultus externa sive testimonia, sive adminicula. Tertio, quum sit impossibile actionem aliquam externam, praesertim si sit solennis, sine circumstantiis quibusdam, pluribus aut paucioribus, locorum, temporum, gestuum, &c, praestari, inde fit ut ipsae illae circumstantiae, quae, si aut Legibus aut moribus stabilitae fuerint, Ritus etiam dicuntur, interdum Cultus appellationem accipiant; sed id improprie admodum, et propter eam concomitantiam solum quam habent ad Cultum illum externum, qui et ipse improprie quoque Cultus dicitur. Dicendum ergo, internum illum primum et proprie dictum Cultum, ita Deum solum Auctorem agnoscere, ut nulli homini fas sit aut novum Cultum instituere, aut a Deo institutum alicui alteri praeterquam ipsi Deo exhibere. Externum quoque Cultum, quoad substantialia, a Deo solo institui. Ast circumstantiarum, quae sunt huic externo Cultui accessoriae et ipsum comitantur, si quis eas quoque voluerit Cultus nomine dignari, longe aliam esse rationem. Quum enim non possit externus

Dei Cultus sine circumstantiis praestari, nec tamen Deus in Evangelio suo certas particulares circumstantias in sacris conventibus perpetuo observandas tradiderit, sed generatim duntaxat praeceperit, ut ordini, honestati, et aedificationi serviat, necessario sequitur ejusmodi circumstantiarum determinationem, quae sunt ipsi Cultui accidentales, et pro locorum, temporum, et occasionum ratione mutabiles, ad eos qui sub Christo regendarum Ecclesiarum jus et potestatem habent pertinere. Quas, et ab iis qui publica auctoritate in singulis Ecclesiis praediti sunt praestitui, et praestitutas ab omnibus earundem Ecclesiarum membris religiose observari, sacri Cultus non natura prohibet, sed exigit potius solennitas et decor. Quid quod isti ipsi homines, qui in Canones et Constitutiones Ecclesiasticas tam severe et plenis buccis invehuntur, Ritibus tamen in cultu Dei externo a Christo aut ejus Apostolis nusquam praescriptis quoties ipsis collibitum est, utuntur, ut manus levatione in Juramento praestando, capitis denudatione in Sacra Synaxi,* aliisque compluribus, quae quum quotidie fieri videamus, non opus est recensere.

§. 30.

30. Objiciunt, quarto, Veteris, hoc est Judaicae Ecclesiae exemplum, Mosen, datum a Deo Hebraeo populo Legislatorem, non substantialia tantum Cultus Judaici, sed, qua erat fidelitate, et minutissimas quasque circumstantias Lege sua definivisse; et in construendo Tabernaculo, qui futurus erat Ecclesiae Christianae typus, ad exemplaris sibi in monte propositi ideam omnia ad amussim perfecisse. Christum utique, Novi Testamenti Legislatorem, nisi omnia et singula quae in Cultu Ecclesiastico peragenda sunt, usque ad minutissimas quasque circumstantias praescripsisset, merito credi posse, quod vel suspicari proxime a blasphemia abest, minus fidelem in domo Dei fuisse quam fuerat Moses. Christo proinde insignem fieri injuriam pariter et contumeliam, si qui novi Ritus, quos ipse nusquam instituit, auctoritate humana in Ecclesiam inferantur, aut a plebe Christiana recipiantur. Atqui imprimis cogitare debu-erant qui ista objiciunt, hoc argumento non minus Leges humanas Politicas everti quam Ecclesiasticas. Moses enim ex Dei mandato Hebraeo populo Legem dedit certam et definitam, non

* 'Sacra Synaxi' is to be understood here not of the Holy Communion, but of Divine Service gene-

rally. During Sermon it was not uncommon to cover the head. See Keble's note on Hooker, V. xxx. 3.

eorum Rituum solum quae ad Cultum Dei, sed et eorum judiciorum quae ad civilis regiminis administrationem pertinebant.

31. Deinde et illud, secundo, mirum est eos non animadvertisse, collatione ejus fidelitatis quae fuit in utroque Legislatore,* Mose et Christo, vix aliquid ab eis adduci potuisse importunius quod causae suae majori esset nocimento, et quod sententiam nostram validius confirmaret. Sicut enim ex eo quod Moses, et in ritualibus et in judicialibus, populo Judaico Leges plurimas tulerit, recte colligimus voluisse Deum populum Judaicum, sub illa paedagogia et disciplina Mosaica, quasi quodam servitutis jugo, sic in officio contineri ut paucissima essent illis libera; ita ex eo quod Christus, Paternae Voluntatis fidelissimus Interpres, Ecclesiae Christianae paucissimas Leges tulerit Caeremoniarum, recte colligimus Deum voluisse, ut Magistratus et populus Christianus in istiusmodi rebus libertati suae permitteretur. Ita ut jam liberum sit, et privato cuique homini, sponte sua, nullo interveniente superioris potestatis imperio vel interdicto, quod sibi consultius visum fuerit facere, et singulis Ecclesiis earumque gubernatoribus ea praescribere et sancire, quae sibi pro temporum et locorum conditione, ordini, honestati, aedificationi et paci maxime inservitura videbuntur.

§. 31.

32. Quin et illud tertio cogitasse debuerant qui hoc argumento utuntur, ne ipsis quidem Judaeis, sub illa Mosis paedagogia, ita omnem ademptam fuisse Rituum libertatem in rebus ad Dei Cultum pertinentibus, ut non illis liceret propria auctoritate et observare et instituere, quae nullibi constat fuisse vel ab ipso Deo, vel a Mose Dei ministro praecepta. Accipite instantias e multis paucas.† Primo, Paschatis Solennitatem ex Lege Mosis septiduo observandam, speciali Lege Rex Hezekias, qui tamen singulare pietatis suae testimonium a Deo ipso accipere meruit, ex populi consensu in alterum septiduum continuari decrevit. Cujus rei historia exstat, II Paralip. xxx. Secundo, Festum Purim in memoriam ejus liberationis quae Judaeorum genti sub Persarum Rege Assuero contigerat, annuatim celebrari instituerunt Ester et Mardocheus, Est. ix. Tertio, quum Moses diem solennis Jejunii annuatim unicum duntaxat, septimo mense, observandum praecepisset, Reges et Magistratus illius

§. 32.

* Compare Hooker's Ecclesiastical Polity, III. xi. 2, and Keble's note 39.

† Compare the Preface of 1657, §. 20. vol. ii. p. xlvi. of this Edition.

populi, quibus de causis non satis constat, sed, ut par est credere, in memoriam insignium aliquot judiciorum Dei, annua solennia Jejunia auctoritate sua instituerunt alia, ita ut temporibus ultimorum Prophetarum quatuor observarentur annua Jejunia : videlicet, praeter illum septimi mensis, tria alia, mensibus quarto, quinto, et decimo, quorum omnium fit mentio, Zachar. viii. 19. Quarto, Festum dedicationis Altaris, quod Encaenia dicitur, ab Asamoneis sine aliquo Dei mandato institutum, cujus historia ex 1 Macc. iv. 59. petenda est, Christus ipse non tantum comprobasse, sed et praesentia sua cohonestasse, plurimorum eorumque melioris notae Intepretum judicio, existimatur, Joh. x. 22. Quinto, ut in solennibus Jejuniiis et luctu poenitentiali sacco se induerent, et cineres crinibus inspergerent, nullo Dei mandato praeceptum legimus ; apud Judaeos tamen, longo per aliquot retro saecula usu ita moribus receptum est, Consuetudine diuturna, ut fieri amat, vim Legis obtinente, ut Christus eo loquendi genere, tanquam ex recepto more gentis, sine aliquo affixo nigro Theta, aliquoties usus fuerit : ut Matth. xi. 21. Sexto, e scriptis Rabbinorum constat, Judaeis illud etiam in morem positum fuisse, ut ante coenam Paschalem paterfamilias pedes suorum incurvatus lavaret : quod, etsi nulla Dei Lege imperatum, a Christo tamen observatum liquet ex historia Evangelica, Joh. xiii. Quid attinet Synagogas ad commoditatem sacrorum conventuum per oppida et vicos ubique exstructas, aliaque compluria, quorum ingentem farraginem suppeditant Judaeorum commentarii, enumerare ? Ex quibus omnibus illud saltem efficitur, si Judaeis sub illo severioris disciplinae jugo tam multa licuerint ad Dei Cultum pertinentia, quae nullo speciali Dei mandato niterentur, non posse ab illius populi exemplo, ad evertendas Leges humanas Ecclesiasticas, idoneum peti argumentum.

PRAELECTIO SEPTIMA.

DE OBLIGATIONE LEGUM HUMANARUM, EX PARTE CAUSAE EFFICIENTIS.

PROV. VIII. 15.

Per me Reges regnant; et Legum conditores justa decernunt.

DE Legum humanarum Obligatione egimus superiore Termino,* quum in genere, quod nimirum Leges humanae rite constitutae obligent subditorum Conscientias ad obediendum, tum etiam in specie, quoad illa Dubia quae ad Causam Materialem propius pertinere videbantur. Quatenus scilicet obligent latae Leges, primo, de rebus impossibilibus; secundo, de possibilibus sed multum onerosis; tertio, de necessariis; quarto, de illicitis et inhonestis; quinto, de malis permittendis; sexto, de rebus mediis et adiaphoris in communi; septimo, de Ritibus Ecclesiasticis in speciali. In quibus omnibus, eorum quae dicta sunt, ne, dum singula repeto, molestus sim, summa huc redit: Obligari subditos ad parendum Legibus justis, ad parendum injustis non obligari, juxta quod in Textu proposito exigit a Legum conditoribus Salomon, ut non nisi quae justa sunt decernant. Pergendum porro ad eorum reliqua quae sunt ante a me proposita persequenda. In quibus tractandis, utar quae potero, et res feret, brevitatem, ut rem universam, saltem quod ad Legum Obligationem attinet, idoneo tempore absolvam.

2. In Causarum ordine, pro observata mihi alias methodi ratione,† Materiam proxime sequitur Efficiens; excipit hanc Formam; ultimum agmen ducit et claudit Finis. De Legum Causa Efficiente, quum in Quintae Praelectionis Conclusionem tertia satis ostensum fuerit Leges humanas nisi a persona

§. 1.
Ante dictorum Re-
censio.

§§. 2, 3.
Dubium
Primum.
Cujus sit
Leges con-
dere? Ubi
statuitur

* i. e. in Praelect. v. The memorandum prefixed to that and to Praelect. vi. in the Queen's Coll. MS. should, probably, have been 'Term. Pasch. et Trin.'; for the Transcript

of this Lecture has the date, 'Jun. 25. 1647,' and reference is made to the Long Vacation prospectively at the end of Praelect. ix.

† See Praelect. iv. §. 3.

Potestatem
 Νομοθετικὴν esse
 Potestatem
 Superioris,

legitimam potestatem habente latas non obligare, illud nunc imprimis dispiciendum restat, penes quos sit *ἐξουσία νομοθετική*, hoc est, justa et legitima Leges ferendi potestas, sive quinam sint Legum conditores illi quibus ex mente Salomonis justa decernendi jus competit. Huic Dubio primo et in hoc Causae genere longe praecipuo ut plene respondeatur, duo interim supponenda sunt. Suppono itaque primo, Potestatem Legumlativam esse potestatem alicujus Superioris, sicut praecipere, (praeceptionis appellatione prohibitionem etiam complector,) qui est Actus Legis proprius,* est Actus Superioris. Distare non parum hac ex parte animadvertere est tria haec, Promissionem, Petitionem, Praeceptionem. Commune est omnium indiscriminatim, Superiorum, Inferiorum, Aequalium, promittere. Potest enim promittere aliquid, et pater filio, et filius patri, et frater vicinusve fratri aut vicino. Petere autem proprie est Inferiorum, Parium etiam aliquatenus; ut petit sibi dari veniam, vel gratiam fieri, a patre filius, et a vicino vicinus: non item Superiorum, nisi improprie admodum, et per quandam *συγκατάβασις*. At Superiorum, et in aliqua *ὑπεροχῇ* vel dignitatis prae eminentia constitutorum adeo peculiare est praecipere, ut omnino ridiculus esset, quisquis Superiori, vel etiam Pari, aliquid faciendum Par aut Inferior serio praeciperet. Actus enim omnis requirit principium sibi proportionatum; et Par in Parem non habet potestatem.

§. 3.

3. De Obligatione autem, quoad ista tria, sic statuendum. Qui abs alio petit quid, petendo neutrum obligat, nec se nec eum a quo petit, quia petitio est actus indigentiae, non potestatis, cujus effectus quum aliunde pendeat, et non procedat ab ipso agente, petente scilicet non potest inducere aliquam Obligationem. Qui autem alteri aliquid pollicetur, promittendo se quidem obligat; eum vero cui facta est promissio non obligat. Quum enim promissio sit actus liberae voluntatis, potest quivis homo in quantum est liberum agens et *ἐξουσίαν ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος*, ut loquitur Apostolus, 1 Cor. vii. 37, jus illud et potestatem quam habet in propriam voluntatem in semetipsum exercere; at non propterea et in alterum. Quia ex vi liberi arbitrii, homo est dominus voluntatis propriae, et actuum suorum tantum, non item alienorum. E contra vero qui alteri

* See Praelect. vi. §. 21.

praecipit, si praecipendi jus habet, eum cui praecipit praecipiendo obligat, seipsum non obligat. Eo quod praeceptio est actus potestatis, auctoritatis, et juris in alterum; estque ex se aptus natus, nisi aliquid impediatur, inducere Obligationem. Sic pater filio, dominus servo, imperator militi, Rex populo, Deus homini, ut Superior, facienda praecipit cum auctoritate, et praecipiendo ad imperata facienda obligat.

4. Suppono, secundo, potestatem Legumlativam esse potestatem publicae Jurisdictionis. Neque enim sufficit ad potestatem Leges ferendi, ut quis in alios jus quaecumque habeat et imperium, ut possit eis facienda praescribere, nisi et potestate sit praeditus externa, ita ut possit eos ad imperata facienda cogere, et nolentes supplicio afficere. Ὁ γὰρ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν, inquit Aristoteles, Ethic. 10.* Distinguunt igitur Scholastici *ἐξουσίαν* sive potestatem eam quam habet Superior in Inferiorem, in potestatem quam vocant Dominativam, et potestatem Jurisdictionis. Quarum illa minor est, privata magis, et externae jurisdictionis expers; haec major, et ἀναγκαστικωτέρα. Distant enim inter se non parum duae istae potestates, idque triplici potissimum discrimine. Primo, ratione Materiae sive Objecti, quia potestas Dominativa versatur proprie circa Communitatem imperfectiorem et privatam, ut domum, scholam, familiam; potestas vero Jurisdictionis circa perfectiorem et magis publicam, ut civitatem, exercitum, rempublicam. Secundo, ratione Finis, quia potestas Dominativa per se et primario ordinatur ad utilitatem personae eam potestatem habentis, id est Domini, in bonum vero Communitatis secundario tantum et consequenter; quatenus nimirum utile est familiae ut paterfamilias ditescat. Potestas autem publicae jurisdictionis ordinatur primario in bonum publicum ipsius Communitatis, in bonum vero personae tali potestate praeditae, id est, ipsius Magistratus, non nisi secundario et consequenter; quatenus nimirum utile est Principi, ut Respublica floreat. Tertio, ratione Efficacis Administrationis, quae in potestate Jurisdictionis major est quam in Dominativa, propter majorem vim coactivam. Exempli gratia, non potest tam efficaciter procurare paterfamilias ut jussa sua executioni mandentur a filiis aut servis suis, quos ei non licet nisi virga

§. 4.
Externam
Jurisdictionem
habentis;

* Eth. Nicom. x. 9. 12.

aut fuste corrigere, quam potest Magistratus civilis a subditis suis, quos carcere et exsilio punire, bona eorum fisco addicere, capitis etiam supplicio in ipsos animadvertere, pro jure suo potest. Ἡ πατρικὴ πρόσταξις οὐκ ἔχει τὸ ἰσχυρὸν, οὐδὲ τὸ ἀναγκαιῶν, inquit loco proxime laudato idem Aristoteles. Ergo ad Leges condendas non sufficit quaevis superioritas; sed praeter Dominativam illam requiritur etiam δύναμις ἀναγκαστικὴ, sive potestas Jurisdictionis proprie dictae, ita ut Leges ferri non possint nisi a persona habente publicam coactivam potestatem. Intelligitis, ut opinor, ne sit necesse me vos illud admonere, quae sunt a me jam dicta ad Leges κυρίως dictas absolute pertinere: ad reliquas, non nisi κατ' ἀναλογίαν, suo quodam modo et proportione, prout earum unaequaeque ad istarum perfectionem aut accedunt propius aut ab ea longius absunt.

§. 5.
idque cum
summo im-
perio.

5. His duabus Hypothesibus, quae quorsum tendant ex his quae statim dicturus sum facile intelligetis, addo jam, tertio loco, Conclusionem responsivam, hanc scilicet, potestatem νομοθετικὴν esse potestatem αὐτοκρατορικὴν. Hoc est, jus ferendi Leges quae obligent totam Communitatem esse penes eum solum, sive sit is singularis persona ut in statu Regiminis Monarchici, sive plures ut in aliis, qui cum summa potestate toti Communitati praeest. Hanc Conclusionem explico primum, deinde confirmo. Pro ejus explicatione sciendum, primo, ad societatum humanarum civilem felicitatem, et commodiorem Rerumpublicarum administrationem, ordinis auctorem Deum Optimum Maximum non Regimen modo politicum instituisse, ut essent qui populo praecessent Magistratus, sed et in ipso Regimine ordinem etiam politicum instituisse, ut vel inter ipsos Magistratus essent διαιρέσεις διακομιῶν, varii quidam cum dignitatis tum potestatis gradus. Fortassis illud τεταγμέναι ἐξουσίαι, quo militari verbo usus est Apostolus, Rom. xiii. 1, eo respicit, ut Magistratum a Deo non ordinationem solum, sed et subordinationem, qualis in militari acie cernitur, innuere voluerit.

§§. 6-8.
Quae Con-
clusio fuse
explicatur,

6. Sciendum, secundo, in rebus omnibus inter quas est aliquis ordo, ne fiat, quod natura horret, in infinitum processus, necessario tandem perveniri ad aliquod in suo ordine primum et summum, in quo stetur. Magistratus ergo ejusdem Communitatis quum sint alii aliis dignitate et potestate superiores, oportet ut sit inter eos aliquis ita reliquis sublimior, ut ab illo

reliqui pendeant, ipse autem a nullo, ut caput in corpore, gubernator in nave, in exercitu imperator. Supremus scilicet Magistratus, solo Deo minor,* quique in gubernando commisso sibi populo nec superiorem habet nec parem: quem Apostoli, Petrus *ὑπερέχοντα*, Paulus *ἐξουσίαν ὑπερέχουσας*, et τὸν ἐν ^{1 S. Pet. ii. 13.} *ὑπεροχῇ ὄντα* appellant, et Scholastici fere caput Communitatis; cujus est *αὐτοκρατορία* et imperii majestas, et cui inferiores omnes Magistratus universam illam qua apud populum pollent potestatem suam acceptam ferunt, ὡς δι' αὐτοῦ πεμ- ^{1 S. Pet. ii. 13.} *πόμενοι*.

7. Sciendum, tertio, pro diversa Rerumpublicarum forma §. 7. supremam hanc potestatem, quam majestatem vel *αὐτοκρατορίαν* dicimus, vel in una aliqua persona, vel in pluribus positam esse. In statu populari, quam Democratiam vocant, summa imperii est fere penes Magistratus plures popularibus suffragiis annuatim, aut per alia certa temporum intervalla delectos; qui fuit olim status Populi Romani, quum a Consulibus, Praetoribus, Tribunis plebis, Aedilibus, aliisque annuis Magistratibus regerentur. Unde frequentes occurrunt apud Ciceronem et alios istiusmodi locutiones, 'Populi Romani majestas,' 'Laesa Populi majestas,' 'Visum est Senatui Populoque Romano,' &c. In statu Aristocratico eadem Majestas est penes Optimates quosdam, quos alibi Illustrissimos vocant, alibi Regni Proceres, alibi aliis eos titulis et appellationibus pro more gentis insignant. Quorum, etsi unus aliquis fortassis, ut in Republica Veneta, vel etiam plures, possunt habere prae reliquis aliquam dignitatis et loci prae eminentiam, veluti quendam ordinis primatum, qui fuit olim Romani Episcopi, et reliquorum Patriarcharum in Conciliis honos, nemo tamen est ita reliquis potestate superior, ut aut possit de eis singulis auctoritate sua judicium ferre, aut non possit abs eis universis ipse judicari. Cujus Regiminis effigiem qualemcunque Majores et Aldermanni in villis nostris, Collegiorum Praefecti et Socii in Academia, etsi leviter admodum, aliqua tamen tenus repraesentatam nobis exhibent. At in statu Monarchico, ut vel ipsum nomen indicio est, unius Regis personae inhaeret summa potestas. Unde Petrus, optimus Pauli interpres, monet populum ^{1 S. Pet. ii. 13.} Christianum ut Regi pareant ὡς *ὑπερέχοντι*: ne quis ultra

* See above, Praelect. iv. §. II.

dubitare possit, quid sibi velit illud Paulinum *ταῖς ὑπερχούσαις ἐξουσίαις*, Rom. xiii. 1. Samuel etiam, ut Propheta Dei, ita Regiae potestatis plenitudinem populo cogitandam proponit, 1 Sam. viii, ut si quis Rex in suo regno supremus singula quae ex illo capite sibi licere constat, nulla subeunte justa causa, sed mera dominandi libidine faceret, et se pro Rege tyrannum ostenderet, etsi non esset *ἀναμάρτητος*, nec peccato careret apud Deum, esset tamen *ἀνυπεύθυνος*, nec deberet a populo coerceri; dicique propterea mereretur, abusus quidem ille potestate sua, sed tamen sua. Apud nos Anglos saltem quid potest aut certius constare aut liquidius, nisi si qui in sole meridiano caecutire malint quam uti oculis, quam ad unam serenissimam Majestatem Regiam supremam trium istorum Regnorum potestatem pertinere? * Quem et Majestatis titulo, non modo ex usu loquendi communi, sed et in solennibus Legum sanctionibus, et in omnibus Juris formulis et actionibus, insignire solemus; et omnium personarum causarumque in suis regnis supremum, immo et solum supremum Moderatorem, solenni praestito juramento, tactis sacrosanctis Dei Evangeliiis, agnovimus.

§. 8. 8. Sciendum, quarto, quomodo dicimus penes unum Regem esse jus condendarum Legum, non id ita intelligendum, quasi vellemus quidquid Regi libuerit jubere id continuo Legis vim obtinere; nam et populi consensum aliquem aliaque nonnulla ad Legem constituendam requiri mox ostendam. Quin hoc est quod volumus, quod scilicet Plebiscita, Senatusconsulta, caeteraeque Procerum, Plebis, aliorumque quorumcunque rogationes, nisi Regia insuper auctoritate muniantur, non obligent subditos nec habeant vim Legis; quibus tamen mature et rite praeparatis, simulac Regis accesserit consensus, Legis nomen, formam, et auctoritatem protinus accipiunt, incipiuntque statim ac promulgatae fuerint subditos obligare. Quomodo igitur illa sola censenda sit cujusque rei Causa Efficiens prin-

* Although Sanderson, in succeeding sections, modifies and limits the idea of the King's Sovereignty, so as to recognize the other elements of the English Constitution, yet we see by the reference to 1 Sam. viii, and the inference of the duty of non-resistance, that he is practically indisposed to set any bounds

to the Royal Power in England. His use of the term Sovereignty favours this tendency; for though sometimes, as in sect. 8, it is made to mean only the necessity of the Royal Consent in Legislation, in other places the Sovereignty is identified with the Legislative Power. WHEWELL.

cipalis et sufficiens, quae per se et immediate producit, et in materiam praeparatam introducit eam formam quae illi rei dat nomen et esse, etsi ad productionem ipsius effectus alia etiam concurrere oporteat, vel antecedere potius, ut praevias dispositiones quo materia ad recipiendam formam ab agente intentam aptior reddatur, omnino constat, quocumque demum ea sint quae ad Legem recte constituendam antecederent requiruntur, voluntatem tamen Principis,* ex cuius unius arbitratu et jussione omnes Legum rogationes aut ratae habentur aut irritae, esse solam et adaequatam publicarum Legum Efficientem Causam.†

9. His praemissis, confirmatur Conclusio multiplici argumento. Imprimis, testimonio Sacrae Scripturae. 1º. Gen. xlix. 10. in celebri illo Jacobi Patriarchae jam morituri testamento, *Non auferetur Sceptrum de Juda, et Legislator de femore ejus*, vaticinium est de futura in illa tribu Regia dignitate. Quam περιφραστικῶς describit pius senex, adhibitis in eam rem potestatis regiae et notissimo insigni, Sceptro—*Σκηπτου̅ου̅ βασιλῆ̅ς*—et potissima praerogativa, Jure Legislativo. 2º. Deut. xxxiii. 4, 5. Moses eo nomine fuisse dicitur quasi *Rex in Israele*, quod congregatis principibus populi et tribubus Legem eis praeceperit. 3º. Psalm. lx. 7. *Judah Legislator meus*, id est, Rex; sicque ibi vertit Vulgatus Interpres, *Judah Rex meus*. 4º. In Textu demum proposito, Prov. viii. 15. *Per me Reges regnant, et Legum conditores justa discernunt*. Ubi, quod solenne est Salomoni in toto hoc Proverbiorum volumine, ut versus pars posterior prioris, aut exegesis contineat aut antithesin, iidem ipsi, qui in priore commatis parte, *Reges*, in posteriore *ἐξηγητικῶς Legum conditores* dicuntur. 5º. In Novo etiam Testamento *Νόμου Βασιλικου̅* meminit Jacobus Apostolus, Jac. ii. 8.

10. Confirmatur, secundo, Philosophorum, Historicorum, et Juris cum civilis, tum nostri Anglorum municipalis Consul-

* The necessity of the Royal Consent as the last step in making English Laws, is used to prove that the King's Will is the Efficient Cause of Laws; and the consent of Parliament is reduced to the rank of an antecedent condition,—an operation which prepares the *matter* to

receive the *form* of Law. This was not a just representation of the English Constitution, even under the Stuarts. The Consent of Parliament was as requisite in Legislation as the Consent of the King.

WHEWELL.

† Compare Praelect. viii. §. 2.

torum, quae passim occurrunt frequentibus testimoniis. Nos paucissimis, ut in re manifesta, contenti erimus. Legem Principis opus esse asserunt Aristoteles, Plutarchus, aliique innumeri optimae notae auctores. Sed imprimis celebre est illud Ulpiani, quod in Jure Romano habetur, 'Quod Principi placuit Legis habet vigorem.*' Quod, ne ἀπλῶς et perperam intellectum tyrannicae dominationi viam struere videatur, sic olim explicuit Bractonus nostras; † 'Quod Principi placuit,' id est, non quidquid est a Rege temere et ex animi perturbati impetu quodam et aestu praesumptum, sed quidquid ex Magnatum suorum consilio, Regio assensu auctoritatem praestante, et habita super hoc deliberatione et tractatu, sic enim ille loquitur, recte fuerit definitum. Quin et in Jure nostro, et in quotidianis processibus juridicis in foro contentioso, ex solenni formula Regiae Leges dici solent *The King's Laws*: non aliam ob causam, ut nos docuerunt Juris nostri periti, quam quod Reges Angliae sint fons justitiae et Legum; et Legibus ipsis, ipsis Legibus idipsum ἀπολεξεῖ profitentibus, ut pro Legibus habeantur vim omnem imponendi habeant concessam sibi a Deo ἀυτοκρατορικῆν^a potestatem. ‡ Ut nihil sit opus in pluribus congerendis testimoniis operam collocare non necessarium.

§§. 11, 12.
Rejecto numero
pero Coordinatae
Potestatis
figmento.

11. Sed enim et istis supersederi potuisset, si non tam clarae luci nebulas offundere conatus esset, putidissimo suo et ante haec infelicia tempora inaudito figmento, de Coordinata nescio qua Potestate, ἀνώνυμος nescio quis tenebrius. § Qui ut νεωτερίζόντων quorundam nefariis consiliis et conatibus sup-

* Digest. Lib. i. Tit. iv. §. 1.

† De Legibus Angliae, l. i. 'Quum Legis vigorem habeat, quidquid de concilio et de consensu Magnatum, et Reipublicae communi sponsione, auctoritate Regis sive Principis praecedente, juste fuerit definitum et approbatum.'

^a Cui ἀυτοκρατορικῆν Legibus ipsis Legum vim imponendi potestatem Deus dedit. Finch, Nomotechn. in Epist. Dedic. [ad Jacobum I. p. 7.]

‡ From this word 'potestatem' the Queen's College Transcript passes on at once to the beginning of the twelfth section.

§ Sanderson may perhaps have meant the Author of a Pamphlet

intituled 'Maximes Unfolded, 1^o. The Election and Succession of the Kings of England are with the consent of the People.' &c. without any place or date; in which, as will be seen by the following specimens, the doctrine of Coordinate Power was strongly asserted. P. 1. 'The three estates must either be considered as subordinate or coordinate.' p. 2. 'The truth is, he that is *sine pari* in his person hath *pares* in his counsel; and so we cannot express them by the word subordinate, but coordinate, coequal and coessential in the same power.' p. 4. 'In Parliament all the three powers are coequal, coordinate, and coworkers.'

parasitaretur, (quae quum omni Juris praesidio destituerentur, specioso tamen aliquo tibicine quantumvis tenui et infirmo, fuerant pro tempore suffulcienda,) edito libello id agit sedulo, ut populum dedoceat inanem illam philosophiam, qua haecenus ei impositum est ab iis qui negant Contradictoria posse simul esse vera. Regem scilicet et supremum esse, id est, non habere parem; et habere parem, id est, non esse supremum. Fuisse tamen qui hoc tam ridiculum commentum, ut coelitus delapsum σοφὸν φάρμακον,* nimirum quod ipsorum intererat haec vulgo credi, avidè arriperent, et ambabus ulnis amplexarentur, non tam mirandum est, quam dolendum reperiri potuisse, qui tam crasso sophismate sibi persuaderi paterentur, ut turpissimo se interim perjurio alligarent. Quid enim perjurium dici mereatur, si hoc non sit manifestissimum perjurium; quem solum esse supremum in suo Regno moderatorem conceptis verbis juraveris, ei parem aliam in suo Regno potestatem constituere et agnoscere? Apage ergo cum suis portentosis strophis Coordinatorem nostrum, qui nobis hanc remoram injecit, et pergamus.

12. Confirmatur dicta Conclusio, tertio, Ratione. Praecipuus actus gubernationis praecipuam requirit potestatem. Actus enim omnis, quum sit exercitium alicujus potentiae, supponit in agente potentiam sibi proportionatam. Est autem νομοθεσία, sive Legumlatio, actus gubernationis supremus et praecipuus.† Non ergo potest exerceri nisi a persona habente, aut saltem in virtute et ex auctoritate habentis, supremam potestatem et jurisdictionem in communitatem sibi subjectam. Quum enim Jurisdictionis sive Potestatis politicae duae sint nobilissimae et prae reliquis praecipuae sive species sive partes, νομοθετική et κριτική, Potestas scilicet Legumlativa, et Potestas Judiciaria, harum utraque in Jure dicundo consistit, unde et Jurisdictionis nomen. Sed cum hoc discrimine, quod Jurisdictio Judicis sit Juris tantum dati dictio, Jurisdictio vero Legislatoris sit Juris etiam dandi dictio: unde sequitur multo angustiores esse illam Judicis potestatem, angustiores hanc Legislatoris. Illius est Jus Populo dicere et ex Lege jam lata sententiam ferre, hujus vel ipsi Judici Jus dicere, et quae sit ipsi judicandi norma Legem de novo condere. Ille ex prae-

§. 12.

* See Sermon v. ad Magistr. §. 28.

† See Praelect. ix. §. 1.

scripto Juris constituti pronunciare tenetur, hic ex plenitudine potestatis praescribit et constituit Jus, quod non minus Judex ipse inferior quam reliquus Populus tenetur in posterum observare. Non est igitur inconveniens, potestatem judicariam, quum sit inferioris generis potestas, ab inferiore etiam persona ordinarie exerceri; at suprema illa et architectonica Leges ferendi potestas omnino expedit, ut non nisi a persona cujus sit suprema potestas exerceatur. Atque de Dubio Primo hactenus.

§. 13.
Dubium
Secundum.
An ut Le-
ges obli-
gent, Po-
puli aliquis
saltem Con-
sensus re-
quiratur?

13. Dubium Secundum est, An ad Legis Obligationem requiratur Populi consensus? Ex jam dictis enim possit fortassis aliquis existimare potestatem ferendi Leges ad Principem ita pleno jure pertinere, ut ex nostra sententia subditorum nullae essent omnino hac in re partes, nec, si quid ille statueret, Populo quidquam superesset aliud quam jussa capessere et colla jugo subdere. Et sane videtur, pro Dominantium libidine, illud 'Sic volo sic jubeo,' apud prisca saeculi Reges ita obtinuisse, dum mera Principum arbitria pro Legibus erant, ut ipsum Tyranni nomen, innocens initio et honestum, ex tam salutaris potentiae foedo abusu, in contumeliam jamdiu abierit, et horrendum aliquid auribus nostris, quoties auditur, inferre putetur. Atqui Populi saltem consensum aliquem requiri, et ante praemonui, et ab omnibus, quos mihi videre contigit, probatissimis Scriptoribus conceditur. Adeo ut ipsi Jesuitae, qui sunt Oecumenicae et nullis conclusae finibus Pontificis sui Omnipotentiae assertores acerrimi, excusandos tamen, ob non servatas Concilii Tridentini et Bullae Coenae Leges,* eo solo nomine putent in Germania et alibi multos, quod in iis gentibus nunquam fuerint illae Leges usu receptae. Dico igitur:

* The Bull *In Coena Domini*, so called from the day appointed for its annual publication, Maunday Thursday, by which all Heretics and Schismatics are anathematized and excommunicated; a practice spoken of as ancient by Paul III, in 1536. The Bull was issued again by Paul V, April 8, 1610, and also by Urban VIII, April 1, 1627. The Council of Tours had pronounced the Bull void in respect of France as early as 1510. The Queen's College MS. has this reference in the mar-

gin: 'Becanus, tom. i. pt. 2. Tract. 3. c. 6. q. 8.' viz. Summa Theologiae Scholasticae, p. 62. Paris, 1620. 'Hinc sequitur multos subditos in Germania optime excusari quando non servant Leges Concilii Tridentini aut Bullae Coenae Domini, quia scilicet illae Leges in multis locis usu receptae non sunt. . . . Hinc patet Episcopos et Principes qui hoc tempore vivunt et quorum antecessores non receperunt Concil. Trident. &c. liberos esse in Conscientia, et multo magis eorum subditos.'

tur, et est communis sententia, institutas et propositas a Capite Communitatis seu Principe Leges, non obligare subditos, nec vim Legis habere, nisi ab ipsa Communitate recipiantur, et utentium vel suffragiis vel moribus comprobentur. Demostheni Lex est Πόλεως συνθήκη κοινή,* *Communis sponsio Civitatis*, cujus si quem minus moveat hac in causa auctoritas, quod in Atheniensium Republica populari versaretur, accedat Juliani Jurisconsulti auctoritas, qui sub Romanis Imperatoribus vixit pleno jure imperantibus, cujus verba sunt, l. 32. F. de Legibus, ' Ipsae Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio Populi receptae sunt.' †

14. † Sed enim istius receptionis sive consensus necessitatem, §§. 14, 15. etsi omnes agnoscant, non tamen ex eodem fonte omnes accer- Summum Imperium a Deo est; sunt. Sunt qui putent Populi consensum in condendis Legibus propterea requiri quod Principes potestatem suam omnem a Populo effluxam habeant, qua si abusi fuerint (abuti autem potestate sua censendi sunt, si eam longius latiusve proferre et extendere velint quam Populo visum fuerit,) poterit Populus pro jure suo potestatem quam ipsis ante concesserat denuo resumere. Periculoso admodum errore, et quem merito abominari debeant quotquot non sunt humani generis et publicae tranquillitatis hostes. Nititur enim tota haec ratio duplici fundamento, debili utroque et ab omni sana ratione alieno: altero, Principes totam potestatem suam Populo acceptam ferre; altero, potestatem quisquis alteri concesserit, posse eam quum ipsi libuerit revocare. O egregium Sophistam, si haec ita essent, Samuelem magis, qui, ut Populum Θεοκρατίας jamdiu I Sam. viii. pertæsum a perverso rerum novandarum studio absterreret, Regiae potestatis amplitudinem eis ob oculos proposuisse satis habuit? an magis fatuum popellum Israeliticum, qui sui juris ignarus pati se potuit tam futili sophismate sic ρινός ἄγεσθαι ut plane obmutesceret? Adeone omnes bardos et stupidos, nulliusque aut mentis aut animi, ut nec unus aliquis in tam magna Populi corona reperiri potuerit, cui tantum inesset acuminis

* Adv. Aristog. i. πᾶς ἐστὶ νόμος εὐρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ' ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἐκουσίων καὶ ἀκουσίων ἀμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει. p. 774, 21.

† Digest. Lib. i. Tit. iii. L. 32.

‡ After a few lines the Queen's College Transcript passes on from the opening of this fourteenth section to the Definition of Law quoted from Aristotle's Politics, in the twenty-second section.

et audaciae ut ad ista omnia prompte responderet? Quum tam facile fuerit Samueli sic peroranti statim regessisse, 'Pueris haec minare et qui nihil sapiunt: nos, si sic dominari coeperit Rex noster, jure nostro utemur: auferemus ei mox eam quam ante dedimus potestatem.' Quam brevi responso totum negotium confecissent et os Prophetæ in aeternum obturassent, si retrioribus illis saeculis tam credita fuissent haec novorum Magistrorum figmenta, quam sunt ab illis fidenter discipulis suis obrusa, et a temeraria plebe lubenter excepta.

§. 15.

15. Sed ut serio agamus, et ad rem ipsam accedamus propius, dico, primo, praesidendi in republica potestatem, quocunque tandem modo ad eam perveniatur, ab ipso Deo esse,^b solo et immediate, nullatenus autem a populo. Apertissima sunt in hanc rem Sacrae Scripturae testimonia. *Per me reges regnant*, Prov. viii. 15. id est, mea unius, non humana aliqua auctoritate. *Quae sunt, a Deo sunt*, non a populo, *constitutae potestates*, Rom. xiii. 1. Ipsi *Magistratus* qui Populo praesunt *Dei sunt administri*, Θεοῦ λειτουργοὶ, Θεοῦ διάκονοι, ibid. vers. 4. 6. Dii propterea dicti, Psalm. lxxxii. 6, quod ipsius Dei in terris vices gerant;^c idque Deo ipsis conferente hanc potestatem, non Populi suffragiis, *Ego dixi, Dii estis*. Poteritne Populus aliquis sine turpis idololatriæ crimine sibi Deos constituere, quum sit uniuscujusque hominis, ei qui ipsius vices gerat, potestatem vicariam sua auctoritate demandare, non alieno arbitrato? Audebitne quisquam mortalium id juris sibi arrogare, ut qui Dei in terris minister et Vice-Deus futurus sit, omnem illam suam auctoritatem et potestatem ab ipso sibi collatam agnoscat? Utut fortassis poterint esse Populi circa personam ut potestatis subjectum partes aliquae, ut mox videbimus, quemadmodum in generatione rerum naturalium, sunt aliquae praeviae alterationes, quae praeparent et disponant materiam ad recipiendam formam introducendam, collatio tamen Potestatis Regitivæ, sive applicatio ejus ad personam non est Populi opus, sed Dei ipsius immediate; sicut productio formæ in subjectam materiam est immediatum opus agentis sive generantis. Scitum est illud Irenæi, 'Cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu et Reges constituuntur.'^d

^b Ἐκ δὲ τοῦ βασιλῆος. Homer. in Hymn. [xxiv. 4.]

^c Nec alio animo [civitas] rectorem suum intuetur, quam si Dii im-

mortales potestatem visendi sui faciant. Seneca de Clem. i. 19.

^d Lib. v. contra Haeres. cap. 20. [24. ed. Grabe or Massuet.]

16. Dico, secundo, ut digitum ad fontes intendam, Dominationem Politicam ab initio non nisi Patriae potestatis propagationem fuisse. Ipsa rerum primordia quibus otium est paulo diligentius rimari, gentes deprehendent olim non ex mutua Populorum consensione in Regna et Respublicas coaluisse, sed inter Noachi posteros aliquamdiu omne imperium intra Paternae auctoritatis metas constitisse. Nondum Reges erant, sed nec Reguli quidem, nedum amplissimarum ditionum Monarchae; multo autem minime Aristocratici vel Popularis Status regimina, inaudita priscis saeculis toto Orbe nomina, et in Graecia primum, gente levi et cupida novitatis, *καινοτομώντων* quorundam libidine vel furore introducta. Penes familiarum capita stetit adhuc omnis Dominatio,^e in quibus qui primogenitus erat cujusque familiae,^f sine suffragiis aut electione aliqua, quodam quasi naturae jure, et sacrorum et civilis administrationis antistes et totius cognationis Princeps habebatur. Qui pro suo arbitrato delinquentes moderatis primo poenis castigabat, mox, exerescentibus in magnam multitudinem familiis, gravioribus suppliciis nocentes coercuit, donec tandem, aucta indies hominum multitudine et sucescentibus una vitiiis, irrogandi sceleribus capitalia supplicia accessit necessitas. Inde factum ut pater in liberos totamque familiam jus olim haberet vitae et necis,^g cujus juris, etiam post constitutos plerisque in gentibus Reges, manserunt tamen diu vestigia quaedam. Hinc illa notata Aristoteli, sed improbata, Patriae potestatis apud Persas nimia severitas; et vetus illa quae apud A. Gellium, Noct. Attic. lib. v. cap. 19, exstat arrogandi liberos solennis Romanorum formula, UTI. EI. VITAE. NECIS. QUE. IN. EO. POTESTAS. SIET. UTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. Ab his initiis, per incrementa Familiarum, pullularunt paulatim ubique terrarum Regna, quibus qui praeerant et Reges dicti sunt, et in suis ditionibus, exiguis illis quidem, unica fortassis urbecula cum paucis adjacentibus pagis et viculis, merum tamen imperium exercuerunt. ‘Principio rerum, gentium nationumque imperium penes Reges erat:’^h sic historiam suam orditur Justinus. Et ante eum Cicero,

§. 16.
estque
Patriae
Potestatis
propago.

^e Ἐν οἰκίᾳ πρῶτον ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ [φιλίας καὶ] πολιτείας καὶ δικαίου. Aristot. Eth. Eudem. [vii. 9, 10.]

^f Πᾶσα οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πατρὸς. Id. Polit. i. 2. [6.]

^g Pater jussi. Hoc nomen omni Lege majus est. Jus nobis vitae necisque concessum est. Quintil.

Declam. vi. [§. 14.]

^h Justin. i. 1.

‘Omnes,’ inquit, ‘antiquae gentes Regibus quondam paruerunt.’ⁱ Et utroque antiquior Aristoteles eas civitates testatur quae suo tempore liberae habebantur, Graecas nimirum et earum exempla secutas intelligit, sub regio primitus imperio fuisse.^k Hujus quam dixi originis, inter alia plurima, hoc quoque argumentum est non leve, quod tam arctis finibus clauderentur olim Regum ditiones, ut in una Canaanitide, regione non magna, triginta et unum Reges ab Israelitarum Duce Josue debellatos habeamus, Jos. cap. xii, quibus tamen superstitem reliquisse eum istiusmodi Regulorum numerum duplo fere majorem, non improbabili conjectura vel ex eo mihi colligi posse videtur, quod non multo post ipsius Josuae excessum Adonibezekum in septuaginta Reges a se devictos barbaro more saeviisse legimus, Jud. i. 7. Quid multa? Magnae Familiae Principem inter et angusti territorii Regem tam exile discrimen est, ut nomine et mole magis quam re et potestate^l distare inter se videantur: ita ut nemini possit esse dubium, si quidem rationes rite subducere velit, Patriam Dominationem procedente tempore, paulatim et imperceptibili auctu, in Regium nomen et imperium adolevisse; nec aliunde quam ex hoc capite petendam esse summi Imperii originem. Et hactenus sane, in conferenda Regia potestate, nullas fuisse, nec quidem esse potuisse, Populi partes, certo certius est.

§§. 17-20.
In Principe
constitu-
endo quae
sint Populi
partes.

17. Ex his, ut opinor, satis conficitur, ut illud obiter adnotem quod dignum est observatu, illam Regiminis formam, in qua totius Familiae primogenitus in jura paterna succedit ut propinquior haeres, merito caeteris praeferendam esse, quum ob alias plurimas nec contemnendas rationes, tum vel hac una de causa maxime, quod origini suae, ad quam homines natura ipsa quodammodo instituisse videtur, optime respondeat. A qua antiquissima et naturae congruentissima forma simul abscessum est, impotenti scilicet et effraeni dominandi libidine alias sibi vias quibus ad Imperii culmen ascenderetur moliente, Tyrannidi pariter et popularibus studiis opportuniora exinde facta sunt omnia. Qui enim alia quam legitima successione Imperium obtinent, uno e tribus modis ad Regna promoveri necesse est:

ⁱ Cicero de Legibus, III. [ii. 4.]

^k Τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη. Aristot. Polit. i. [2, 6.]

^l Οὐ τῶ ὄλῳ καὶ παντὶ, ἀλλὰ τῶ πῶσῳ μόνῳ διαφέρει. Gregor. Presb. in vita Greg. Nazianzeni. [tom. i. 16 B. ed. Bill.]

aut aperta vi et militaribus armis, aut fraudibus et astu, aut libera demum electione. Qui vi et armis sibi quaesiverunt Imperium, sive mera usurpatione sine aliquo Juris praetextu id factum fuerit, sive bello justo hostibus a quibus injuste lacessiti sunt illato, utrovis enim modo fieri contingit, hos etiam certum est, auctoritatem suam nihilo magis subditis suis debere, quam qui Jure haereditario in Regna avita succedunt. Quin multo etiam minus: in quantum isti volentibus civibus et jugo assuetis, illi invitis et, si resistendo pares essent, repugnare paratis dominantur. Ergo nec hactenus apparent, in conferenda summa potestate, Populi ullae partes.

18. At in stabilienda eorum potestate qui Tyrannidem per dolum occupant, negari non potest, Populum suas habere partes, easque praecipuas. Solent enim qui Tyrannidem affectant, animum imprimis ad favorem popularium conciliandum intendere, 'potentiam ex vulgi adulatione quaerentes.'^m Affatim hujus rei exemplorum suppeditant plurimarum gentium historiae. Apud unum Trogi abbreviatorem, quibus artibus Pisistratus Atheniensium,ⁿ Heracliensium Clearchus,^o Dionysius junior Siculorum,^p alii aliorum Populorum turbam in suas partes pellexerint, reperire est. Invidiosis orationibus credulae multitudinis animos adversus optimos quosque cives concitare; nonnulla publice laudanda et quae speciem haberent clementiae, justitiae, et in plebem benignitatis, facere; omne genus blanditiis ac delinimentis, quibus decipi amat et solet vulgus, in civium affectus se insinuare, velut publicae libertatis unicos futuros assertores, vindices, et patronos; simulatio officii, crebrae pollicitationes, injecta spes feliciorum temporum et mutandae in melius publicarum rerum administrationis: hae nimirum sunt egregiae illae artes, quibus qui ad imperium per fraudes affectant viam, incautum et leve vulgus sollicitant,^q inflectunt, qua libet impellunt, ἐκχαύνοντες λόγοις πρὸς κέρδος ἴδιον.^r Et quidem 'perraro haec alea fallit.'^{*} Fit enim plerumque ut

§. 18.

^m Justin. xiii. 3.ⁿ ii. 8.^o xvi. 4.^p xxi. 1.^q Nihil est facilius, quam in quemvis affectum movere populum. Quintil. Declam. xi. 7.^r Eurip. Suppl. act. ii. [412.πόλις γὰρ ἧς ἐγὼ πάρεμ' ἀπο
ένδς πρὸς ἀνδρὸς, οὐκ ὄχλω, κρατύ-
νεται'οὐδ' ἔστιν αὐτὴν ὅστις, ἐκχαυνῶν λό-
γοις,
πρὸς κέρδος ἴδιον ἄλλος ἄλλοσε στρέ-
φει.]^{*} Horat. Sat. II. v. 50.

Populi favore suffulti, ipsorumque ope et opera adjuti, ad summum illud honoris et imperii culmen quo jamdiu anhelabat eorum ambitio, tandem conscendant.

§. 19. 19. Verum enimvero ista omnia quam parum habeant momenti ad probandam legitimam Populi in conferendo summo Imperio potestatem, facile pervidebit quisquis cogitaverit, imprimis, a facto ad Jus debile semper habitum esse arguendi genus. Deinde, quae a Populo hunc in modum facta legimus, non fuisse judicio facta, sedatoque et sereno, sed concitato et perturbato affectibus animo. Quinetiam, ubi resederit paulum illa animorum tempestas, et astu deceptum se ac ludificatum Populus tandem, sed sero nimis, deprehenderit, facti sui semet poenitere, pudere nimiae credulitatis, temeritatem suam et imprudentiam damnare, qui, avida amplificandae Libertatis spe inducti, sua se opera in servitutem Tyrannicae Dominationis ultro tradiderint. Spirant hæc omnia meram impotentiam et animorum infirmitatem, ita ut mirus artifex sit oporteat qui se hinc aliquod sobrii Juris aut legitimæ Potestatis argumentum elicere posse confidat.

§. 20. 20. Reliqua est igitur unica duntaxat Reipublicae species, in qua popularis in constituendo principe Juris aliqua saltem apparet imago. Regnum scilicet Electivum, ubi in demortui Regis locum novus succedit Rex liberis populi suffragiis eligendus. Esse hic Populo suas partes, easque legitimas et jure bono sibi competentes, prolixè fatemur: non tamen et illud ullatenus largiendum censemus, totam propterea sic electi Regis potestatem a Populo pendere, aut Populo acceptam ferri debere. Aliud enim est potestatem aliquam instituere, aliud personam qui eam potestatem exerceat eligere; nec aliud solum, sed et plerumque alterius. Praetor urbanus istius Villae ab oppidanis et comburgensibus suis quotannis eligitur, electus jurisdictionem quandam exercet, quam nisi sic electus fuisset non licuisset ei exercere, infra pomoeria istius urbis. Penes Collegiorum etiam Socios, quoties Praefecturam vacare contigerit, jus est eligendi Praefectum, ad quem sic electum et virtute dictae electionis spectat totius Collegii regimen. Eligentium utrobique jus universum in sola personae designatione versatur, quae potestatem muneri suo competentem non ab eligentibus derivatam, sed aliunde sibi concessam, exerceat. Neque enim Praetor jurisdictionem quam in urbe exercet concivibus suis, qui ipsum ad

gerendum magistratum elegerunt, acceptam fert; sed chartae Regiae, qui pro suo beneplacito indulget Urbi tale privilegium. Nec Collegii Praefectus quam obtinet in Collegio auctoritatem accepit a Sociis quorum suffragiis electus est, sed a Fundatore ejusque Statutis, qui istam ei auctoritatem concessit. In summa, ubi Principis electio a Populo aut Legibus aut moribus recepta est, ibi Populus personam Regentis designat quidem; ast Deus unus confert regendi auctoritatem.

21. Sed donemus istis vulgi palponibus, ut eorum importunitati tantisper gratificemur, suam hanc hypothesin; nec hilum §. 21. Potestatem (dato quod esset Principi a Populo delata.) Populus resumendi jus non habet. promoverint tamen, nisi et illud insuper largiamur, quod quum solide probare debuissent, sumere maluerunt, quisquis alteri contulerit potestatem, ei jus esse collatam potestatem, ubi ipsi visum fuerit opportunum, eidem adimere, et in manum suam resumere. Contra stat Ratio; et omnia Jura, omnia Fora reclamant. Scilicet, Legitima Pacta non esse rescindenda; Donationem absolute nec interposita conditione factam non posse revocari, vel in totum vel ex parte; Jus quod ante electionem plenum fuit in eligentibus, electione jam peracta, ipso facto transire in personam electam;^r aliaque in eandem rem plurima Naturae sunt et Rationis toto Orbe receptissima dictata, et omnium gentium consensu, ut ex usu quotidiano satis constat, firmata et comprobata. Septem Germaniae Principes eligendi Imperatorem plenam habent potestatem, electum autem imperio submovendi nullam. Singulorum Angliae Comitatum et Burgorum communitas plebis, hoc est incolae et liberi homines, ut nostrates loquuntur, quotquot sunt infra majoris nobilitatis gradum, Equites et Burgenses, communibus suffragiis eligendi jus habent, quos ad Comitata Parliamentaria velut legatos suo nomine mittant cum fiduciaria potestate de publicis Regni negotiis ipsorum vice tractandi: ast abrogandi in posterum jam electis demandatam semel potestatem, etiamsi forte votis eligentium parum responderint, nullum jus habent. Eadem ratio est eorum penes quos Praetorem Urbanum, Collegii Praefectum, aut alterius ejusmodi Communitatis aut Corporis Civilis Caput eligendi jus est: qui, peracta electione, non habent ultra quod agant, jure nimirum et auctoritate praesidendi in per-

^r Populus in eum omne suum Ulpian. F. de Constit. Princip. [Digest. Lib. i. Tit. iv. §. 1.]

sonam electam translatis, cujus potestati deinceps subesse tenentur, et in electione quam ipsi fecerunt acquiescere; nec, si electus indignum se Magistratu praebuerit, aliis id quam sibi metipsis imputare.

§§. 22-24.
Unde fiat
ut ad Legis
Obligatio-
nem Populi
Consensus
aliquis pu-
tetur esse
necessarius.

22. Potuerunt ista, fateor, longius porrigi; et quidem dignum esset opera pretium liberius excurrere in istam probationem, et tam noxiae ac in seditionem pullulantis radicis fibras omnes ex animis hominum penitus evellere, nisi me temporis et instituti mei ratio, eo unde egressus sum revocaret. Nec fortassis multum opus est hac in re longiori excursu; quum et ex his quae jam dicta sunt satis constare posse arbitrer quam temere simul et periculose haec tam vasta Populo potestas attribuat; et aliae suppetant idoneae rationes, quae ut in ferendis Legibus Populi etiam consensus accedat et approbatio, vehementer persuadeant. Primo, quia Lex debet esse Νοῦς ἀνευ ὀρέξεως, *Mens cupiditatis expers*;^s iussa autem Principum, in aulicorum et adulatorum gratiam temere et inconsultis subditis emissa, sunt fere μετ' ὀρέξεως, pravis nempe impotentium affectuum cupidinibus vitiata. Secundo, quia Leges illae, quae quum proponuntur subditis non probantur, moraliter loquendo presumuntur esse aut injustae in se, aut subditis onerosae nimis, aut saltem inutiles bono publico; et proinde ejusmodi, ut expediat eas non sanciri, quum sit Reipublicae valde incommodum, multiplicari Leges sine necessitate. Tertio, quia Leges jam legitime constitutas ita abrogari posse constat per contrariam Consuetudinem, ut ultra obligare desinant: quae Consuetudo nihil aliud est quam conjuncta Populi consensus eam Legem ut inutilem observare negligentis, et consensus Principis observationem ejus non exigentis. Ergo quum sit ejusdem potestatis construere et destruere, videtur Legum vis ex approbatione et consensu Populi non minimum pendere. Quarto et praecipue, quia hoc ipsum, scilicet ut ad Leges condendas concurrat una cum Principis potestate consensus etiam Populi, et ad publicam totius Regni pacem, et ad salutem securitatemque Principis in tantum conducit, ut nihil magis. Omnino enim verisimile est subditos universos, Regibus qui ipsorum consensum expectaverint, et Legibus in quas ipsi consenserint, prompte et alacriter, nec gravate parituros. Neque

^s Aristot. Polit. iii. 16. [5. Διόπερ ἀνευ ὀρέξεως νοῦς ὁ νόμος ἐστίν.]

vero imminutum iri isthoc pacto supremam Principis νομοθετικὴν potestatem, quod unum objici ex adversa parte solet, verendum est. Posse enim duo haec, Populi inquam consensum et supremam Principis in ferendis Legibus potestatem, simul et amice satis consistere, praeterea quod in rebus ipsis nulla videtur esse repugnantia, vel inde constare potest, quod Angliae nostrae Reges, quorum supremam potestatem ante infelicissima haec tempora omnes hujus Regni incolae prolixissime semper agnoverunt, nunquam tamen legislativam suam potestatem ita exercuerint, ut sine subditorum suorum consensu Leges aliquas ipsis imposuerint.

23. Concedendum ergo putamus, ad condendas Leges quae subditos obligent in Conscientia, requiri aliquem saltem Populi consensum.^t Sed porro dubitari potest non immerito, estoque igitur hoc Dubium Tertium, qualis quantusque Populi consensus requiratur ad hoc, ut Principis placitum habeat vigorem Legis. Respondeo, considerari posse in isto de quo nunc agimus Populi consensu duo haec, consentiendi scilicet et tempus, et modum; et horum rursus utrumque bifariam. Vel enim consentitur in Legem, quoad tempus, ante ejus promulgationem rogationemve, vel post. Quoad modum, consensu expresso, sive suffragiis; vel consensu tacito, sive moribus. Ex horum complexione, quatuor oriuntur popularis consensus modi sive gradus.

§. 23.

24. Primus, isque omnium minimus et infimus, gradus est, consensus tacitus ante rogationem Legis, quum scilicet Populus aliquis se suaque omnia sic in victoris potestate posuit, aut longa parendi consuetudine ita in integrum permisit Principis arbitrio, ut quidquid is statuerit, id ipsis ratum esse debeat. Utrovis enim modo id contingat, tantundem est, siquidem ex jure Gentium, justa est illa Principis potestas, quae aut justo bello parta est, aut diuturna possessione quasi quodam praescriptionis jure confirmata. Et iste quidem gradus, etsi Populo non multum sit profuturus, si Principi libuerit potestate sua in tyrannidem abuti, sufficit tamen ad hoc, ne queri possit Populus sibi factam injuriam, si Principem gravius aliquid in ipsos, quod forte non sit injustum, sed quod ipsi tamen nollent, statuere contigerit. Quemadmodum apud nos, importune, ut

§. 24.

^t Ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τις ἐστὶ. Aristot. Polit. i. 6. [1.]

solent, et inique e Presbyterianorum grege nonnulli conque-
runtur, Pastorum parochialium electionem Populo injuste erep-
tam; quum quos oporteret a parochianis ad id munus vocari,
a privata aliqua singulari persona, aut Collegio, sub Patroni
nomine sine ipsorum consensu praesententur. Illud interim
parum cogitantes, eligendi jus si quod Populus olim habuerit,
quae tamen incerta res est, et quam si negetur nunquam pro-
bare poterunt, ex justa certe aliqua causa ab initio, sed longi
temporis praescriptione jam ignorata, ad Beneficiorum Patro-
nos quos vocant jamdudum transisse, adeoque in facta a Pa-
tronis electione involvi virtualiter et contineri Populi consen-
sum. Quod si homines dogmatum suorum nimium pertinaces
non permoveat, ast illud saltem submonendi sunt, quod vel
importunissimo adversario faciat satis, jura Patronatus et Ec-
clesiarum advocaciones auctoritate Parliamentaria, hoc est,
communi et pleno totius Populi consensu, dudum sancita esse;
et proinde quod a legitimo Patrono hoc in casu fit, Populum
ut id ei facere liceret consensisse.

§. 25.
Dubium
Tertium.
Qualis
quantusque
Populi
Consensus
requiratur?

25. Secundus gradus est tacitus Populi consensus in Legem,
post ejus promulgationem. Quum scilicet Populus Legi a
Principe latae et promulgatae non contradicit,^u sed eam potius
moribus et factis comprobatur, conformando se voluntati Prin-
cipis, et id observando quod Lege imperatum est. Si enim
qui vel tacet duntaxat, consentire videatur,* multo magis con-
sentire praesumitur qui et facit. De quo consentiendi gradu
sic iterum Julianus, ubi supra; † ‘Quid interest,’ inquit, ‘suf-
fragio populus voluntatem suam declaret, an rebus et facto?’

§. 26.

26. Tertius gradus est expressus Populi consensus in Legem
a Principe rogatam et sibi propositam, post factam rogationem.
Quum scilicet Princeps Legis materiam domi ante praeparata-
tam, et ex consilio virorum prudentium, si non perfecte ex-
politam, aliquatenus tamen exasciatam, et in concepta verba
quaedam redactam, ne quid quod palam esset absurdum aut
incommodum contineret, subditis suis ulterius examinandam et
expendendam permittit, postulans ut ipsi aut pleraque ipsorum

^u Leges constituuntur [instituuntur] quum promulgantur, firmantur quum moribus utentium approbantur. *Distinct. 4. Sect. In istis.*

* ‘Qui tacet consentire videtur’ is

quoted from the old Roman Law-books in Zouch’s *Elementa Jurisprudentiae*, p. 21, one of our Author’s favourite books.

† See section 13.

pars eandem si futuram putent Reipublicae salutarem, aut saltem bono publico nihil incommodaturam, suffragiis suis confirmant, ut ipsis etiam consentientibus abeat in Legem. Qui fere fuit apud Romanos olim, stante adhuc Republica, rogandarum Legum mos: unde et rogandi vox obtinuit, cujus apud Romanarum rerum scriptores frequentissima mentio est.

27. Ultimus et supremus gradus, quae est ipsissima illa Populi Libertas, qua tamdiu sub optimis Regibus ad invidiam usque felices fuimus Britanni, et nisi stupide ingrati nimium nos indignos praestitissimus tanta felicitate, adhuc felicissimis esse licuisset, est consensus expressus ante rogationem Legis. Quum scilicet Legis formula perscripta, habita prius inter ipsos justa et de rebus et de verbis deliberatione, Procerum Regni et Delegatorum Plebis conjunctis suffragiis comprobata, Regiae tandem Majestati, cui uni competit Legum ferendarum summa potestas, exhibetur, ut ipsius calculo, si id ipsi commodum visum fuerit, confirmata, Legis exinde habeat vigorem, alias irrita sit penitus, nec pro Lege habeatur. Quae Legum sancientiarum ratio, a majoribus nostris prudentissime excogitata, et ad nostra usque saecula per tot Regum et annorum series traducta, omnium retriorum aetatum experientia usque compta est adeo Reipublicae salutaris, ut si de movendis loco suo veteribus terminis non essent intempestive satis, nequid durius dicam, capi coepta consilia, flourissent adhuc fortassis, ut Dei olim beneficio, quae nunc justissimo ipsius judicio pessum ierunt, euntque magis magisque indies Ecclesiae, Academiae, Rex, Populus, Respublica, Res cujusque privatae. Quandoquidem non posse arbitror humano ingenio facile excogitari, ad moderandam hinc Regum potentiam, illinc licentiam Populi continendam coercendamque, Legum ferendarum ratio aliqua magis opportuna.

§. 27.

28. Sequitur Dubium Quartum, de Legibus minorum Communitatum, ut, exempli gratia, Civitatum, Academiarum, Collegiorum, Scholarum, aliarumque quas Corporatas vocant Societates, quae praeter Leges omnibus Regni subditis communes, suis etiam privatis gaudent legibus, juribus, et statutis. Ad quas nimirum personas pertineat ejusmodi Legum ferendarum potestas? et latae quos et quoad obligent? Nec est difficilis responsio. Dico ergo, primo, Quum omnes hujusmodi sodali-

§. 28.
Dubium
Quartum.
De Legibus
minorum
Communi-
tatum.

tates, corpora, sive collegia minora, magni sint corporis, hoc est Regni sive Reipublicae, membra, et in eo contineantur ut Coelorum orbis inferiores in superioribus, non licere cuiquam collegio, societati, eorumve moderatoribus aut inspectoribus, Leges privatas in usum suum condere, quae publicis totius Regni Legibus adversentur aut ullo modo praejudicent. Dico, secundo, quum ex concessione Principum, idque ex gratia speciali, ut loquuntur, corporentur istiusmodi Societates, nec aliis gaudeant iuribus, privilegiis, vel potestate, extra ea quae vel ex diuturna temporis praescriptione, vel ex chartis diplomatibusque Regiis constare potest fuisse sibi concessa, potestatem proinde quae in ipsis est *νομοθετικὴν* omnem derivatam esse potestatem, non autem primitivam; atque in supremam Regiam potestatem, ut veram sui originem, ultimate resolvi; et propterea non posse ejusmodi Societates earumve Magistratus pro arbitrio suo constituere, aut potestatem aliquam in Legibus ferendis actualiter exercere, nisi ad modum et mensuram indultae sibi a Principe facultatis. Dico, tertio, Leges a privatis Collegiis et Societatibus Corporatis juxta tenorem facultatis sibi a Principe concessae legitime latas, obligare omnia membra earundem societatum, et quotquot earum jurisdictioni seu regimini subduntur, eosque solos, per se, directe et vi sua; ast virtute supremae Majestatis Regiae, cujus auctoritate nituntur, et a qua vim suam omnem et auctoritatem accipiunt, obligare aliquatenus et indirecte universos et singulos totius Regni subditos. Sed utriusque Obligationis nec eadem ratio est, nec gradus idem. Obligant enim hae Leges suos quidem ut eas diligenter observent, reliquos vero hactenus tantum obligant, ne eas aliquo modo violent, imminuantve, aut earum observationem impediant.

§. 29. Dubium Quintum, de Legibus Ecclesiasticis in specie. Posse de novo condi Leges de Ritibus, Rebus, et Personis Ecclesiasticis, omnibusque Sacri Cultus externi circumstantiis ad ordinem, honestatem, et aedificationem spectantibus, extra eas quae sunt a Christo et ejus Apostolis in Sacris Literis traditae, adeo manifesta res est et Rationi consentanea, ut perversi judicii obstinatique animi se suspicione aegre liberaverit, qui siccus et sobrius negaverit. Sed cujus sit Ecclesiasticas Leges condere, ex quo in diversa studia abiere Theologi, parum inter partes convenit. Pontificii, qui Clericos ab

§. 29.
Dubium
Quintum.
De Legibus
Ecclesiasti-
cis.

omni civilis Magistratus jurisdictione exemptos volunt, de qua controversia non est nunc disputandi locus, Episcopis solis, inque eis Summo Pontifici maxime, quem Oecumenicum Episcopum praedicant, hoc juris asserunt, ut ipsis Leges condere liceat, quae non Clericorum modo sed et Laicorum Conscientias obligent, etiam sine consensu vel licentia Magistratus Politici. Papismi hunc articulum, ut et alios non paucos, mutata tantum persona, dogmate non mutato, amplectuntur, qui se tamen Papismi acerrimos hostes profitentur, sed omnia interim novi interturbant Davi, Disciplinarii nostri Reformatores, qui omnem potestatem, auctoritatem, jurisdictionemque Ecclesiasticam Regibus ademptam, sibi unis suisque classibus et conventibus vendicant. Erastiani ex adverso, Reformatores quoque non minus et hi, Deus bone! sub specie Reformationis quot nominum et opinionum monstra, nisi quod sunt deformia pariter, alias immane quantum invicem difformia, parturivit, peperit, aluit, fovit prodigiorum ferax novissimum hoc septennium! Erastiani, inquam, Clericis omni jurisdictione Ecclesiastica penitus exutis, externi Ecclesiae Regiminis jus universum Magistratui Civili ex asse et in solidum attribuunt.

30. Non est mihi animus, sed nec otium, nisi vobis plus aequo molestus esse vellem, cum utriusvis generis adversario manum conserere. Hic, ut aliis plerisque in rebus usu venit, verior esse videtur, et est certe tutior, quae inter duas extremas media interjacet sententia: in quam vestris omnium pedibus eo lubentius itum iri confido, quod et Doctrinae Ecclesiae Anglicanae, et Regni insimul Legibus maxime sit consentanea. Nempe, Jus condendi Leges Ecclesiasticas esse penes Episcopos, presbyteros, aliasque personas a totius Regni Clero rite electas, et in legitima Synodo rite congregatas. Ita tamen ut ejus juris sive potestatis exercitium in omni Republica Christiana, ex auctoritate supremi Magistratus Politici pendere debeat. Idque et a parte ante, ut loqui solemus, et a parte post. Videlicet, ut nec eis statuendi Canones Ecclesiasticos causa liceat convenire, nisi aut ipsius mandato et jussu ad id negotii convocatis, aut ejus saltem auctoritate, venia ab eo petita pariter et obtenta, munitis; nec Canones, in quos illi sic convocati munitique consenserint, rati sint, aut vim aliquam habeant obligandi, quoad supremi Magistratus

§. 30.

assensus accedat, cujus approbatione et publica auctoritate simul ac confirmati fuerint, illico pro Legibus habendi sunt, et subditos obligant. Atque haec de Causa Efficiente dicta sufficientiant.*

* In the Queen's College MS. abstract of the next Lecture,⁷ there follows, immediately after these words, a very brief and perfunctory exhibited in continuity as part of this Seventh.

PRAELECTIO OCTAVA.*

DE LEGUM HUMANARUM OBLIGATIONE EX PARTE
CAUSAE FORMALIS: UBI

DE { PROMULGATIONE LEGUM,
LEGIBUS POENALIBUS.

EZR. x. 7, 8.

Ita promulgarunt per Judah et Jerusalem omnibus filiis captivitatis, ut se congregarent Hierosolymis: et quisquis non veniret infra triduum, sub anathemate ut essent omnes facultates ejus.

DE Legum humanarum Obligatione, quod ad earum Causas §. 1. Materialem et Efficientem pertinet, in his quae jam ante nobis ^{Propositio} tractata sunt, satis pro instituti nostri ratione vidimus. ^{dicendo-} Dicendum proxime de his quae ad Causae genus Formale, etsi fortassis non admodum proprie, si quis velit ista ad accuratam methodi normam exigere, haud tamen prorsus incommode, ut mihi saltem videtur, reduci possunt. Quae omnia ad duo omnino capita revocare licet, alterum de Legum Promulgatione, de adjuncta eis Poena delinquentibus irroganda alterum. Quarum utraque ut in proposito Textu expresse continetur, Promulgatio versu septimo, Poena versu octavo, ita est utriusque, et ex ipsa Legis natura, et ad effectum Legis consequendum, usus pernecessarius. Quum enim Lex, ex natura sua et quatenus est regula quaedam rerum agendarum, duplicem habere debeat vim, vim scilicet dirigendi, ostendendo subditis quid sit faciendum vel non faciendum, et vim obligandi, ingendo animis eorum parendi necessitatem, non poterit Lex duplicem hanc vim debite et cum effectu exserere, nisi et sub-

* Dr. Whewell has translated this Eighth Lecture less fully than the others, deeming it of less value than the greater part of Sanderson's discussions.

dito innotescat, quae sit Principis voluntas, quod fit Promulgatione, et intelligat etiam ex apposita Poena quantum sua refert eam praestare.

§. 2.
De Legis
Promulga-
tione. Du-
bium Pri-
mum. An
sit neces-
saria ?

2. De Promulgatione Legis Dubium primum est, An Promulgatio sit de ratione Legis? quod est quaerere, An ad hoc, ut Lex habeat vim dirigendi et obligandi, ita necessario requiratur ejus Promulgatio, ut ea vi careat nisi promulgata sit? Promulgationem autem in tota hac Tractatione non intelligo quoad usum ejus vocabuli apud Ciceronem et alios Romanos Scriptores, sed juxta receptum morem loquendi Scholasticorum et Canonistarum posteriorum saeculorum. Illa enim Veterum promulgatione, proponebatur publice tribus nundinis Lex adhuc ferenda, ut Populo probaretur; at haec de qua nunc loquimur Promulgatio est ipsa publicatio Legis jam latae, ut Populo innotescat. Ad Dubium ergo propositum respondeo breviter, Promulgationem ita esse de ratione Legis ut aliquo modo dici possit ejus Forma, adeoque apud plerosque auctores ingrediatur ejus definitionem; et proinde simpliciter esse necessariam ad hoc, ut Lex exerceat officium Legis, quod est dirigere et obligare subditos; quos ne dirigere quidem potest, multo autem minus obligare, quantumcunque sit justa et optima auctoritate lata, nisi sit illis cognita; et cognita esse non potest nisi promulgetur. Illud enim quod proprie inducit Obligationem est voluntas et auctoritas Praesidentis sive Principis,* non ut est persona singularis, sed quatenus sustinet personam publicam et est caput communitatis. Atqui nisi suam illam voluntatem publica aliqua ratione Populo pateferi et proponi curaverit, non poterit de aliqua Lege, Juris saltem interpretatione, certo constare quod sit ipsius voluntas, et ab ejus auctoritate prout publicam personam sustinet profecta. Hinc illud Juris Canonici, 'Leges constituuntur, quum promulgantur;'^a itemque illud alterum Juris Civilis effatum, 'Leges quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.' Quod quum omnium Doctorum communi consensu, ratione scilicet sic dictante, comprobetur, nihil opus est ei firmando aut Dei ipsius exemplum in medium adducere, Legem suam populo Hebraeo de monte Sinai solenniter promulgantis, aut florentissimarum toto Orbe Rerumpublicarum et civitatum praxin, quae Leges suas, mox ut

* See above, Praelect. vii. §. 8. stinct. 4. Sect. In istis. [See above,
^a [Gratian. Decret. Part i.] Di- Praelect. vii. 25.]

latae fuerunt, tabulis aeneis incisas aut insculptas ligneis, in locis maxime publicis, civibus inspiciendas proposuerunt. Notissima sunt illa vocabula quae passim apud auctores occurrunt, et ad hanc classem pertinent, Atheniensium *δέλτοι, κύρβεις, ἄξονες*, Duodecim Tabulae Romanorum, aliorumque populorum alia; de quibus consulant, quae vacat esse istarum rerum curiosis, utriusque linguae Lexicographos et Philologos. Nobis ad alia pergendum.

3. Posita promulgandae Legis necessitate, exoritur Dubium §§. 3-5.
 secundum, Qualis debeat esse Promulgatio Legis, ut legitima Dubium
 censeatur et inducat Obligationem? Pro responsione dico, Secundum.
 primo, promulgandi Legem modum et rationem, quoad parti- Quando
 culares ritus et circumstantias, pro more cujusque gentis va- censenda
 riari posse: in eo tamen consentire omnes, ex communi usu est Lex
 requiri, ut Legislator voluntatem suam curet ita proponi et sufficienter
 manifestari subditis externo aliquo signo, ut eis publice inno- promulga-
 tescat; nec aliquis eorum qui tenentur Legem observare, possit, ta.
 moraliter loquendo, esse ignarus ejusmodi Legem esse latam.
 Atque hoc propterea requiritur, quod dirigendi vis Legi in-
 trinseca est et essentialis; non autem possunt subditi actiones
 suas secundum Principis sui voluntatem dirigere, nisi cogno-
 scant hanc esse ejus voluntatem; nec id scire possunt, nisi sit
 ipsis externo aliquo signo, puta voce, scripto, sculptura, simi-
 live alio, sufficienter proposita et manifestata.

4. Dico, secundo, ad Promulgationem Legis ita ut obliget §. 4.
 subditos non sufficere quod Legislator voluntatem suam eis
 publice significet; sed ulterius etiam requiri, ut solenni aliquo
 adhibito ritu id fiat, aut saltem ita fiat, quod solennis ritus in-
 star habet, et tantundem valet, ut satis testatum sit subditis
 Legislatorem intendere, ut illa ipsius voluntas vigorem Legis
 habeat, et eos obliget. Cujus ratio est, quia non omnis volun-
 tas superioris, etsi subdito cognita, continuo et ipso facto eum
 obligat, nisi etiam constet superiorem intendisse ut obligaret.
 Omnis enim superior Legislativa Potestate praeditus, quum
 duplicem sustineat personam, unam privatam qua homo sin-
 gularis, alteram publicam qua legitimus superior, potest idcirco
 duplicem subire considerationem sive respectum. Peperit no-
 bis haud ita pridem inter medias turbas inauspicata quorundam
 solertia novam distinctionem, de Regis nempe capacitate, sic
 enim loqui placuit, personali, et politica, praesenti negotio, meo

saltem iudicio, quam ei rei quae tunc agebatur, aliquanto commodiorem. Nimirum sic est: Voluntas Principis, si consideretur Princeps in capacitate sua personali, hoc est, ut persona singularis et quasi privata, non habet rationem Legis, nec obligat subditos ut secundum eam dirigant actiones suas. Ergo ad obligandum subditos non satis est ut Princeps quocunque modo eis significet hoc vel illud se velle, nisi etiam alicunde constare poterit eum idipsum velle ut in capacitate sua Politica, hoc est, quatenus Princeps est et caput communitatis, et ut personam publicam sustinet cum Legislativa Potestate. Quod quum ex simplici voluntatis suae significatione satis constare non potest, opus est ut aliqua magis publica et solenni caeremonia iis quorum id scire interest testatum sit: ne quis possit excusandae suae inobedientiae putidum illud et vulgare 'Non putaram'* obtendere.

§. 5. 5. Dico, tertio, in amplioribus Imperiis quae multas continent provincias utile saltem esse ut promulgatio novae Legis fiat in singulis Imperii provinciis. Sunt quibus hoc videtur simpliciter necessarium, et requiri ex natura Legis, quae non obligat nisi a Populo acceptetur; et proinde si Lex in curia Principis, aut totius Regni Metropoli, aut primariis aliquot civitatibus solum promulgetur, non sufficere ejusmodi Promulgationem ad obligandum eos qui in locis et provinciis remotioribus degunt. Sed ut non sit hoc simpliciter necessarium, nec videtur enim natura Legis id requirere, et ex altera parte stat quum communis opinio Doctorum, tum communis plerarumque gentium praxis, utile tamen est id fieri, ut Lex qua singuli tenentur, ad singulorum, quoad fieri potest, notitiam perveniat. Quod quanto facilius nostro saeculo quam prioribus illis, nondum adinventam arte typographicam, praestari potest, tanto inexcusabilius negligitur. Ne longe abeam, quae est apud nos usu recepta non modo sufficiens sed et facillima videtur esse Legis promulgandae et commodissima simul ratio, ut scilicet Leges in Comitibus Parliamentariis totius Regni ordinum consensu a Rege sancitae, finitis jam Comitibus, mox typis mandentur, idque a Typographo Regio et noto caractere, ita ut nemo possit esse dubius Leges eas et legitime latas esse et sufficienter promulgatas.

* Compare Sermon v. ad Magistr. §. 7.

6. *Dubium Tertium.* Supposito quod Lex fuerit sufficienter promulgata, quando incipiat obligare subditos? an statim post promulgationem factam? an post aliquod temporis intervallum? Pro responsione dico, primo, quod et extra controversiam est, Leges illas in quibus definitum est certum tempus Obligationis, quamprimum illud tempus advenerit, statim obligare incipere, et obligare deinceps in omne tempus futurum, nisi aut terminus Obligationis ipsis illis Legibus definiatur, aut ipsae Leges vel nova Lege vel contraria consuetudine abrogentur. Unde ex communi Juris Civilis sententia Leges Imperatoriae de novo constitutae non obligant Imperii subditos, nisi post duos menses a promulgatione facta: quia id tempus Authentica quadam in Novellis,* ut in omnibus Legibus observandum, universaliter definitum est, idque eo consilio, quod praesumitur facillime posse duorum mensium spatio notitiam Legis ad omnes subditos pervenire. Dico, secundo, in Regnis et Rebus publicis, ubi nihil certi de tempore quo Leges de novo latae incipiant obligare aut jure definitum est aut moribus receptum, Leges in quibus non apponitur certum tempus Obligationis, obligare in Conscientia, quamprimum sunt pro consueto regionis more promulgatae, omnes illos ad quorum notitiam pervenerint, aut quibus per Legislatorem non steterit quo minus inactescere potuerint. Quum enim Obligatio Legis ex voluntate Legislatoris pendeat, non ex scientia subditi, sequitur vigere Obligationem Legis quando Legislator voluntatem suam subditis externo signo sufficienter expresserit, sive id singulis subditis cognitum fuerit, sive contigerit ut aliqui forte id ipsum ignorent. Posita siquidem Lege ponitur Obligatio, quae convenit Legi quatenus Lex est, et eam necessario sequitur, sicut omnis necessarius effectus sequitur propriam suam causam, ut a nobis saepe ante dictum est. Ergo quum Legi, quamprimum legitime lata est et sufficienter promulgata, nihil ultra desit quod ad complendam ejus essentiam requiratur, omnino consequitur Legem sic latam et promulgatam statim inducere Obligationem. Neque inconvenit nasci posse in nobis Obligationem per voluntatem et factum alterius solum, nobis etiam nescientibus, si Obligatio illa habeat rationem debiti morales, ut loquuntur, etsi in Obligationibus et debitis quae oriuntur ex contractu aliter se res habeat.

§. 6.
Dubium
Tertium.
Promulgata
quando incipiat obligare.

* Collat. v. Tit. xxi. Novell. 66.

§§. 7-9.
Legis promulgatae ignarus, an et quatenus ea obligetur.

7. Dubium Quartum, quatenus Lex afficiat eos quibus postquam sufficienter promulgata est, aut post elapsum tempus Lege constitutum, actu tamen non innotescit? Quod est quaerere, an cui Lex actu cognita non est, aut culpae reus sit ita ut peccet si contra Legem faciat, aut poenam propterea mereatur quam Lex delinquentibus irrogat? Ratio dubitandi est, ex una parte, quia frustra est Obligatio, vel potius nulla, quae nec ad culpam obligat nec ad poenam. Ex altera parte, tum quia absurdum videtur ut quis obligetur ad impossibile, at certe Legem servare quam nescias impossibile est, tum etiam quia e duobus Legis quae diximus officiis, necesse est dirigendi illam vim, ut natura priorem, alteram illam obligandi vim antecedere, ita ut Lex nequeat obligare nisi quem dirigit; dirigere autem non potest nisi sit cognita. Hoc imprimis supposito, quod nullam admittit dubitationem, subditum cui Lex actu cognita est obligari et ad Culpam et ad Poenam, quod ad ignorantem Legem attinet, pro responsione ad Dubium propositum dico, primo, qui Legem ignorat ex crassa negligentia, quum id suo vitio et lata culpa contingat ut eam nesciat, nihilo aut saltem non multo minus et peccati reum esse et poenam mereri quam eum qui cognitam Legem violat. Ignorantia enim crassa ejus quod quis scire debet et potest neminem excusat; nec multum distare videntur, Juris interpretatione, dolus malus et lata culpa.

§. 8.

8. Dico, secundo, eum qui Legem propterea ignorat quia aliquanto incuriosior aut negligentior in eam partem fuerit quam in re tam gravi oportuerat, etsi culpa quam Jurisconsulti levem vel etiam levissimam dicunt, quia et culpa tamen et sua id factum constat, non prorsus immunem esse a Legis Obligatione. Ratio est, quia istiusmodi ignorantia fuit vincibilis; si enim subditus tantam diligentiam adhibuisset quantam et rei ipsius dignitas postulabat, et adhibere solent in gravioribus suis negotiis homines cauti, potuisset (id enim jam supponimus) certus fuisse de Legis Promulgatione. Vincibilis autem ignorantia ejus Juris, secundum quod tenetur quisque dirigere actiones suas, non potest non esse culpabilis; si vero culpabilis in quocunque demum gradu, eatenus etiam et inexcusabilis est. Quo tamen levior culpa est, eo et in utroque foro excusator est ignorantia, et facilius apud aequos rerum aestimatores veniam meretur. At Lege antea obligatum fuisse,

licet eam ignoraret, vel exinde patet, quod quamprimum ex testimonio viri alicujus fide digni intelligit Legem promulgatam esse, se protinus ea Lege obligatum judicat; at nulla oritur de novo ex illius viri testimonio Obligatio; neque aut testi ipsi, aut ipsius testimonio, vis aliqua inest obligandi: ergo proculdubio jam antea Lege obligabatur, etsi nec Legis notitiam ante haberet nec Conscientiam Obligationis.

§. 9.

9. Dico, tertio, eum qui bona fide et invincibiliter, ex casu aut impedimento aliquo fortuito, nulla tamen sua negligentia culpave, Legem promulgatam ignorat, ut si quis insania aut gravi et diuturno morbo laboraverit, aut nuperrime ab exteris regionibus reversus fuerit, nec quidquam de Lege promulgata aut inaudiverit aut audire potuerit, nec ad culpam nec ad poenam proprie dictam ea Lege obligari; posse tamen ea Lege quam invincibiliter ignorat eatenus affici, ut obligetur ad poenam improprie dictam, hoc est, ad damnum aliquod sustinendum. Probatur hujus Assertionis pars prior. Nemo aut Culpam incurrit, aut Poenam meretur, qui non peccat. At qui Legem non servat quam invincibiliter ignorat, non peccat; si enim peccaret, obligaretur ad impossibile: ergo nec merito culpam potest, nec juste puniri. Quod tamen possit obligari ad damnum aliquod ex Lege sustinendum, quae fuit nostrae Assertionis altera pars, exemplo adducto clarissimum evadet. Esto Lex prohibens certum aliquod genus contractus, qua Lege inter alia decernitur omnes ejusmodi contractus post unum mensem a Legis Promulgatione initos, irritos prorsus esse et nullos: si quis Legis istius bona fide et invincibiliter ignarus, mense jam elapso, contractum ejusmodi forte inierit, immunis quidem erit a culpa propter invincibilem ignorantiam, immunis etiam consequenter debet esse et a Poena quae nemini juste debetur nisi propter Culpam: damnum tamen, siquod ex nullitate initi contractus emergere contigerit, non solum sustinebit, sed et sustinere tenetur, etiam secundum Conscientiam, ex vi obedientiae Legibus debitae et ex intuitu publicae utilitatis. Quod idem statuendum est et in aliis quibusdam Legibus quamplurimis: verbi gratia, in eis quibus inhabilitantur personae, quibus revocantur privilegia, quibus temperantur foenora, quibus certa rerum venalium pretia constituuntur, et similibus, de quibus fuse tractant Canonistae et Theologi. Nec debet hoc cuiquam videri iniquum; etsi enim damnum quando-

que Poena dicatur, id tamen fit per analogiam tantum, valde improprie. Nam alias Poenae proprie dictae et damni longe diversa ratio est. Poena si quis insons afficiatur, fit ei injuria; at damnum innocenti citra injuriam saepissime inferri contingit. Et haec de Promulgatione Legis, quantum nostro instituto sufficiat, dicta sunt.

§. 10.
De Lege
Poenali.
Dubium
Primum.
Quatenus
ad Legis
Essentiam
pertineat
Poenae
constitutio.

10. De Lege Poenali proxime agendum. Ubi missis eorum plerisque quae solent a Casuistis multis et inutiliter disputari, quaeque magis ad forum externum et litigiosum, idque fere ex Jure Canonico et Pontificio, quod nostra non multum interest, quam ad forum Conscientiae internum pertinent, contenti erimus pauca quaedam et praecipua delibasse, quae propius ad Conscientiae regimen conducere judicamus. Occurrit in hoc genere Dubium primum, an ad Legis essentiam aliquo modo pertineat Poenae constitutio? Respondeo, videri pertinere. Non quidem ut aliquid intrinsece requisitum ad complendam Legis essentiam, ita ut Lex nisi apposita Poena non esset Lex; sed consecutive tamen, ut aliquid necessarium ad hoc, ut Lex finem quem intendit efficaciter consequatur. Forma enim et essentia Legis in praeceptione consistit.* Praeceptionem hic intelligite latius sumptam, ut prohibitionem simul complectatur, quomodo in Scripturis accipi solent voces מצוה et Ἐπιτολή; et Theologis communiter tam negativa Mandata quam affirmativa, Praecepta dicuntur. Et ab hac praeceptione sola pendet utraque illa vis quam Legi inesse diximus, dirigendi scilicet actiones et obligandi Conscientias subditorum. Habet enim subditus sufficientem normam secundum quam dirigere debet actiones suas, et ad cujus observationem, nisi velit officio suo desse, astringitur in Conscientia, simul ac rescierit legitimum superiorem suum, hoc vel illud Lege praecepisse, sive sit illi Legi apposita aliqua poena, sive non. Non ergo ex natura ipsius Legis, quae in mera praeceptione consistit, exurgit haec Poenam apponendi necessitas; sed, ut Legis praeceptio quae nuda non sufficeret,^b suum cum vigore sortiatur effectum, ex duplici alia hypothesis, subjecti nempe et finis. Expedit enim ut Leges sanctissime observentur, quae est hypothesis ex parte finis: supposita tamen humani cordis innata pravitate, quae est altera hypothesis ex parte subjecti, fieri vix ac ne vix

* See Praelect. vi. §. 21.

est, quod sine ultione prohibetur.

^b Nam et tunc tacite permissum

Tertull. adv. Marcion. i. 26.

potest, quin contemptui habeantur vel utilissimae Leges, (quae est plerorumque mortalium qua negligentia, qua pervicacia,) ni metu saltem contineantur utcunque in officio^c qui ludos faciunt Conscientiae dictamen. Hinc factum, ex duplici inquam hac hypothesis, ut Reipublicae salutare et sibi necessarium semper judicarint prudentissimi quique Legislatores, sancire Poenis Legum observantiam. Idque Dei ipsius exemplo, cui visum est eam quam primam dedit homini Legem non sine Poenae interminatione edicere, Gen. iii. Aliquot fortassis boni cives, quorum parcissima ubique seges est, sola officii conscientia, patriaeque et 'virtutis amore'* adducti, etsi nulla esset proposita Poena, ultro Legibus obtemperarent; ast plurima turba sola formidine Poenae adiguntur ad officium faciendum. Patet igitur quae sit in condendis Legibus Poenarum constituendarum necessitas.

11. Dubium secundum est, de Obligatione Legis poenalis quoad extensionem: utrum scilicet Lex poenalis obliget ad Poenam tantum, vel etiam ad Culpam? Quod est quaerere, an subditus Legi et officio suo ita faciat satis, si paratus sit Poenam Lege constitutam subire, ut non sit peccati reus etsi Legis praeceptionem non observet; aut annon etiam obligetur in Conscientia ad praestandum illud quod Lege praecipitur. Cui Dubio ut distinctius et clarius respondeatur, quia magni momenti quaestio est, et cujus frequentissimus usus est in vita communi, explicandae rei gratia, non erit alienum nonnulla quae praecognosci utile est praemittere. Sciendum igitur, primo, Legem humanam positivam eam solam poenalem dici, quae ex arbitrio Legislatoris expresse statuit in transgressores Poenam aliquam temporalem; adeoque in tota hac Tractatione, quoties occurrit Poenae mentio, non aliam intelligi Poenam nisi temporalem. Dupliciter autem sumitur *ly*† Temporalis, aut ut Spirituali opponitur aut ut Aeternae. Accipiuntur enim fere in communi sermone ut membra invicem contradistincta, nunc Spirituale et Temporale, nunc Aeternum et Temporale. Quin ergo tria sunt omnino Poenarum genera, sive quis species, aut modos, aut gradus dicere malit. Quidquid enim

§§. 11, 12.
Dubium
Secundum.
De ejus
Obligatio-
ne; et quid
sit Poena.

^c Qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. Quintil. Inst. xii. 7. [3.]

* Horat. I. Ep. xv. 53.

† '*ly*.' The old form of the French

article *le*. See Roquefort, Glossaire de la Langue Romane. It was omitted in Editions subsequent to the second.

Poenae nomine venit, aut est, primo, Poena Spiritualis, qualis est amissio sive carentia gratiae et amicitiae Dei, sive gaudii interni et consolationis quae ex Ejus gratiae amicitiaeque sensu oritur. Aut est, secundo, Poena Aeterna, quae consistit partim in aeterna carentia beatificae visionis Dei et Christi, partim in aeternis Inferni cruciatibus. Aut est, tertio, Poena Temporalis, ab utraque priori distincta, quae et pertinet ad statum praesentis vitae, et circa corpus ac res externas tantum versatur, nec tollit ex se et necessario aut sensum gratiae Dei aut vitae aeternae spem; cujusmodi sunt amissio pecuniae, exsilium, carcer, infamia, minutio capitis, flagella, et quae sunt ejusmodi alia, ipsa denique mors corporalis. Ejusmodi Poenarum quae praecipuae habentur, et frequentioris sunt usus, ad quatuor capita revocantur, Ezr. vii. 26, mortem scilicet, exsilium, amissionem bonorum, et carcerem.

§. 12. 12. Sciendum, secundo, Poenam, ut Culpae oppositam, iterum duobus modis accipi. Aliquando enim late et materialiter accipitur prout ei opponitur oppositione contraria, id est, ut species altera condividens idem genus. Et sic omne Malum quod cuiquam obvenit, quod non est Malum Culpae, Poena dicitur, vel Malum Poenae, etiamsi non infligatur ei qui id ipsum patitur propter aliquam antecedentem Culpam, sed aliunde, ut casu fortassis, aut per injuriam, contingat. Sic morbus inopinus, pecunia furto ablata, vulnus a latrone illatum, naufragio aut incendio amissa bona, omne denique damnum aut nocumentum quod perpessu grave est, inter Poenalia numerari solent, et sub Poenae appellatione venire. Quandoque etiam restrictius accipitur Poenae vocabulum, et quasi formaliter, prout Culpae opponitur oppositione relativa, id est, quatenus quis ea afficitur propter praecedentem Culpam, ut si quis ob rem alterius furto sublatam mulctetur quadruplo, aut exsulare jubeatur propter seditionem. Et haec est propria, prior illa impropria vocis Poenae significatio; improprie enim Poena dicitur quam non praecessit Culpa. Unde illa notissima Poenae Definitio, quod sit ‘Supplicium quo quis propter delictum afficitur.’ Secundum utramque vocis significationem loqui intendimus in praesenti Disputatione prout res postulabit. Sed posterior haec praecipua est, quia poenalis Lex dicitur non tam respectu damni aut nocumenti, quod alicui potest occasione Legis, idque fortassis juste, sine aliqua tamen sua culpa con-

tingere, quam respectu illius supplicii quod ex Legis determinatione constitutum est eis qui eam transgrediuntur.

13. Sciendum, tertio, Legem Poenalem, aliam esse pure ^{§§. 13, 14.} Poenalem, aliam mixtam. Lex pure Poenalis est quae simplici ^{Quae sit Lex Poenalis et quod-tuplex.} ordinatione Poenam apponit tantum, nec tamen quidquam expresse aut jubendo praecipit aut vetando. Exempli gratia, Lex sit quae potestatem faciat popularibus alicujus urbis vel oppidi, eligendi quotannis unum aliquem ex honestioribus civibus in Praetorem, cum adjecta hujusmodi clausula, ‘ Qui civium electus Praeturam urbanam recusaverit, centum aureos in commune pendito.’ Haec Lex pure Poenalis est, quia Poenam constituit quidem recusantibus id munus suscipere: nulli tamen idipsum aut suscipere praecipit, aut prohibet recusare. Lex Poenalis mixta est quae aliquid fieri praecipit aut vetat, adjecta insuper Poena transgressoribus irroganda: Exempli gratia, ponamus Legem sub hoc aut simili forma promulgari, ‘ Nemo merces domesticas extra Regnum exportato, aut peregrinas merces advectas infra Regnum divendito, nisi consuetum vectigal ante solverit. Qui secus fecerit, mercium amissione luito.’ Lex Poenalis est, quia appositam habet Poenam; non tamen pure Poenalis, sed mixte, quia, sub illa Poena, praecipit vectigalia solvi, vetat efferi aut distrahi merces vectigali insoluto. Sunt qui duabus his tertiam Legis Poenalis speciem addendam putant, scilicet, quae praeceptionem simul contineat et Poenam, neutram tamen positive et specialiter, sed sub disjunctione ἀδιαφόρως alterutram. Exemplo sit Lex sub tali forma. ‘ A popularibus electus, aut Praeturam gerito, aut centum pendito.’ Atqui nihil opus est ob hanc causam addi speciem novam. Nec enim multiplicandae sunt rerum species sine necessitate; et disjunctiva haec forma proponendi Legem ad pure Poenalem referri debet, quia praeceptionem reipsa nullam continet. Si dicas, praecipere duarum rerum, etsi non definite alteram, indefinite tamen alterutram, facile regeram, at praecipere indefinite, et sub disjunctione, non magis praecipere est, siquidem proprie loqui velimus, quam homo pius est homo. Est ergo disjunctiva haec Lex, pure, ut dixi, Poenalis, quod vel ex collata utriusque exempli forma manifestum est. Sive enim edixerit Legislator illo modo, ‘ Qui electus Praeturam recusaverit centum pendito,’ sive hoc altero, ‘ Electus aut Prae-

turam gerito, aut centum pendito,' tantundem est. Utrobique sensus idem, eadem verborum vis, par Obligatio.

§. 14. 14. Sciendum, quarto, inter Obligationem ad Culpam et Obligationem ad Poenam temporalem non esse necessariam connexionem, aut certe non ita necessariam ut sit etiam reciproca. A Poena quidem temporali proprie dicta ad Culpam necessaria est consecutio. Validum proinde est hoc argumentum: Petrus ex Lege puniendus est, ergo Culpam admisit. Sed a Poena temporali minus proprie dicta, puta damno aut re simili, non necessario infertur Culpa; potest enim aliquis sine Culpa sua obligari ad damnum, ut aliquoties ante diximus. Neque etiam a Culpa ad Poenam temporalem reciproca est consecutio, quia fieri potest ut quis obligetur ad Culpam, ut interim non obligetur ad Poenam, Poenam nimirum temporalem; nam spiritualis et aeternae Poenae longe alia ratio est. Verbi gratia, siquis Culpam admiserit, puta si mendacium dixerit, si amici arcana consilia prodiderit, si proximi famam susurris laeserit, aut aliud simile cui Lege humana nulla sit Poena constituta, non poterit sine injustitia ab homine, neque vero necesse est eum a Deo affici Poena aliqua temporali. Caeterum, ne quis sibi improbus nimis adblandiatur, peccetque ista licentius, quod putet se exsortem fore Poenae temporalis, expedit ei subinde meminisse, obligatum se nihilominus ad Poenam multo graviolem, spiritualem scilicet, et aeternam. Quae utraque Poena cum omni Culpa ita necessario et reciproce conjuncta est, ut et Poena semper supponat antecedentem Culpam, Deus enim neminem punit immeritum; et Culpam necessario tandem consequatur, nisi succurrat Dei clementia, Culpam remittentis in Christo, per fidem et poenitentiam, commerita Poena.

§§. 15, 16. 15. His ita praemissis, ut Dubio proposito respondeatur, pono aliquot Conclusiones. CONCLUSIO PRIMA. Quatenus Lex Poenalis obliget subditum in Conscientia, ex mente et intentione Legislatoris, si de ea certi aliquid constet, imprimis judicandum est. Hoc est, si certo constet Legislatorem intendisse obligare subditos ad Culpam etiam, et non solum ad Poenam, certum est eos obligari ad observandum id quod Lege praecipitur, nec satisfacere officio, si parati sint Poenam Lege constitutam subire. Quod si manifestum sit eum non intendisse

CONCLUSIO
PRIMA.
Lex Poenalis in tantum obligat, in quantum Legislator intendit obligare.

obligare nisi ad Poenam tantum, subditos etiam certum est ultra Poenam non obligari. Ratio est, quia fundamentum Obligationis Legum, ut alias ostendimus,* est Legislatoris potestatem habentis voluntas sufficienter manifestata. Ergo ubi voluntas Legislatoris, quae est adaequata mensura ejus Obligationis quam Lex inducit, manifesta est, de Obligationis mensura non est quod ulterius ambigatur.

16. Quaeres fortasse, quae Certitudo sufficiat ad hoc, ut subditus aliquis possit esse securus in Conscientia, sibi satis constare quae fuerit mens et intentio Legislatoris? Respondeo, frustra exspectari in Moralibus, propter infinitam circumstantiarum varietatem et incertitudinem rerum humanarum, Certitudinem quam vocant Mathematicam, quae demonstratione constat, et cui impossibile est subesse falsum. Haberi tamen potest de Legislatoris intentione plerumque Certitudo quaedam Logica, quae scilicet colligitur ex ipsis Legis verbis, e quibus ita perspicue claret quandoque ipsius intentio ut non sit opus ulteriore evidetia. Elucescit autem mens Legislatoris, partim ex forma et modo praecipendi, partim ex Poenae appositae gravitate; sed praecipue ex prooemio ipsius Legis, in quo, ut acceptior sit populo Lex, solet Legislator consilii sui de ea Lege ferenda causas et rationes exponere, quam sit Lex justa, quam fuerit tollendis incommodis et abusibus necessaria, quam futura sit Reipublicae utilis. Ex quibus omnibus debite expensis, una cum circumstantiarum etiam justa collatione, non erit difficile ut plurimum viro probo et prudenti intentionem Legislatoris perdiscere, et habere de ea Certitudinem sufficientem, id est, Moralem, (in Moralibus enim sufficit Certitudo Moralis,) ita ut possit concludere Legislatorem hoc vel diversum indubie intendisse. Quod si subditus non sit tanti acuminis vel judicii ut omnia possit rationum ex utraque parte momenta rite expendere, aut si vereatur, quum sit unusquisque in causa propria parum idoneus iudex, ne in sui ipsius gratiam, Legislatoris mentem favorabilius interpretetur quam oporteret, consultissimum erit subdito in utroque casu, si negotium sit tanti, hoc est, si futurum sit ei valde incommodum et onerosum id observare quod Lege praeceptum est, ad virum aliquem probatae pietatis et peritiae negotium deferre, ei rem totam

§. 16.

* See Praelect. iv. §. 5 : v. §. 5.

nude, simpliciter, et sincere aperire, et in ipsius demum iudicio et sententia acquiescere.

§§. 17, 18.
SECUNDA.
Lex pure
Poenalis
per se et
ordinarie
obligat ad
Poenam
tantum.

17. Sed quia fieri potest, nec raro fit, ut post adhibitam omnem diligentiam de mente Legislatoris ex ipsa Lege nulla habeatur Certitudo, aut non tanta ut in ea tuto acquiescat viri boni Conscientia, quaerendum ulterius est, in tam dubio casu, utram interpretationem magis expediat sequi? benignioremne, quod nonnullis visum, an, ut alii suadent, strictiorem? Dicitur vir magnae inter Canonistas auctoritatis, Martinus Navarrus,* in ea fuisse sententia,† ut putaret nullam Legem Poenalem obligare ad Culpam per se, sed tantum ad Poenam. Alii e diverso docuerunt, omnem Legem Poenalem, nisi de Legislatoris mente constet in contrarium, obligare ad Culpam. Fateor mihi semper suspectas fuisse extremas quasque sententias; et fieri potest, ut quemadmodum illi nimis laxae, sic isti nimium rigide pronunciarint. Ut ergo, in re tam dubia, certi aliquid quod sequamur habeamus, esto haec CONCLUSIO SECUNDA. Lex pure Poenalis per se et ordinarie obligat tantum ad Poenam, non item ad Culpam. Dico, primo, ‘Lex pure Poenalis;’ sive ea categorice enunciatur, sive disjunctive. Dico, secundo, ‘per se,’ quia per accidens, et ex suppositione prioris Obligationis, potest obligare et ad Culpam: quum scilicet Lex Poenalis eo fine lata est, ut metu Poenae subditi cogantur ad officium, ad quod ante obligati erant Lege aliqua priore, Divina, naturali, aut humana. Sic istae Poenales,—‘Qui hominem occiderit, capite plectitor; Qui merces exportat, aut vectigal ante solvito, aut merces amittito,’—obligant ad Culpam, ita ut Conscientiam non liberaverit siquis Poenam subierit, nisi et praeceptioni Legis paruerit. Non tamen per se et virtute propria sic obligant, sed vi Obligationis praecedanae ex anterioris alicujus Legis praeceptione enatae. Obligatus enim erat subditus, dictis Legibus ex hypothesi nostra nondum latis, et Lege Divina, ne perpetraret homicidium, et Lege patria, ad vectigalia imperata solvendum. Dico, tertio, ‘ordinarie:’ quia fieri potest extraordinarie, rerum praesentium statu et conditione sic exigente, ut quod alias liberum esset potuissetque omitti, evadat pro hic et nunc ita factu necessarium, ut peccet et officio suo desit qui idipsum non fecerit. Ordinarie tamen et extra casus

* See Praelect. v. §. 6.

tom. iii. p. 200. Lugd. 1597. Com-

† Enchiridion, cap. 23. §. 48. sq.

pare Section 24 below.

ejusmodi singulares, qui paratus est Poenam Legi appositam subire, Lege illa, si sit pure Poenalis, non ultra tenetur.

18. Ratio totius Conclusionis est, quia Legislator non obligat nisi praeциendo : proinde simplex ordinatio, quae nihil praeциpit, non magis ex se obligat quam amici consilium aut viri gravis adhortatio. Ut enim qui dat alteri consilium, aut eum hortatur ut hoc vel illud faciat, declarat quid ab eo cupiat fieri, non tamen eum ut id faciat obligat, sed nec obligare intendit, haud aliter Legislator ea Lege, qua nihil subdito praeциpit, sed tantum ostendit quid ab eo sub propositae Poenae conditione fieri velit, praesumendus est non habuisse voluntatem eum ulterius obligandi quam ad propositam Poenam. Quia si intentionem habuisset obligandi et ad Culpam, facillimum ei fuisset, addita duntaxat praeceptione, suam illam intentionem significare. Ergo quum nec simplex et nuda ordinatio ex se obliget ad Culpam, nec possit additio Poenae temporalis ex se obligare nisi ad Poenam temporalem subeundam, manifestum est Legem pure Poenalem, quae praeter ista duo, simplicem dico ordinationem et adjectam Poenam temporalem, nihil in se continet, quorum neutrum est obligatorium ad Culpam, non posse ex se ad Culpam, sed ad Poenam tantum obligare. Et est simile de Legibus quas vocant Conventionalibus : quo exemplo libentius utor, quod Conclusionem nostram non confirmet modo, sed et egregie illustret. Cui etiam addi possit Testatoris Voluntas, et alia nonnulla, quorum est, quod ad obligandi vim saltem attinet, ratio omnino consimilis. Incolae alicujus villae, qui condendi Leges proprie dictas potestate carent, in Curia Domini Manerii, sic enim ex usu forensi loquendum est, aut alias extra Curiam, de rebus quibusdam ad pacem et justitiam inter vicinos conservandam conducentibus inter sese paciscuntur, muleta etiam pecuniaria nomine Poenae iis constituta, qui sic inita pacta violaverint. Cujusmodi conventiones nostratibus vernaculo sermone *By Laws* dicuntur, hoc est, Incolarum leges ; (*By* etenim prisca Saxonum lingua habitationem significare notant Antiquariae rei peritiores viri docti :^d) nos cum aliis, docendi causa, Leges Conventionales dicemus. Etsi enim Pacta sint solum et Conventiones inter privatas personas, et

§. 18.

^d Camden. in Britannia, p. 408. unde tot loci et alibi in Anglia, et [Lond. 1607. *Bye* enim habitatio, et praecipue in hoc comitatu [Lincoln.] *Byan* habitare Saxonice significat, in *Bye* terminantur.]

non Leges, si quidem proprie loqui velimus, ob defectum publicae auctoritatis, Leges tamen dici solent propter *ἀναλογίαν* illam quam habent cum proprie dictis Legibus, quantum ad duos illos saepe dictos Legum effectus, dirigendi scilicet et obligandi. Nam sicut Leges subditos, sic istae Conventiones personas consentientes, et dirigunt in agendo, et obligant ad officium. Certum est autem in istiusmodi Conventionibus, personas contrahentes non intendisse se mutuo obligare ad Culpam, sed ad Poenam tantum. Exempli gratia, ‘Paciscuntur inter se incolae alicujus villae, singulos patresfamilias mense Maio quotannis triduanam operam reficiendis viis publicis personaliter collocaturos: qui non fecerint, (supponamus autem singulas diurnas operas decem denariis aestimari,) viginti denariorum mulctaluturos.’ Hac Lege Conventionali certum est personas contrahentes illud imprimis intendisse, ut viae publicae quotannis reficerentur; quin et illud insuper voluisse ut unusquisque paterfamilias personalem operam in rem tam utilem conferrent; aliter enim dupli mulctam secus facientibus non constituissent. Caeterum non minus ex altera parte certum est, eos non intendisse se mutuo ulterius obligare quam ad mulctam solvendam; sicut ipsorum aut per alia negotia non liceret, aut quacunque alia de causa non liberet, personalem suam operam praestare. Sic in re testamentaria, nam et Testamentum instar Legis est,^e Exsecutorem et Legatarios dirigendo pariter et obligando,^f ‘Caius vult ut Caia uxor quoad vidua remanserit aedes cum fundo vicino quas a Titio emit retineat; si alteri nupserit, eas amittat.’ Constat id voluisse Caium, ut uxor vidua remaneret, nec alteri nuberet; ea enim intentione conditionem illam apposuit, ut uxorem tanti damni metu a secundis nuptiis arceret. Nec tamen apponendo talem conditionem intendit, immo ne potuit quidem intendere, uxorem obligare ad Culpam, ita ut peccaret si alteri nuberet.

§§. 19–23.
Solvuntur
Objectio-
nes,

19. Ast, inquit, ad Culpam et Pacta obligant, et Testamenta obligant. Nam et is peccat qui Pactum conventum non servat, et peccat Legatarius, si aliter fecerit quam Testamento cautum est. Respondeo, longe aliud esse, si quis Conventa, Testamentum, aut Leges violet, aliud si quis contra ejus quicum

^e Imperia mortuorum, Seneca, testamento relinquitur. Ulpian. Instit. cap. 26.
[Excerpt.] Controv. iii. 9.

^f Legatum est, quod Legis modo

contraxit, Testatoris, aut Legislatoris voluntatem fecerit sub conditione latam vel prolatam. Quid intersit, quae ante ad-duximus exempla optime docebunt. In Legem illam Conventionalem, de triduana opera praestanda sub mulcta pecuniaria, non continuo peccat qui operam non confert, nisi et mulctam solvere recuset; stat enim Pactis si alterutrum fecerit, idque secundum intentionem paciscentium, qui intendebant ad illam operam praestandam se mutuo obligare quidem, non tamen simpliciter et absolute, sed sub conditione praedicta. Sic et in Lege illa Testamentaria, Caia, si Caio defuncto alteri nubat, non peccat nubendo, etsi certum sit maluisse Testatorem, proinde et voluisse, nam 'qui mavult vult,'* ne id fieret: peccaret tamen proculdubio, si alteri jam nupta, legatas testamento sub ea conditione aedes cum fundo sibi retineret nec haeredi restitueret. Ratio utriusque exempli eadem est, scilicet quia Obligatio utrobique non fuit pura, simplex, et absoluta, sed conditionalis tantum Obligatio. Conditio autem semper et ex sui natura suspendit Obligationem, ita ut, conditione praestita, ipso facto, quasi jam soluto vinculo, cadat Obligatio. In Legibus item pure Poenalibus eodem omnino modo se res habet, quantum ad obligandi modum et mensuram: quod facile intelligent, quibus ista inter se conferre vacat et libet, ut non sit nobis opus his explicandis diutius immorari.

20. Sed instabit adhuc fortassis quispiam, primo, non posse quenquam obligari ad Poenam, quin obligetur etiam ad Culpam, quia non potest juste alicui Poena irrogari, nisi propter antecedentem Culpam, juxta illud Augustini, 'Omnis Poena, si justa est, peccati Poena est.'[§] Secundo, de ratione Legis esse, ut aliquid praecipiat: ergo Legem illam, quam dicimus pure Poenalem, aut non habere rationem Legis, si nihil praecipiat, aut si contineat in se saltem implicite aliquam praeceptionem, obligare et ad Culpam: quum sit Culpa nihil aliud quam justae praeceptionis transgressio sive violatio.

§. 20.

21. Ad prius objectum varie responderi potest. Vere enim dici potest, primo, Poenam quidem aeternam, in quantum perfectam habet Poenae rationem, nec potest aliter considerari nisi sub ratione Poenae, propterea necessario supponere Culpam

§. 21.

* Quoted in Sermon xvi. ad Aulam, §. 20.

§ August. *Retract.* I. ix. 5. [tom. i. 14 E. ed. Ben. Paris. 1679.]

aliquam antecedentem quae eam promerita sit, et propter quam, sine ullo alio respectu, qui Culpae reus est ea Poena afficitur; at Poenae spiritualis, tum etiam multo magis Poenae temporalis, non esse eandem per omnia rationem. Etsi enim supponat utraque, quatenus Poena est, antecedentem aliquam Culpam tali Poena dignam, (alias utique non esset justa,) quia tamen potest utraque aliter considerari quam sub ratione Poenae, per respectum scilicet ad finem a puniente intentam, hoc est, quatenus ordinatur non tam ad vindicandam Culpam praeteritam quam ad impediendam Culpam futuram, inde fit, ut nec Deus quum hominem Poena sive spirituali sive temporali affligit, nec homo quum hominem Poena temporali afficit, semper eorum peccata aut culpas respiciant, sed habeant saepissime propositos sibi alios fines. Quo pertinet responsum illud Domini nostri Jesu Christi discipulis interrogantibus de homine caeco nato, suane an paterna culpa id ei accidisset, *ut caecus nasceretur*, Joh. ix. 3. *Nec iste peccavit, inquit, nec parentes ejus, scilicet, ut caecus nasceretur; sed ut opera Dei manifestentur in eo*, hoc factum est. Ratio est, quia in Moralibus, eorum quae fiunt aestimatio, itemque et denominatio, a Causa Finali potius sumi debet quam a Causa Efficiente meritoria.

§. 22. 22. Deinde, secundo, dici potest, Poenae temporalis relationem ad Culpam in ea duntaxat Poena proprie spectari, quae Culpae relative opponitur: non item in ea quae Culpae contrarie tantum opponitur, quae est laxior ejus vocis significatio et minus propria. Hanc distinctionem ante explicuimus in secundo hujus Dubii praecognito,* nec opus est multis repetere. Suffecerit meminisse Poenam Legi pure Poenali appositam non stricte et proprie, sed improprie et late Poenam dici, prout significat alterum mali genus a malo Culpae diversum. Quale genus Poena potest sine injustitia legali alicui inferri propter finem utilem, ut, verbi gratia, ad vitandum aliquod incommodum publicum, citra peccatum personae patientis. Sic enim accepta Poenae appellatio, omnia infortunia, damna, adversa, aut quidquid homini accidit quod mallet non evenisse, complexu suo continet.

§. 23. 23. Ista si cui vestrum minus satisfecerint, nec ego sane

* See above, §. 11.

multum contendero; ast illud saltem imprimis dignum est observatu, quod, tertio loco, nunc subjicio, quum et totam hanc exhauriat dubitationem, et alteri simul Objectioni aptissime occurrat. Nimirum Legem Poenalem qualis nunc sub incude est, quum utrumque intendat, et obligare subditum scilicet et tamen non nisi conditionaliter obligare, dupliciter posse considerari, vel tripliciter potius. Primo, praecise, quantum ad id ad quod sub tali conditione praestandum intendit obligare. Secundo, quantum ad conditionem illam praecise, sub qua intendit obligare; quorum illud Legis ordinationem, haec appositam ei Poenam continet. Tertio, quoad totum aggregatum, hoc est, Legem ipsam totam, quae ex utriusque complexione consistit, simul sumptam. Hac posita distinctione, dico, primo, Legis partem illam quae conditionem sive Poenam tantum continet, per se non obligare ad Culpam; ‘nuda’ enim ‘conditio nihil ponit in esse,’ ut omnes concedunt, et est ex se manifestum. Non ergo peccat, immo officio suo optime defungitur, qui Legis Poenam vitat, modo id quod Lex ordinat praestiterit. Dico, secundo, nec illam Legis partem quae ordinationem continet per se obligare ad Culpam. Quia nulla Lex obligat ultra intentionem Legislatoris. Legislatorem autem non intendisse ea Legis parte per se obligare subditum ad Culpam certum est; tum enim intendisset eum simpliciter obligasse, quia illa pars per se et praecise sumpta nullam continet in se conditionem; at ex addita in altera parte Legis conditione patet eum non intendisse simpliciter obligare ad id praestandum quod Lex ordinat, sed sub conditione in Lege expressa. Dico tamen, tertio, Legem Poenalem, integre et conjunctim sumptam, obligare et ad Culpam. Hoc sensu, ut nimirum Culpae reus sit et peccet contra Legem, qui quum alterutram ejus partem praestare debeat neutram praestat.* Sicut enim apud Dialecticos veritas Propositionis disjunctivae pendet ex veritate unius alicujus partis, ita ut tota vera sit cujus altera pars est vera, falsa autem non sit nisi utraque pars sit falsa, sic in Moralibus, Legem disjunctivam (omnis autem Lex pure Poenalis disjunctiva est, aut formaliter, aut aequivalenter,) Legem, inquam, disjunctivam observat, qui facit e duobus propositis alterutrum: non violat nisi qui utrumque negligit.

* See above, §. 19.

§. 24.
CONCLUSIO
TERTIA.
Lex Poena-
lis mixta
obligat et
ad Culpam.

24. His satis, ut opinor, explicatis, quae de Legis pure Poenalis Obligatione dicenda videbantur, ad Legem Poenalem mixtam transeamus. De qua sit TERTIA nostra CONCLUSIO, Lex poenalis mixta, quae scilicet aperte aliquid praecipit observari, et quo diligentius observetur quod praecipitur, Poenam transgressoribus constituit, et ad Culpam obligat et ad Poenam, ita ut nec Legi satisfaciatur, nec Conscientiae suae, qui Poenam sustinet, nisi et illud fecerit quod Lege imperatur. Ad Poenam obligare ejusmodi Legem nemini potest esse dubium : alias quis usus esse posset adjectae Poenae ? Obligare autem et ad Culpam inde patet, quod manifestam continet praeceptionem ; et omnis praeceptio obligat ad Culpam ; siquidem nihil aliud est Culpa quam praecepti alicujus transgressio, ἡ γὰρ ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία, 1 Joh. iii. Nec potest probabiliter dici, quod tamen sensisse videtur Navarrus, Legislatorem apponendo Poenam voluisse significare, se non habuisse intentionem obligandi nisi ad illam appositam Poenam tantum. Animadvertite, quaeso, quam perversum sit Poenae constitutionem, quam certum est eo fine appositam esse praeceptioni, ut ipsa praeceptio ejus Poenae metu sanctius et diligentius observaretur, sic interpretari, ut Praecepti Obligationem invalidet et tollat ? Infinitae sunt per Orbem terrarum, adjectis insuper Poenis, latae in fures, latrones, homicidas, perjuros, aliosque nefarios et sceleratos cives, Leges. Tulit etiam Legem Deus Creator protoplastis hominibus, qua eis esum ligni quod erat in medio Paradisi interdixit, apposita, si comederent, mortis Poena. Gen. ii. Adeone reperiri quemquam sanae mentis inopem, ut existimet obligatum Lege hac Divina Adamum, obligatos Legibus illis humanis alios, ad Poenam tantum, non etiam ad Culpam ? Quis dixerit, ut illas alteras omittam Leges humanas, Lege illa Divina Adamum non fuisse obligatum in Conscientia, ut a fructu vetito abstineret ; sed ad hoc tantum, ut si comederet paratus esset mortis sententiam subire ? Rejecta ergo Navarri sententia,* si ea fuerit ipsius indubie sententia, quod de tanti nominis viro vix crediderim, quae et periculosa est, et ab omnibus fere reprehenditur, dicendum est, Legem Poenalem mixtam, quum et poenalis sit et praeceptiva, obligare et ad Poenam et ad

* See above, §. 17.

Culpam : ad Poenam quatenus poenalis est, et ad Culpam quatenus praeceptiva est.

25. Restat Dubium tertium. An et quatenus teneatur Legis §. 25.
 Poenalis transgressor, ad Poenam Lege constitutam ipso facto Dubium
 subeundam? Festinato opus est, ideoque rem paucis absolvam. Tertium.
 Dico igitur, primo, si Poena Lege constituta ejusmodi sit, ut Quatenus
 non imponat transgressori aliquid ab ipso faciendum vel pati- teneatur
 endum, sed consistat potius in quadam inhabilitate ad facien- Legis trans-
 dum aliquid quod facere esset ipsi commodum, aut in incapa- gressor ad
 citate recipiendi aliquid quod esset ipsi gratum vel utile, teneri Poenam
 Legis violatae reum ipso facto Poenam subire. Multae sunt ipso facto
 Leges quae prohibent transgressores hoc vel illud facere : ut subeun-
 Leges Civiles propter certas causas impediunt translationem dam.
 dominii. Sunt etiam multae Leges quae delinquentes decernunt
 ad aliquod temporis spatium incapaces alicujus muneris vel
 dignitatis : ut si prohiberetur Statuto Academiae perturbator
 pacis, ne liceat ei infra biennium post crimen admissum in
 domo Congregationis Gratiam suam proponere. In his aliisque
 similibus casibus, ubi Poena in sola inhabilitate vel incapacitate
 consistit, quia ad ejusmodi Poenam sustinendam non requiritur
 aliqua personae puniendae cooperatio, sed operandi potius ces-
 satio quaedam, tenetur sine dubio qui Legem violavit, eam
 Poenam, etiam non requisitus, ultro sufferre. Dico, secundo, si
 Poena Lege constituta sit ejusmodi ut ad Legis executionem
 necessario requiratur cooperatio aliqua personae delinquentis,
 hoc est, ut qui puniendus est ipse aliquid faciat, non teneri
 reum ordinarie ad ejusmodi Poenam ipso facto subeundam,
 ante latam a Judice sententiam, sive, quod idem est, priusquam
 a persona legitimam auctoritatem habente ea Poena ab ipso
 exigatur. Tenetur quidem reus Poenas dare; sed si repo-
 scantur : alias non tenetur. Dico, tertio, reum, post latam a
 Judice sententiam, aut a persona legitimam auctoritatem ha-
 bente requisitus, ad Poenam sponte suscipiendam teneri, etiam
 cum aliqua sua cooperatione, si ejusmodi cooperatio non sit
 contra humanitatem, etsi alias fortasse admodum gravis et one-
 rosa. Exempli gratia, si jubeatur Poenae nomine grandem
 pecuniae summam dependere, Regno exire, &c, tenetur reus vi
 Legis id facere. Quod si Poena imposita non grave sit tantum,
 sed aliquid etiam in se contineat quod sit inhumanum, ut si

quis jubeatur se flagellare, dextram sibi praecidere, cicutam bibere, &c, dico, quarto, in ejusmodi casibus teneri quidem reum, ad Poenam eam, quam scivit Lege constitutam, quamque Culpa sua commeruit, passive subeundam; non item obligari ad active cooperandum in eadem. Et haec de Legum promulgandarum necessitate, et de Legum Poenaliū Obligatione, quae ad Legum Causam Formalem aliquo modo pertinere videntur, dicta sunt.

PRAELECTIO NONA.*

DE LEGUM HUMANARUM OBLIGATIONE, EX PARTE CAUSAE FINALIS.

I TIM. II. 2.

Pro Regibus, et pro omnibus qui in sublimitate constituti sunt: ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et honestate.

DE Legum Humanarum Obligatione, quod ad Causas Mate-
rialem, Efficientem, Formalem attinet, prout res tulerat, fusius
alicubi fortassis, alibi contractius, quam par erat, egimus ut-
cunque superioribus Praelectionibus. Superest ut ad ea quae
ad Legum Causam Finale[m] pertinent Dubia pertractanda per-
gamus porro. Sed antequam ad illa Dubia dissolvenda per-
veniam, illud interim praemittendum est, et ut res indubia
supponendum, Legum ultimum finem esse Bonum Communi-
tatis, sive pacem et tranquillitatem publicam. Probatur hoc,
primo, ex istis ipsis Apostoli verbis, *ἡσυχίαν καὶ ἡρεμίαν βίον*
διάγωμεν, ut vitam quietam et tranquillam agamus. Hor-
tatur nimirum hic Apostolus, ut fiant cum privatim, tum vel
maxime in publicis coetibus, sic enim, cum optimis quibusque
Interpretibus, hunc locum intelligendum existimo, *obtestatio-*
nes, preces, postulationes, et gratiarum actiones, ut pro omni-
bus in universum hominibus primo, ex intuitu charitatis, et
in ordine ad finem spirituale[m], felicitatem scilicet aeternam in
vita futura, in quantum sunt omnes homines, aut actu, aut
saltem potestate, membra corporis Christi mystici, ita pro Re-
gibus aliisque suprema potestate praeditis in specie, ex intuitu
etiam prudentiae, et in ordine ad finem temporalem, felicitatem
scilicet externam in vita praesenti, in quantum sunt prae-
cipua membra corporis politici. A quorum potestate, Latina

§. 1.
Finis Le-
gum, Bo-
num Com-
munitatis.

* A Transcript of this Lecture Barlow to Queen's College, fol. 265,
in P. 18, of the MSS. given by Bp. has the date July 2, 1647, prefixed.

Legum et Exsecutiva, prout utramque recte aut secus administraverint, plurimum pendet reliquorum membrorum, adeoque totius corporis, vel felicitas summa vel summa infelicitas. Proinde quum sit Legumlatio, ut jam ante diximus,* Supremae Jurisdictionis Politicae actus praecipuus, qui est supremae illius Jurisdictionis totiusque Politici Regiminis, idem est et Legum ferendarum supremus Finis, bonum scilicet Communitatis. Probatur, secundo, a natura Finis, quasi demonstratione a priori. Is est rei cujusque Finis in suo ordine ultimus, ad quem omnes illius rei actus reducuntur, tanquam ad primum principium sui regulativum, et ad quem referuntur, tanquam ad id cujus gratia ultimate fiunt: unde Causa Finalis Aristoteli fere τὸ οὐδένεκα appellatur. Sed omnes Legum actus a Bono Communi^a regulantur, tanquam a primo suo principio et canone, et ad Bonum Commune referuntur, tanquam ad ultimum id cujus gratia fiunt; ut patet discurrendo per singulos actus: Ergo, &c. Quorsum enim res, aut bonae praecipiantur, aut malae vetantur, aut permittuntur mediae et neutrae? Aut quorsum hominibus, vel de Republica bene meritis praemia decernuntur, vel Legum violatoribus constituta sunt supplicia, vel indiscriminatim utrislibet in judiciis jura dicuntur? quorum sunt illi Legum actus primi, et per modum Formae; isti remotiores, et per modum Effectus. Annon eo demum Fine, ut Respublica in pace et tranquillitate floreat; et ut privati etiam cives publicae felicitatis participio, pro suo cujusque modulo et mensura, gaudeant et fruantur? hoc est, uno verbo, ut Communi Utilitati inserviat. Probatur denique, tertio, a posteriori, ex omnium hominum sensu

Prov. viii.

15.

Ps. xciv. 20.

[Philipp. i. 18.]

consensuque. Nam et qui *justa decernunt* Legumlatores vera videntur, et qui *meditantur malum sicut Legem*, videri tamen cupiunt in ferendis Legibus non tam suam quam Communitatis Utilitatem respexisse. *Εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ*, sive id sincere intendant, sive subdole obtendant, qui Leges alii dicunt, propositum fuisse sibi in ferendis Legibus bonum publicum profiterentur utcumque universi.

§§. 2, 3.

Dubium

Primum.

An sit Legum huma-

2. Hoc ita jacto disputationis fundamento, Legum Finem esse Bonum Communitatis, ad Dubia pergo. Quorum esto primum, An sit Legum humanarum usus aliquis, saltem neces-

* See Praelect. vii. §. 12.

^a Οἱ νομοθέται . . . δίκαιόν φασιν εἶναι τὸ κοινῇ συμφέρον. Aristot. Eth. Nic. viii. 11. [4.]

sarius? Cui nullus foret in hac, Dubiorum dico, classe concedendus locus, nisi hoc nobis facerent negotium Anabaptistarum aliorumque cum ipsis juxta sentientium vesanus error. Ex quorum principiis, quum negent licere viro Christiano Magistratum gerere, bello liteve contendere, jurare aut alteri juramentum deferre, aliaque consimilia, consequi videtur, omnino nullam esse Legum humanarum necessitatem. Nec enim erit, sublata Jurisdictione, qui Leges ferat, nec, sublatis Judiciis, qui reformidet.

Quid tristes querimoniae,
 Si non supplicio culpa reciditur?
 Quid Leges sine moribus
 Vanas proficient?^b

Concidat necesse est Directiva, nisi ei accedat, quae ipsam tibicinis in morem suffulciat, Coactiva Legum vis. Ratio autem dubitandi est, quod sufficere videatur homini Gentili Naturae Lex, quae dicat 'Peccata esse vitanda, Nulli injuriam faciendam,' &c. Aut illa si forte deficit, sit tamen homini Christiano ad manum Lex altera sublimior et perfectior, Lex nempe Fidei, Justitiae, et Charitatis, ab eo quem Jacobus uni-
 S. Jac. iv.
 cum agnoscit Judicem et Legislatorem, Christo Servatore lata.^{12.}
 Premit acriter, ut quidem mihi videtur, isthaec ratio Novatores nostros, e quorum puteis pleraque sua dogmata hauserunt Anabaptistae, dum ex illo Jacobi testimonio colligunt, extra unum Christum nulli hominum fas esse Leges Ecclesiasticas condere. Quum enim nullo modo constare possit, vel ex vi verborum, vel ex totius illius perioches ordine et scopo, Apostolum ibi de Ecclesiasticis rebus Legibusve magis locutum quam de Civilibus, nisi videri malint praejudiciis agi quam ratione duci, e duobus alterutrum faciant oportet, quorum penes ipsos optio esto. Scilicet, aut recta in Anabaptistarum castra concedant, tollantque e rebus humanis omnem omnino Legum, etiam Civilium, ferendarum potestatem, aut Praelatis concedant, ut par est, Legum etiam Ecclesiasticarum ferendarum potestatem.

3. Verum isti fratres nostri, ut abs Anabaptistarum telis se tuituri sint, nostra non multum interest: ipsi viderint. Nos facile respondemus, esse quidem Legem Naturae cordibus in-
 §. 3.

^b Horat. Od. III. xxiv. 33.

scriptam, esse et Legem Christi in Evangelio revelatam, utramque in suo genere perfectissimam, ita tamen ut sua constet Legibus humanis, non solum utilitas permagna, sed et usus etiam necessarius. Quia Leges illae Divinae generalia tantum rerum agendarum principia continent, e quibus, ut ex suis principiis conclusiones, deducendae sunt regulae magis speciales, ad publicarum societatum et singularium hominum mores recte instituendos accommodatae. Neque vero omnino verendum est, ne Legis Divinae perfectioni isto pacto quidquam derogeretur. Non enim id agunt Legum humanarum conditores, ut locupletissimo illi Divinae Legis thesauro aliquid addant divitiarum: immo promunt inde potius eruuntque, quod sibi suisque judicant usui fore et in commune utile. Ergo Leges humanae, si quidem justae sunt, nihil aliud sunt quam Legis Divinae ἀποφύδες quaedam et ἀποσπασμάτια, hoc est, Regularum generalium, quas indeterminatas exhibent Naturae Lex et Sacrae Literae, Determinationes particulares, ad certorum populorum conditionem et utilitatem, pro locorum et temporum ratione, prudenter accommodatae. Exempli gratia. Docet Lex Naturae in genere, nulli faciendam esse injuriam; et qui alteri injuriam fecerit, ad eam compensandam teneri. Ast in specie, utrum is qui per vicinum agrum pecus plaustrumve egerit injuriam vicino fecerit, et quae sit debita pro ea injuria compensatio, non utique ex Naturae Lege, sed ex Civili Jure statuendum est. Et sceleratos esse a Magistratu supplicio afficiendos aperte docet Sacra Scriptura, Rom. xiii. 4, et alibi. Sed quae tandem scelerum genera punire debeat Magistratus, et quo supplicii genere, quave mensura, Lege Dei nullibi definitum est: permissa nempe Principibus et Legislatoribus a Deo potestate, ut pro sua prudentia quod Reipublicae commodum et salutare videbitur ipsi Legibus rite constitutis definiant. Sunt itaque Dei, Legislatoris, et Judicis distincta, et sua cuique propria, jura sive munera, eaque optimo ordine sic disposita, ut Praecepta, quae Deus generalia mandavit et indeterminata, Legislator ad certas personarum et actionum species determinet et accommodet, Judex demum a Legislatore sic Legibus determinata, ad singulares personarum et actionum causas cum effectu applicet. Ita ut, si Legislator Legem constituerit quae Praeceptis Dei non sit congrua, Legem iniquam tulisse; et si Judex in aliqua particulari causa sententiam pro-

tulerit, quae constitutis a Principe Legibus non sit congrua, jus iniquum dixisse censendus sit.

4. Dubium Secundum est, an Legislator teneatur, si possit, omnes omnium Virtutum actus et officia praecipere, et omnia cujuscunque generis Peccata prohibere? Aut si non possit omnia, an saltem teneatur quot possit utriusque generis praecipere et prohibere? Ratio dubitandi est, quia ad proprium Legum Finem, quod est Bonum Commune, nihil videtur esse conducibilius quam ut quantum fieri potest omnes Cives sint boni, nulli autem mali. Ergo Legislatoris est, qui hunc unum sibi Finem propositum habere debet Commune Bonum, procurare quantum in se est, praecipiendo omnes omnium Virtutum actus, ut omnes Cives sint boni, et prohibendo omnia Peccata, ne qui sint mali. Id quod postulare videntur a Magistratu politico uterque magnus Apostolus. Paulus, Rom. xiii. 3, 4, *Fac bonum, et habebis laudem: sin malum feceris, time; quia vindex est in iram τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, ei qui malum fecerit*, i. e. cuivis homini qui quodvis malum fecerit. Et Petrus, 1 Pet. ii. 14, *εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν, in vindictam male agentium, et laudem bene agentium*, id est omnium male agentium, et omnium bene agentium. Utrobique enim indefinite enunciatum aequipollere Universali, et Regulae Dialecticorum consonum est, in Materia scilicet necessaria, et Voluntati Dei qui Magistratui *προσωποληψίαν* interdixit.

5. Pro responsione dico, primo et generaliter, Legislatorem teneri pro virili sua parte procurare ut omnes Cives sint boni, nulli autem mali, et per consequens praecipere omnes Virtutum actus, et omnia Peccata prohibere, quantum exigit ratio Principii ex quo, et Finis propter quem operatur; ulterius vero non teneri. Principium enim et Finis, in operationibus omnium sive naturaliter sive libere agentium, adaequata sunt mensura Actuum omnium intermediorum, in quantum Actus illos conformes esse decet et proportionatos, quum Principio a quo procedunt tum Fini in quem tendunt. Actus igitur praecipendi, prohibendi, caeterique, in quibus consistit Legumlativae Jurisdictionis exercitium, proportionati sint oportet et Principio suo, in cujus virtute fiunt, potestati, scilicet *ὑπερεχούσαις ἐξουσίαις*, a Deo concessae, et Fini suo in cujus gratiam fiunt, Bono scilicet Communi. Debet proinde Legislator ea-

§§. 4-8.
Dubium
Secundum.
An Legis-
latoris sit,
omnia
omnium
Virtutum
actus prae-
cipere, et
omnia Pec-
cata prohi-
bere?

§. 5.

tenus praecipere, prohibere, permittere, caeteraque quae sui sunt muneris praestare, quatenus convenit potestati sibi a Deo concessae, et commissae sibi a Deo Communitati expedit.

- §. 6. 6. Sed generalia haec sunt, et indefinita. Ut igitur Dubio proposito satisfiat, addatur aliquid oportet quod sit magis particulare, quod huic tamen generali velut fundamento nitatur. Dico itaque, secundo, Actus virtutum et vitiorum, quum sint alii Interni, cujus generis sunt Actus voluntatis elicit, velle, et nolle, motus affectuum, ut amare, odisse, dolere, &c, et si quae sint aliae cogitationes et intentiones cordium et mentis; alii Externi, cujusmodi sunt omnes Actus voluntatis imperati, et indeliberati affectuum motus, qui per organa corporea exercentur, ut videre, loqui, ferire, rapere, aliique innumeri, Potestatem Legislativam circa Actus externos versari solum, non item internos. Potest ergo Legislator praecipere solutionem debiti, restitutionem furti, Cultum Dei externum; prohibere item furtum, adulterium, homicidium, blasphemiam, &c. At non potest praecipere dilectionem proximi, fiduciam in Deo, contemptum mundi, nec prohibere cupiditatem rei alienae, impudicas cogitationes, odium proximi, Atheismum cordis. Ratio est, quia statuere de Actibus internis, nec Principio ex quo, nec Fini propter quem operatur Legislator, proportionatum est. Deus enim Optimus Maximus externi tantum hominis regimen Magistratui permisit, internorum Actuum cognitionem et iudicium, cordiumque inspectionem et dominium, uni sibi reservavit. Idem enim est Legislator et Judex, ut ex laudato nobis aliquoties Jacobi testimonio ante ostendimus; et omnino inefficax esset ad intentum Finem suum consequendum Legumlativa Potestas, si directiva tantum esset, non item coactiva. Quum ergo non possit imprimis forum externum de Actibus internis cognoscere et iudicare, et stultum esset, secundo, id Lege lata praecipere vel prohibere, quod, ubi peccatum fuerit, punire nequeas, et Actuum denique bonorum externa operatio, malorum externa declinatio, sufficiat ad externam Reipublicae felicitatem, sequitur Legumlatorem nec prudenter posse nec de jure debere internos Actus aut virtutum praecipere, aut vitiorum prohibere. Quo nomine, ut et aliis plurimis, infinities superat Leges humanas vel praestantissimas Lex Dei et Christi, quae veritatem, puritatem, et sinceritatem exigit in intimis praecordiis, et primos levissimosque pravae

voluntatis inordinatos motus cohibet prohibetque, et meditata scelera tam punit quam perpetrata. Ideo Davidi dicitur *Dei lex perfecta, et immaculata*, Ps. xix, et alibi non semel.* Estque Lex ipsa Christi, qualis et ipse ejus Lator describitur,† Heb. iv, *Sermo vivus et efficax, penetrantior omni gladio accipiti, pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

7. Dico, tertio, posse Leges humanas de jure praecipere omnes omnium virtutum actus externos, et externa omnia peccati opera prohibere, sed de facto non posse. Ratio prioris membri est, quia nullus est virtutis vitioive Actus externus de tota sua specie et natura ita comparatus ut non possit quandoque ejus praeceptio vel prohibitio esse, pro rerum et temporum conditione, ordinabilis in bonum publicum. Ergo non justitiae proprie dictae solum, quae nonnullorum sententia est, sed et caeterarum virtutum quarumcunque Actus, possunt esse debita Legis materia sive objectum. Quod et Aristotelem alicubi observasse memini;‡ et instantias etiam, si recte memini, dare in actibus Fortitudinis et Temperantiae. Ut si Lege militari sanciat, ne quis militum audeat in praelio fugere aut arma abjicere; vel si Lege sumptuaria cohibeatur convivorum luxus; aut modus statuatur quem nemini civium in vestitu, famulatu, supellectili excedere liceat. Ratio posterioris membri est, quia tanta varietas est, etiam quoad ipsas species, multo etiam magis quoad gradus, tum officiorum virtutis, tum operum peccati, ut, si de singulis cavere Legislatores curarent, ipsa Legum multitudo gravamen esset Reipublicae non ferendum.

8. Dico, quarto, Legislatorem ne ad illud quidem teneri, ut omnia quae potest mala prohibeat vel bona praecipiat. Sufficit enim utriusque generis graviora quaeque Legibus contineri, et quae sunt cum insigni aliqua utilitate publica ita conjuncta ut, nisi de eis aliquid statueretur, sequi necesse esset grave aliquod malum quod toti communitati esset valde incommodum. Neque enim inter cupiditates carnis, illecebras mundi, Satanae praestigias, ingenia hominum tam varia et omnigenum vitio-

* Compare Praelect. ii. §. 12; and Praelect. v. §. 26.

† Compare Serm. i. ad Pop. §. 17.

‡ Ethic. Nic. v. i. 14.

rum feracia, Rempublicam Platoniam vel Utopiam* somniare fas est. Praeclare nobiscum agi putandum est, si non haereamus in ultima, ut dici solet 'faece Romuli.'† Necesse est itaque in omni Republica aliqua mala non prohiberi sed tolerari, multa bona non praecipere sed cujusque arbitrio permitti, utriusque generis plurima Legibus praeteriri et in medio relinqui, ne ex unius mali succidendi intempestivo studio, succrescant fortasse alia mala plura aut majora.

§§. 9-11.
Dubium
Tertium.
Intentio
Legislatoris
quanti sit
ad effectum
obligandi?

9. Dubium tertium, de Intentione Legislatoris, An et quatenus requiratur ad effectum obligandi? Quod est quaerere, si Princeps nullo justitiae aut publici boni intuitu, sed odio aut gratia privata, sed ambitione et mera dominandi libidine, sed avaritia aliave prava impotentis animi cupiditate ductus, Legem tulerit subditis,—an illi ad parendum Legi obligentur in Conscientia? Facilis Responsio, obligari, si non sit aliud impedimentum, id est, si qui Legem tulit habuerit legitimam potestatem, et Lex ipsa sit alias justa, pro more gentis legitime rogata, et sufficienter promulgata. Dico igitur, primo, sicut in artificialibus non est semper idem finis operis et operantis, ut in domo aedificanda finis operis, id est domus, est ut sit commoda domino habitatio, finis operantis, id est Architecti, est, ut ipse ex labore lucrum percipiat, ita in Republica fieri posse ut Legislator intendat commodum proprium, et ipsa tamen Lex tendat in Bonum Commune.

§. 10. 10. Objicies fortasse, finem sive intentionem minus rectam semper vitare opus: ergo et Legislatoris pravam intentionem vitare Legem, quod est ipsius opus. Ut huic Objectioni occurratur, dico, secundo, intentionem malam semper vitare opus, prout opus dicit actionem operantis: non semper vitare opus,

* In the King's Answer to the xix Propositions of both Houses of Parliament, was this passage 'only perhaps because they follow their Conscience, and preserve the established Laws, and agree not in such Votes, or assent not to such Bills as some persons who have now too great an influence even upon both Houses judge or seem to judge to be for the public good, and as are agreeable to their new Utopia of Religion and Government into which they endeavour to transform

this Kingdom.' p. 8. 4^o. Lond. 1642. The particular expression was quoted in a Pamphlet, What kind of Parliament will please the King, and how well he is affected to this present Parliament, Gathered out of his own Paper by A. J. B. p. 4. 4^o. Lond. 1642. 'They endeavour to transform this Kingdom into a new Utopia of Religion and Government.'

† Cicero ad Atticum, ii. 1. Compare Sermon i. ad Magistr. §. 24.

prout opus dicit effectum operationis. Differunt enim non parum duo ista inter se, etsi eodem operis nomine utrumque soleat appellari, Actio scilicet ipsa, et Actionis ἀποτέλεσμα, prorsus ut ποίησις et ποίημα, effectio et effectus. Architecti opus dicitur et ipsa aedificatio domus et ipsa domus aedificata, etsi sit illa actio transiens, haec autem res post finitam actionem permanens. Intentio ergo prava vitiat opus Legislatoris, id est, suam ipsius Legem condentis actionem, quae ob defectum boni finis non caret peccato: non tamen vitiat opus Legislatoris, id est, Legem ipsam ab eo conditam, si quod Lege imperatur sit referibile in Bonum Commune. Sicut valida est, non obstante prava Judicis intentione, sententia ex gratia vel odio lata, modo sit ipsa sententia per se considerata non injusta. Potest enim, ut recte Augustinus, ex libidine imperanti sine libidine obtemperari.*

11. Dico, tertio, supposito quod Lex non mala tantum intentione lata, sed et publico inutilis, immo et aliquantulum noxia sit, obligari tamen subditum ad parendum Legi justa auctoritate latae, modo sit ipsa materia Legis, sive res imperata, istiusmodi, ut possit sine peccato praestari. Ratio est, quia debet unusquisque quae suarum sunt partium ea sedulo curare, in eis quae alienarum sunt non esse anxie et religiose sollicitus. *Unusquisque enim suum portabit onus.* Si Legislator officio suo defuerit, quid ad te? *Tolle quod tuum est, et vade.* De intentione sua, rectane fuerit an secus, viderit ipse, qui omnium actionum, etiam et intentionum suarum redditurus est Domino suo rationem. Tu videris, nisi parueris, ut sis eidem Domino inobedientiae tuae rationem redditurus.

12. Dubium quartum, de Legum mutatione, si videantur Reipublicae inutilis aut noxiae, An et quatenus earum mutatio sit vel a Principe tentanda, vel a Populo postulanda et urgenda? Ratio dubitandi est, ex una parte, quia in corpore civili haud minus quam in naturali, omnis mutatio, praesertim si aut subita sit aut magna, periculosa est: ex altera parte, quia Reipublicae interest ut Leges sint moribus et temporibus accommodae, hisce proinde mutatis ut et illae mutantur. Pro responsione dico, primo, certum esse Leges mutari posse, in-

§. 11.

Gal. vi. 5.

De S. Matt. xx.

14

§§. 12-14.

Dubium

Quartum.

De Legum

Immutatione.

* De Libero Arbitrio, i. 5. Opp. i. col. 574 A. ed. Ben. Paris. 1679.

κόν. Aristot. Phys. text. 128. [Nat. Auscult. iv. 13. 7.]

^c Μεταβολή πᾶσα φύσει ἐκστατι-

terdum et debere. Nam et antehac immutatae sunt cum magna utilitate publica: ergo et nunc immutari possunt, et posthac poterunt, si res postulet, et ex usu sit Reipublicae id fieri. Quod enim olim licuit, cur non et olim licebit? Novi ad haec subinde emergunt casus, nova succrescunt indies mala, nova incommoda, quibus nisi novis occurratur Legibus, nullum erit remedium. Et quaerunt omnes, inquit Aristoteles, *οὐ τὸ πάτριον, ἀλλὰ τὰγαθόν.*^d Et si Legem olim propterea ferri expedit, quod tunc visa est Reipublicae utilis, postquam ex mutata temporum et morum conditione comperta est Reipublicae inutilis, cur non expedit eam nunc tolli?

§. 13.

13. Dico, secundo, Legum etiam particularium immutationem non carere periculo, ideoque non esse nisi ex gravi admodum et evidenti necessitate tentandam. Varias rationes adducit Aristoteles, acute et breviter, ut solet, Polit. ii. 8. 24. (apud eum videte,) in his, tres praecipuas hasce. Primo, *ἀσθενῆ ποιεῖ τὴν δύναμιν.* Derogant nimirum plurimum et Legum auctoritati et Latoris crebrae mutationes. Sicut levem et infirmi hominem iudicii existimamus eum, qui nulla solida et evidenti ratione permotus facile mutat sententiam. Secundo, *τὸ ἐθίζειν εὐχερῶς λύει τοὺς νόμους, φαῦλον.** Aristotelem iterum auditis. Petacem facit populum, ne dicam petulantem, (res ipsa clamat, experti sumus nimirum jamdiu,) et cuncta moventem, si Legislatorem facilem hac ex parte, et ad vota libidinemque Populi jure suo cedentem repererint. Reprehendit igitur jure merito et graviter ibidem summus Philosophus Legem Hippodami cujusdam Milesii Legislatoris, *εὐόφθαλμον* † illam quidem, primo aspectu speciosam satis, et plausibilem vulgo, ut ‘qui aliquid utile civitati invenirent, publico praemio afficerentur;’ sed, si penitius intueare, nec prudentem omnino nec salutarem. Quid enim fere excogitari potest ad publicas res turbandas opportunius quam quod proposito praemio invitentur homines factiosi, vafri et turbulenti ingenii, *εισηγέσθαι νόμων λύσειν ἢ πολιτείας, ὡς κοινὸν ἀγαθόν,* ‡ ut sub specie Boni Publici, non eversionem modo Legum inducere, sed et totius civilis administrationis formam, sub incudem revocatam, et in novam ideam pro suo lubitu refictam, civitati obtrudere studeant. Philosophumne obsecro videmini vobis audire suis temporibus illustrem, an

^d Aristot. Polit. ii. 8. [21.]

* Polit. ii. 8. 23.

† ii. 8. 16.

‡ ii. 8. 17.

Vatem potius, eorum qui nunc sunt morum hominumque praesicium ac praenuncium? Tertio, quum Legum immutatio tollendi praesentis alicujus incommodi gratia instituat, et fieri possit ut ex ista immutatione suboriantur, immo vix fieri possit ut non suboriantur, et emergant tandem, utut fortassis occulta initio, plura et graviora incommoda, *ἑατέον ἐν τῆς ἀμαρτίας*, inquit idem gravissimus Philosophus.* Omnino satius esse judicans, aliqua incommoda eaque non levia in Republica tolerare et perferre, quod idem et de Ecclesia, quae et ipsa Respublica quaedam est, statuendum est, quam obtentu Reformationis sive Ecclesiasticae sive Politicae, vetera instituta sollicitare, Leges refigere, τὰ ἄνω κάτω sursum vorsum omnia versare, et versando pervertere. Longe alia mens fuit prisca saeculi prudentium virorum, quorum haec et hujusmodi fuisse dictata accepimus. Ἀρχαία ἦθη κρατεῖτω.† ‘Malum bene positum non movendum.’‡ ‘Imperiti medici est, pejus malo remedium adhibere.’

14. Dico, tertio, Legum immutationem, etiamsi ex gravi et evidente causa videatur esse necessaria, non esse tamen a Populo, invito Principe, tentandam, sed ab eo modeste petendam et patienter exspectandam. Quod ut ex capitis et membrorum analogia colligi potest, quam enim et monstri simile esset, et toti corpori exitiale, si brachia, pectus, pedes capitis sibi vel locum arriperent, vel officium? sic est in iis, quae de Causa Legum Efficienti haud ita pridem disseruimus, cumulate satis demonstratum. Nimirum civilis Jurisdictionis actum praecipuum non posse exerceri nisi ab eo qui totius Communitatis caput et Princeps est: Legum proinde constitutionem, abrogationem, et quaecumque immutationem, quae sunt omnes summae Jurisdictionis actus e praecipuis, non posse ad Populum pertinere, nisi ubi Populus Princeps est, ut in statu Democratico, sed ad eum solum qui toti Communitati cum summo imperio praeest, hoc est, in statu saltem Monarchico, ad unum regem ἀποκράτορα§ et simpliciter ὑπερέχοντα. In tam gravi negotio hae sunt Populi partes, justa gravamina

§. 14.

^e [. . . ne videamur jactantiae magis causa facere, quam misericordiae, et] graviora inferre vulnera, dum minoribus mederi desideramus. Ambros. Offic. [ii. 21.]

* Aristotle, ubi supra.

† Concil. Nicaen. Canon. vi.

‡ Μη κινεῖν κακὸν εἰς κείμενον. ap. Gaisford. Paroemiogr. 78, 206.

§ Compare Praelect. vii. §. 5.

sua, si qua sunt, aperte et sincere, sed cum omni debita reverentia, Principi exhibere; quibus remediis praesentibus malis commodissime occurri posse censeant fideliter proponere; supplices rogare, ut votis subditorum, prout ipse ea Reipublicae salutaria et in commune utilia judicaverit, annuere dignetur, et eorum postulata grata rataque habere: is denique si rogatus usque recusaverit, abstinere in id tempus a proposito, rebusque et Legibus praesentibus contentos esse, idque sine omni obmurmuratione, nedum vi, quoad is, aut amicorum precibus et hortatibus permotus, aut rationum momentis perductus, animi pertinaciam illam remiserit, et subditorum postulatibus annuerit.

§. 15.
Dubium
Quintum.
De totius
Regiminis
Politici
forma im-
mutanda.

15. Dubium Quintum. Quandoquidem non Legum modo, sed et totius Politici Regiminis finis est Bonum Commune, An liceat, ex aliquo Boni Communis sive obtentu sive intuitu, praesentem Regiminis formam immutare, aut ejusmodi immutationem attentare? et quatenus id liceat, et quibus? Exempli gratia, liceatne Populo Regimen Monarchicum mutare in Aristocraticum, vel Democraticum, aut e contra? Dubium 'periculosae plenum aleae,' his praesertim temporibus et moribus. Esto ergo hic suum cuique liberum iudicium. Ego quid mihi sentiendum videtur sine fuco exponam, assentiendi nulli legem impono. Suppono tantum quod a plerisque conceditur, nec facile negari potest, Monarchiam haereditariam sive Regnum successivum inter omnes Rerumpublicarum formas esse ἀπλῶς et absolute praestantissimam, et duabus reliquis multis nominibus anteponendam. Hoc posito, existimo, primum, posse Populum, si ipsis visum fuerit, Regimen Democraticum in Aristocraticum vel Monarchicum commutare. Imprimis, quia videtur esse commutatio in melius. Accedit quod in Democratia summa Imperii est penes ipsum Populum, ita ut possit Populus de se prout sibi libitum est pro suo jure statuere, dummodo nulli fiat injuria. Injuriam denique a Populo istiusmodi Imperii immutatione nulli mortalium fieri, certissima res est: non alteri cuiquam, quia jus non habenti non fit injuria; nec ipsis sponte mutantibus, quia volenti non fit injuria.^f Existimo, secundo, ob omnes easdem rationes, posse Optimates Regimen Aristocraticum in Monarchiam commutare; nam et mutatio est in melius, et ipsi jus habent hoc faciendi, nec fit cuiquam eo

^f Ἄδικεῖται δ' οὐθεις ἑκόν. Aristot. Ethic. Nic. v. 11. [6.]

facto injuria. An item ipsis liceat Aristocratiam in Democratiam convertere, non ita facile dixerim, quia licet et ipsi jus habeant faciendi, et res ipsa citra cujusquam injuriam fieri possit, non tamen videtur esse ista commutatio in melius. Existimo, tertio, posse commutari Monarchiam Regni Electivi in aliam fortasse quamlibet Regiminis formam, praesertim vero in Regnum haereditarium sive successivum; idque ob easdem fere rationes. Non tamen id fieri debere, primo, nisi Regno per mortem ultimo regnantis vacante, alias enim praesenti Regi fieret injuria; nec, secundo, nisi ex conjuncto consensu Procerum Regni et Populi, earumque personarum quae jus habent eligendi. Existimo, quarto, Monarchiam haereditariam in Regnum Electivum, aut alterius Regiminis quamcunque formam, non posse legitime commutari,* vel a sola Plebe, vel ab universo Populo subditorum, hoc est, a Plebe et Proceribus junctim, vel etiam a toto Populo in maxima sua latitudine, id est, a Plebe, Proceribus, et Rege simul consentientibus: nisi forte sicubi ita penitus defecerit Regalis Prosapia, ut nemo supersit qui Regnum sibi ut jure haereditario debitum vindicare possit. Cujus sententiae rationes sunt, primo, quia ex nostro supposito ita esset commutatio in deterius. Secundo, quia, istiusmodi commutatione legitimo haeredi fieret injuria. Tertio, quia videtur non ipsa commutatio tantum, sed et omne ejus desiderium et conatus, verbis illis Salomonis adversari, Prov. xxiv. 21. *Fili mi, time Deum et Regem; nec sit tibi rei quidquam cum iis qui novis rebus student.* Quod tamen ante dixi nunc iterum repeto, me non haec ita dicere ut affirmem, aut litem super hac re cuiquam moveam si aliter sentiat.

16. Dubium Sextum, Quomodo sit intelligendum id quod dici solet, 'Salus Populi Suprema Lex?' Ratio dubitandi ex eo oritur quod initio proposuimus et probavimus, Legum finem esse Bonum Publicum. Hinc sequi videtur, ex una parte, a Legum stricta observantia pendere Reipublicae salutem; ex altera parte, saluti Reipublicae cedere debere omnium Legum observantiam. Hinc etiam fidenter satis, nec minus perverse colligunt, qui intra paucos hosce annos novam una cum Theologia Politiam in Ecclesiam et Rempublicam invexerunt, Li-

§. 16.

Dubium
Sextum.Dicitur il-
lud, 'Salus
Populi su-
prema Lex,'
ut sit intel-
ligendum?

* In little more than a year and a half after the delivery of this Lecture was made treason, and the House of Lords was abolished. See Clarendon, Book xi. paragr. 246, 247.

bertatem, hoc est, Jus subditorum, sic enim illi Populi salutem interpretantur, et Regum praerogativis et Legum sanctionibus anteferendam esse, et proinde posthabendas prae illa omnem et potestatem Regum et Legum auctoritatem. Pro solutione Dubii sciendum est totam fere hac in re deceptionem ex aequivocatione quae in terminis latet, ortam esse, praesertim in illo Populi vocabulo. Populus enim, quum sit corpus quoddam metaphoricum, dupliciter accipi potest, sicut et ipsum corporis vocabulum.* Collective scilicet prout significat totam Reipublicae Communitatem, id est, Regem et subditos simul; et discretive, prout significat subditos praecise, et seorsim a Rege, ut quum dicimus, Rex et Populus. Sicut corporis vocabulo intelligenda veniunt aliquando reliqua membra simul cum capite, ut quum dicimus animam et corpus; aliquando membra reliqua praecise et excluso capite, ut quum dicimus caput et corpus.

§. 17. 17. Dico igitur, primo, maligne et pessimo consilio detorqueri id quod de Populo in priore sensu dictum est, ut accomodetur Populo in posteriore acceptione. Salutem Populi, id est, totius Communitatis ut ea vox Regem una cum subditis complectitur, supremam Legem esse nemo sanae mentis negaverit; at Salutem Populi, id est, subditorum excluso Rege, supremam esse Legem quis dixerit, nisi aut fatuus aut impostor? Fatuus, si ipsi sibi sic dicenti fidem habeat: si non habeat, impostor. Sed enim quisquis ipsius Aphorismi originem attentius inspexerit, lubentius concessurum arbitror, de Salute Principis praecise intelligi debere, quam de Salute subditorum praecise. Scilicet a Romanis ad nos devenit celebre hoc dictum,† illis tunc usurpatum, quum maxime floreret Respublica sub statu populari. Non est autem quod quis miretur, fuisse illis Salutem Populi supremam Legem, quibus ipse Populus erat suprema potestas. Erat ergo prudentium illorum veterum, qui Aphorismi hujus primi auctores extiterunt, iudicio, supremae potestatis salus suprema Lex: Populi nimirum in Democratia, at in Monarchia Principis.

§. 18. 18. Dico, secundo, dato, non concessio, Aphorismum hunc de Populi, id est, subditorum Salute proprie intelligi, adhuc tamen perverse detorqueri in Regiae dignitatis praejudicium,

* Compare Praelect. x. §. 10.

† Compare Praelect. x. §§. 15, 19.

qui vel sic potestatem ejus ampliozem reddit et illustriorem. Hoc sensu scilicet. Regem qui Populo Leges et Jura dedit, non ita se voluisse Legum vinculis astringi, ut non liceret ipsi, ubi Reipublicae salus palam periclitaretur, Regni Populique sibi a Deo commissi Saluti consulere, etiam contra verba Legis. Non quod liceat subditis, tuendae Libertatis obtentu, Legum et omnia fidelitatis vincula abrumpere, et Regiam auctoritatem intolerando fastu sub pedibus conculcare; sed quod Principi liceat, tuendae suae Subditorumque Salutis causa, strictam Legum observantiam ad tempus seponere, et arbitrario jure aliquantisper uti, ne, ex nimium superstitiosa et intempestiva Legum reverentia, seque et subditum sibi Populum, ipsasque etiam Leges, in hostium potestatem devenire patiatur.

19. Dico, tertio, dato adhuc ulterius, nec concessio tamen, licentiam aliquam ipsis subditis eo Aphorismo concedi, ut posthabitis Legibus, ita postulante necessitate, Saluti Publicae consulant, non tamen inde effici quod nonnulli voluerunt. Non quasi subditis liceret, ubi libertatem suam in aliqua re laesam aut sentiunt aut sentire se vociferantur, mox omnia Legum et officii repagula disjicere, et inconsulto Principe arma rapere, tumultibusque et seditionibus omnia complere.* Sed quod pro Salute Principis et sua adversus externos hostes aut perduelles domesticos tuenda, ubi tam gravis premit necessitas, ut vir pius et prudens non possit dubitare Legislatorem ipsum, si praesens esset, Legis sibi gratiam et relaxationem concessurum, liceat subditis, Communis Utilitatis, quae suprema Lex est et omnium Legum finis, rationem habere magis, quam Legum particularium, quae propterea latae sunt, ut Communi Utilitati inserviant, non praejudicent.

§. 19.

20. Summa est, Salutem Reipublicae, hoc est, Principis et subditorum, supremam esse Legem, cui inferiores Leges omnes

§. 20.

* At this point the Queen's College MS. glances off abruptly to some of the phraseology of the opening of §. 6. of the following Praelection,—‘hoc enim quid aliud esset quam omni licentiae populari et seditionibus civilibus non jam latam fenestram sed decumanam plane portam aperire?’—thence again to the opening of §. 21; and then gives in a very abridged form the

substance of §. 22. After which there is subjoined, with slight verbal variation, the matter contained in §§. 20, 21. of this Ninth Praelection. The Transcript of the Tenth Praelection represents the conduct of the High Sheriff of Worcestershire as having been already noticed in the preceding Lecture. See Praelect. x. §. 22.

ita inservire debent ut, postulante praesenti necessitate, Principi fas sit, ex potestatis suae praerogativa, immo et subditis fas sit, ex rationabiliter praesumpto Principis consensu, a verbis Legum particularium quandoque recedere, ut periclitanti patriae subveniant, ejusque saluti, velut supremae Legi, consulant. Ita tamen, ut sub praetextu Publicae Salutis libertatisve, nisi ex voluntate et consensu supremae potestatis, vel expresso, vel, ut dixi, rationabiliter praesumpto, non sit aliquid quod Leges non permittunt attentandum.

§. 21.

21. Restant adhuc Dubia non pauca ad Causam hanc Finalem quoquo modo pertinentia, ut de Privilegiis, de Dispensationibus, de relaxatione Obligationis in periculo vitae, aliisque ejusdem generis, quae fortassis quibusdam videbuntur cum Fine Legum humanarum non usquequaque convenire. Quorum solutionem consultius duxi in aliud longinquum licet tempus rejicere,* quam nimia prolixitate tam benevolos auditores fatigare.

* i. e. till after the Long Vacation, when, however, Sanderson found it expedient to resume his discussion of the Maxim 'Salus Populi Suprema Lex,' instead of entering on the consideration of the Doubts enumerated in this Section.

PRAELECTIO DECIMA.*

IN QUA,

PERVULGATISSIMUM ILLUD DICTUM, 'SALUS POPULI
SUPREMA LEX,' UT SIT RECTE INTELLIGENDUM,
PAULO FUSIUS EXAMINATUR ET EXPLICATUR.

I TIM. ii. 2.

... *Pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate constituti
sunt: ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni
pietate et honestate.*

INSTITUERAM ex hoc loco, si forte meministis, benevoli §§. 1-3.
Auditores, de utraque Conscientiae Obligatione, Passiva Acti- Ante dicto-
vaeque, justam tractationem. In priore illa explicanda, post rum Re-
excussam primo loco et Scholastico more Conscientiae Defini- censio.
tionem, in pervestiganda propria illa et adaequata Conscientiae
Regula, cujus ex praescripto omnes et singulos suos tum dic-
tandi tum judicandi actus exercere debeat, operam insumpsi.
Ostensum ibi tunc esse quidem Scripturam Sacram ejus quam
quaerebamus Regulae praecipuam partem, ast adaequatam esse
Voluntatem Dei, quam signi vocant,† cuivis homini qualiter-
cunque patefactam. Sive, primum, Lumine Innato, ex prin-
cipiis practicis in *Synteresi* conservatis et per se notis, quas
Philosophi *κοινὰς ἐννοίας* et *προλήψεις φυσικὰς*, Apostolus *Le-
gem Dei in cordibus nostris scriptam* dixerunt. Sive, secundo,
Lumine Illato, per externam Revelationem, partim extraordi-
nariam et privatam singularibus quibusdam personis per vi-
siones, somnia, &c, *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως*, partim ordina-
riam et publicam universo generi humano in Verbo scripto.
Sive, denique, Lumine Acquisito, per conclusiones ex princi-
piis illis practicis, aut e Verbo Dei scripto, vel propria medi-
tatione, vel institutione aliena rite et legitime erutas.

* There is a Transcript of this bary of Queen's College. P. 18.
Lecture among the MSS. pre- fol. 273.
sented by Bp. Barlow to the Li- † See above, Praelect. iv. §. 20.

§. 2. 2. Ista omnia et singula Conscientias hominum obligare dixi, eaque sola, absolute, primario, per se, et virtute propria, quia ea omnia et sola Voluntatem Dei exhibent, cujus unius est in hominum Conscientias merum et directum imperium. Esse tamen admonui praeter haec et alia nonnulla, quae secundario, relative, et in virtute Legis sive Voluntatis Divinae in qua fundantur, suo modo Conscientias obligant. Convenire insuper illa omnia in hoc, quod quam habent obligandi vim, eam omnem Divinae Legi acceptam debeant, (non esset alias Divina Lex adaequata Conscientiae Regula;) differre tamen inter se singula, cum specie, propter diversitatem materiae, tum etiam gradu, quantum ad vim obligandi. Esse porro eorum quae sic obligant gradus tres. Primum eorum quorum Obligatio oritur ex auctoritate alterius jus habentis, in quorum numero sunt Leges humanae. Secundum eorum quorum Obligatio oritur ex actu libero propriae voluntatis, qualia sunt vota, juramenta, promissiones, et pacta spontanea. Tertium, eorum quorum Obligatio oritur ex intuitu fraternae charitatis, in qua classe censetur Lex sive Ratio Scandali.

§. 3. 3. De Obligatione Legum humanarum, multo mihi plura jam ante dicta sunt, quam initio proposueram; multo tamen fortasse pauciora quam aut merebatur rei gravitas, cujus est in vita quotidiana usus longe frequentissimus, aut postularet Dubiorum, quae possent mentibus hominum* scrupulum injicere, copia et varietas. In quibus dissolvendis, superioribus Terminis eo progressus sum, ut post emensas eas difficultates quae ad Legum Causas, Materialem, Efficientem, et Formalem, haud incommodè revocari existimarem, ultima Praelectione ad eas tractandas, quae ad Causam earundem Finale propius pertinerent, devenerim. Ubi, jacto imprimis hoc totius disputationis velut fundamento, finem Legum humanarum esse Bonum Communitatis, vel, quod idem est, pacem et felicitatem publicam, responsum est, qua licuit brevitate et perspicuitate, sex istis quae sequuntur quaesitis. Primo, an sit in Republica in ordine ad Bonum Commune Legum humanarum usus aliquis, saltem necessarius? Secundo, quum intersit Reipublicae ut virtus colatur, vitia coerceantur, an Legislator possit praecipere omnes omnium virtutum actus et officia, et omnia cujus-

* 'mentibus hominum.' In the Queen's Coll. MS. 'mentibus piorum.'

cunq̄ue generis peccata prohibere? Quod si non possit, an saltem teneatur, utriusq̄ue generis quotquot potest praecipere et prohibere Legibus quae obligent subditos in Conscientia? Tertio, an et quatenus ad effectum obligandi subditos requiratur, ut intentio Legislatoris feratur in Bonum Publicum? Quarto, si videbuntur Leges jam ante latae Bono Publico minus utiles, an et quatenus earum mutatio sit vel a Principe tentanda, vel a subditis urgenda? Quinto, quum sit finis Legum, adeoque ipsius Regiminis, Bonum Commune, an liceat ob Bonum Commune ipsam totius Regiminis formam immutare, vel ejus immutationem tentare, et quatenus? Ultimo, illud solenne dictum, 'Salus Populi suprema Lex,' quomodo sit recte et sane intelligendum?

4. Haec ego altius repetenda duxi, ut apud vos, post tam diuturnum Academicarum exercitationum justitium,* totius instituti mei atque ordinis ratio melius constaret, et ut capita earum rerum, quas summa cum humanitate jam olim auditas, tam longo temporis intervallo excidisse facile credo, vobis in memoriam revocarem. Expectabitis, opinor, nec immerito, ut institutum cursum currerem porro, et ad ea quae proxime reliqua sunt Dubia dissolvenda recta pergerem, de Privilegiis scilicet, et Dispensationibus, aliisque ad Causae genus Finale quomodolibet spectantibus. Fateor sane et mihi visum sic fieri oportere. Verum interpellant amici: monent quorundam eorum qui nunc sunt hominum intolerandam pervicaciam postulare potius, ut quo illi, perversius haud facile dixerim an fidentius, abutuntur in publicam perniciem Aphorismo, eum etsi ultima superioris Termini Praelectione novissimo loco explicuerim, sub incudem tamen revocarem denuo, et genuinum ejus sensum plenius aliquanto quam est a me tunc factum, et explicatius aperirem: hoc est, me interprete, addita duntaxat nonnulla verborum pompa, ut actum agerem, et coctam jam ante cramben recoctam vobis apponerem. Visa mihi parum aequa postulatio: illi interim contra, instare sedulo, prolixè rogare, ut facerem tamen. Vestrae erit humanitatis, donare hominis verecundiae quod rogantibus amicis concesserim, praesertim argumento usis ad flectendum animum meum longe efficacis-

§§. 4-6.
De hujus
Aphorismi,
Salus Po-
puli Su-
prema Lex,
genuino
sensu de-
nuo inquir-
ritur.

* 'justitium.' In the Queen's Vacation seems to have been meant.
Coll. MS. 'interstitium.' The Long See above, Praelect. ix. §. 21.

simo, et vestrum plerisque, hoc ipsum si facerem, gratum fore se non dubitare.

§. 5. 5. Quid ergo sibi velit pervulgatum illud Axioma, 'Salus Populi suprema Lex,' et quomodo sit intelligendum expedire, praesentis est negotii. Excuderunt intra paucos annos homines non optime feriat, et in Rempublicam etiam tandem, ut ante in Ecclesiam, invexerunt, novam una cum Theologia Politicam.* Qui, ut sub obtentu Libertatis Christianae, sive Conscientiae, totius Regiminis Ecclesiastici, ita sub obtentu Libertatis Civilis, sive subditorum, totius Regiminis Politici, non modo vim omnem subnervare, sed ipsam quoque fabricam ab imis fundamentis revulsam labefactare, in hac tanta rerum perturbatione strenue hactenus conati sunt; hodieque pergunt, cum summo animorum ardore et terrore militari, conari. Hi, quoties conculcatae sub pedibus Regiae dignitatis, spretae sanctarum Legum auctoritatis, perturbatae pacis publicae, ruptis omnibus jurium repagulis exercitae in concives effraenis et infandae Tyrannidis, affectatae in Ecclesia, in Republica, sublato omni natalium, honorum, statuum discrimine, paritatis,† aliarumque ex Anabaptistarum puteis haustarum impietatum,‡ postulantur: hoc unico, velut clypeo, seque suosque mores tuentur, salute Populi: hanc Legibus, Regibus, Juribus, Moribus, unam universis anteponendam scilicet.

§. 6. 6. Ex hoc tam laxo et periculoso vulgaris dicti interpretamento, quum tumultibus, seditionibus, et omne genus licentiae populari, non jam lata fenestra, sed decumana plane porta aperiat, manifestum est, qui hoc clypeo nefaria sua scelera tuentur, non simplicem et genuinam ejus dicti sententiam amplecti, sed alienam ei affingere, quae pravis suis consiliis et causae non bonae praebeat, ex coacta interpretatione, speciem aliquam patrocinii. Quotus enim quisque est hominum, cui si, ut avaritiae, ambitioni, odio, iraeve suae inserviat, res novas moliri, et per fas nefasque latrocinii, rapinis, et concussionibus

* 'heri nati Politico-Theologi nostri.' Praelect. iv. §. 18.

† 'There was at this time a new faction grown up in the army, which were either by their own denomination, or with their own consent, called *Levellers*; who spake insolently and confidently against the King and Parliament, and the great

officers of the Army; professed as great malice against all the Lords as against the King, and declared that all degrees of men should be levelled, and an equality should be established, both in titles and estates, throughout the Kingdom.' Clarendon, Book x, paragr. 126.

‡ Compare Praelect. ix. §. 2.

omnia complere libuerit, non proclive erit facinoribus suis et inceptis quibuscunque nefariis Salutem Populi praetexere? Executite, quaeso, omnia qua patet Orbis annalium et historiarum monumenta, sacrarum, profanarum, veterum, recentiorum, exterarum, nostratium, invenietis hoc ipsum usque et usque factitasse, sub eodem Libertatis et Salutis popularis praetextu, omnium temporum, omnium locorum Catilinas et Cethegos, ut peponem cordis loco habere videatur, Tertulliani locutio est,^a qui sibi tam tenui fuco os sublini patiat. Sed quo me, dum justae indignationi laxo habenas, incautum rapuit tempestas? Reprimo igitur me jam, ne videar τῆς ὑποθέσεως ἐκπεσεῖν, et pro disputatore declamatorem agere; et ad rem ipsam accedo.

7. Ubi illud imprimis expendendum est, quid in dicto Axio-
mate, Salutis appellatione, veniat intelligendum. Non enim, §. 7.
Quid Sa-
lutis voca-
bulo intel-
ligendum; si quis aut dignitatem suam aut libertatem, in re aliqua levicula, vel etiam fortassis admodum gravi, laesam sentiat aut sentire se putet, illico Salutis se jacturam fecisse, aut de Salute periclitari, jure conqueri poterit. Saluti enim alicujus rei aut personae, non laesio quaevis aut nocumentum, sed interitus opponitur, ut Graecis τῆ σωτηρία ἢ ἀπώλεια. Quinimmo pariter omnino se res habet, servata utrinque debita analogia, in corpore politico et in Republica, sicut in corpore humano et persona singulari. Prae contrariarum qualitatum in humano corpore pugna, ex aliquo interni calidi aut humidi excessu vel defectu, et extrinsecus accidentium varia immutatione, vix fieri potest ut quis tam integra valetudine usque perfruatur, quin ut saepicula aliqua saltem corporis parte, interna vel externa, id patiat, quod ei molestiam afferat: fieri etiam potest, ut ex podagra, odontalgia, calculo, aut alio partium morbo acutissimos sentiat dolores, vel etiam toto corpore afflicto aeger decumbat; ut interim non sit opportunum, nedum necessarium, ad extrema quaeque remedia, ut in aperto vitae salutisque discrimine, confugere. Sic in Republica non est mox aliquid attentandum contra Leges et Jura, non contrahenda vulgi coluvies et tumultus excitandi, non ‘ad Arma, ad Arma’ continuo conclamandum, ut Saluti Populi consulatur scilicet quamprimum popularis aliquis tribunus, aut audaculus quispiam rhetoricator δημάγωγος, Principem, Proceres, Magistratus, Ju-

^a Adv. Marcion. iv. 40. [Cur et non magis peponem, quem Marcionem autem panem corpus suum appellat, cion cordis loco habuit?]

dices, eorumve ministros, aut eorum saltem aliquem, violati juris, illatae injuriae, aut neglecti quomodolibet officii, per calumniam, vel etiam si forte jure merito, reos apud plebem pro concione peregerit. Fuerunt eruntque* semper, sub optimis Regibus et in optime constitutis Rebuspublicis, ex abusu potestatis tenuiorum civium oppressiones, aliaque gravamina non pauca, quibus in integrum aut praevertendis aut medendis, nulla regentium cura et industria, nulla sufficere queat Legum severitas. Hujus generis si quoties unum aut alterum exemplum emerit, licebit confestim factiosis civibus, obtentu Salutis Publicae, Legibus et Jure contemptis, vi et armis rem gerere pro lubitu suo, a turbis et tumultibus nunquam tuta aut quieta erunt Regna et Respublicae. Omnino praedixit Christus *ἀνένδεκτον εἶναι μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα*, et mundo nobis exeundum esse monuit Apostolus, vel quaerendam Utopiam aliquam, † aut Rempubicam Platonis, quae nos salvos praestet, si Salutem Populi sic interpretari velimus, ut nisi infimi quique cives ab omni injusta vi et iniqua potentiarum dominatione sint prorsus securi, nulla sit reliqua Publica Salus. Tunc Salus agitur Reipublicae quum ab externorum hostium incursionibus, vel improborum civium depraedationibus, manifeste in tam apertum discrimen res deductae sunt, ut ni provide et mature succurratur, patria sit indubie peritura.

8. De Salute vidimus. Videndum proxime, quam recte a Novatoribus nostris accipiatur alterum illud Populi vocabulum. Est autem Populus, ut ex amissis de Republica Ciceronis libris definit Augustinus,^b ‘coetus multitudinis hominum juris consensu et utilitatis communione sociatus.’ Qua appellatione Romani olim omnes omnis ordinis et conditionis‡ cives continebantur. Erant autem illi, praeter Monarchas, Reges Primis, Imperatores ultimis seculis, in triplici gradu, Patricii scilicet sive

* ‘Fuerunt eruntque.’ The Queen’s College MS. has nothing which at all answers to this and the following sentence. It reads ‘pronuntiaverit’ instead of ‘peregerit,’ and then passes on at once to ‘Omnino praedixit,’ &c.

† See above, Praelect ix. §. 8.

^b De Civ. Dei, ii. 21. [Populum autem, non omnem coetum multitudinis, sed coetum juris consensu et

utilitatis communione sociatum esse determinat. Tom. vii. 49 C. ed. Ben. Paris. 1685. Cicero de Repub. i. 25.]

‡ ‘conditionis.’ In the Queen’s Coll. MS. ‘eruditionis:’ one proof among several of its having been written out from notes which the Transcriber did not always understand.

Senatorii ordinis, Equites, et Plebs. Sed qua latitudine vox ea apud Romanos Scriptores, ubicunque occurrit, sit accipienda, ex adjunctis circumstantiis lectori colligendum est: id quod plerumque ex appositis oppositis terminis, si qui appositi sint, optime fieri potest, certissimo in eam rem argumento. Accipi autem solet Populi vocabulum Romanis Scriptoribus, tribus hisce fere modis. Primo, et omnium modorum rarissime, pro sola Plebe, qui fuit totius Romani Populi infimus Ordo. Ut in illo Martialis,^c

Dat Populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus.

Ubi oppositus Senatui et Equitibus Populus, non nisi Plebem solam significare potest. Secundo, pro utroque inferiori Ordine Populi, Plebe scilicet et Equestri Ordine conjunctim, Ordine supremo sive Patricio tantum excluso. Visum enim fuit Patribus, initio constitutae Reipublicae, exactis jam Regibus, aliquam honoris et dignitatis praerogativam supra alios cives apud se retinere, inque ejus rei significationem semet a reliquo Populi coetu nominis appellatione segregare. Unde illae fluxerunt solennes formulae, 'Senatus Populusque Romanus,' 'Visum est Senatui Populoque Romano,' &c. In quibus Populi nomen Equites cum Plebe, hoc est, excepto Senatu, reliquos cives omnes complectitur. Tertio, pro omnibus omnium Ordinum civibus indiscriminatim, Patribus, Equitibus, Plebe; ex his enim tribus Ordinibus, postquam desiissent esse Reges, necdum orti essent Imperatores, universa Civitas constabat. Et in hoc sensu, siquidem toto illo spatio illius Reipublicae status erat popularis, intelligendi sunt Romanarum rerum Scriptores, quoties de salute, dignitate, majestate Populi conservanda loquuti sunt.

9. Haec ego diligentius paulo exposui, non solum quia vocabulorum plerorumque hujus generis propriae significationes ex ejus Populi usu pendent, a quibus et voces ipsae ad nos derivatae sunt; sed etiam alia de causa duplici. Altera, ne ambiguae vocis minus commoda interpretatione decipi nos et circumveniri patiamur: altera, ne in nuda Populi appellatione vis fiat in praejudicium ejus qui Princeps est Communitatis et Populi caput. Quarum utraque quanti sit momenti ad rem praesentem, ex his quae jam dicturus sum, statim intelligetis.

§. 9.

^c Epigr. viii. 15. [3.]

§. 10. 10. Dico itaque, primo, Populi vocabulum, ut pleraque alia nomina multitudinem aggregatam significantia, sumi posse dupliciter.* Vel collective, ut significet totam Communitatem Reipublicae, id est, Principem et subditos simul; vel discretive et praecise, ut significet subditos tantum et seorsim a Rege. Eodem omnino modo, ut corpus vel dicit reliqua membra simul cum capite, vel membra illa praecise et seorsim a capite. Et Familiae appellatio nunc omnes complectitur qui unarum sunt aedium, uxorem, liberos, famulos, ipsumque etiam Patrem-familias qui reliquis praest; nunc eos tantum qui sub ipsius imperio sunt, et quorum ipse curam gerit. Et Exercitus nomine alias continetur una cum militibus ipse etiam Imperator, alias non continetur. Quod idem et in Regni, Parlamenti, aliisque id genus vocibus, quae significant collectionem quidem multorum, cum ordine tamen et ratione ad unum aliquod velut principium et caput, facile est cernere. Igitur si non animo maligno, ut suspicari licet, at certe periculosissimo errore factum est, ut quod de Populo priore sensu dictum est, collective scilicet et ut ea vox complectitur inclusive totam Communitatem, id est una cum subditis Principem, detorqueatur et accommodetur Populo in posteriore acceptione, id est solis subditis exclusive.

§§. 11, 12.
Vocabula
Collectiva
quando col-
lective sumi
debeant, et
quando
discretive.

11. At qui constare poterit nobis, inquietis, Populi appellationem priore sensu et collective in isto Axiomate intelligi debere potius quam posteriore et discretive? Respondeo, ex communi usu loquendi, et analogia aliarum vocum ejusdem rationis et significationis abunde satis id constare. In quibus certissimus interpretandi canon est, Voces collectivae collective semper sumi debere, nisi adjectum ejus oppositum diversum postulet. Exempli gratia, ubi dicitur, Col. i. 18, Christum esse *caput corporis, Ecclesiae*, manifestum est ex opposito adjecto, capitis scilicet mentione, cui corpus ibi relative opponitur, corporis vocabulum discretive sumi, pro reliquis membris corporis praecise et seorsim a capite. Sic etiam, si quis diceret Imperatorem Exercitum e castris eduxisse, aut in hiberna dimisisse, vel Patrem-familias interdixisse ne quis domesticorum intem-
pesta nocte exiret ex aedibus, vel, quod de Davide scribitur, quidquid Rex fecisset, gratum id Populo fuisse, manifestum est,

11 Sam. iii.
36.

* Compare Praelect. ix. §. 16.

ex adjecto ubique opposito Imperatoris, Domini, Regis nomine, vocabula illa collectiva Exercitus, Familiae, Populi, non esse tamen collective intelligenda, sed discretive et exclusive. Hoc est, Exercitus appellatione milites solum contineri, Imperatorem non item; et Familiae, domesticos solum, non Dominum; et Populi, subditos solum, non item Regem. Ratio est, quia adjectum in ipso orationis filo oppositum, quod est alterum correlatorum, necessario innuit vocem collectivam, sibi ex adverso respondentem et ei relative oppositam, continere suum correlatum praecise, hoc est, multitudinem duntaxat, illi velut principio et capiti connexam et conjunctam, non autem totam communitatem ex utroque termino correlato quasi aggregatam.

12. Caeterum ubi non est adjectum oppositum, quod ipsius significationem ad alteram tantum relationis partem necessario contrahat, ab omni sana ratione alienum est collectivam dictionem aliter quam collective accipere, et in justa sua latitudine; ita scilicet ut utrumque relationis terminum suo ambitu complectatur. Maxime, ubi in salutis, utilitatis, alteriusque boni aut commodi quod sit utrique commune, ratione sermo versatur. Exempli gratia, si statueretur cras movenda castra ne exercitus ab hoste opprimeretur, aut in familiae usum fruges colligendas, non esse incolumi capite vel Orestes juraret eum hominem, qui quae de exercitu et familia dicta essent sic intelligeret, quasi militibus solum et famulis prospectum esse vellet, nulla interim Imperatoris qui exercitum, nulla Patrisfamilias qui familiam regit, habita ratione. Quod perinde est ac si valetudinarius, a medico admonitus ut corporis sui curam aliquanto diligentiore in posterum haberet, pectus et crura et quae post cervicem sunt membra inciperet exinde quam diligentissime fovere, quid interim capiti fieret supine securus, eo quod medicus corporis tantum meminisset, non item capitis.

13. Accedo adhuc ad rem propius. Si gregariorum forte militum turba salutem exercitus dicerent esse supremam Legem militarem, suum autem Imperatorem dura nimis nec ferenda militibus imperare, ita ut periculum sit ni mature jugum collo excutiant, amissam brevi fore universam exercitus libertatem; atque ex hoc principio de tuenda vi et armis Libertate, imperatis non faciendis, ipso etiam Imperatore tollendo, consilia

§. 12.

§. 13.
Salus Populi Principis etiam Salutem includit;

inter se agitent; vel si servi domestici, (quos tamen vult Apostolus, 1 Pet. ii. 18, heris, *non bonis tantum et aequis, sed duris quoque et morosis* subjici,) facta inter se conjuratione, herilia jussa ut iniqua recusarent, herum ipsum ut asperius dominantem exturbarent ex aedibus, claves et loculos et universam suppellectilem occuparent, et omnem rem domesticam pro sua libidine administrarent, hoc uno praetextu, quod sit Salus Familiae suprema Lex Oeconomica, quis non fateretur scelerata illa et nefaria consilia, ex istis principiis, quae sane, sane intellecta, et verissima sunt et utilissima, non posse legitima ulla consecutione deduci? Et tamen non est ovum ovo similium quam huic argumentandi generi eorum hominum rationatio, qui seditionibus civilibus Salutem Populi obtinent. Quasi vero non contineretur, idque eminenter, in salute Exercitus et Imperatoris, in Salute Familiae et Patris-familias, in salute Populi et Principis salus. Ut summatim dicam, Salutem Populi, id est, Regis et subditorum simul, fatendum est esse supremam Legem; ast Salutem Populi, id est, subditorum secluso Rege non item.

§§. 14, 15.
eamque
praecipue.

14. Dico, secundo, quiddam amplius. Etsi Populi vocabulo in hoc Axiomate nec subditos sine Principe, nec sine subditis Principem, praecise et solitarie intelligi debere, sed utrosque conjunctim, satis dilucide a me confirmatum existimem, qui tamen aut dignitatem personarum aut istius ipsius Aphorismi originem attentius consideraverit, libentius eum concessurum, de salute Principis praecise intelligendum esse celebre id dictum, quam de salute subditorum praecise. Imprimis, sacrosanctam esse Regum Majestatem, non veteres solum Patres Ecclesiastici, etiam tunc quum nulli adhuc essent Reges Christiani, prolixissime agnoverunt, qui eos ut homines a Deo secundos et solo Deo minores* coluerunt, pro eorum salute vota et preces Deo obtulerunt, ab eorum salute totius Populi salutem et felicitatem pendere docuerunt, sed et ipse Deus Optimus Maximus in Sacris Literis, ut fuse ostendi posset si opus esset, abunde testatum esse voluit. Unde factum,† ut ea semper mente fuerint pii omnes et bonae indolis cives, ut ubi ex alea belli in extremum discrimen adductae res essent, unius Regis salutem suae omnium saluti anteponendam judicarent.

* See above, Praelect iv. §. 11. Coll. MS. exhibits the rest of this
† 'Unde factum.' The Queen's Section in a much abridged form.

Quod, uti bonos subditos decuit, aperte professi sunt Israelitae illi qui, sub execranda conjuratione Absolonica, Davidi Regi debitam fidelitatem servaverant, II Sam. xviii. 3. Nec aliud voluere qui Regem, non homini mortali in rem suam turpiter adblandientes, sed Spiritu Dei Sancto dictante locuti, narium suarum spiritum esse dixerunt. Sic enim pius, et ab utero sanctificatus Propheta, Jeremias locutus est, Thren. iv. 20, translatione usus aptissima, quum sit spiritus ille qui per nares attrahitur et emittitur spiritus ille vitalis,^d quo quasi vinculo connectitur anima corpori, et quo deficiente, exspirare protinus necesse est animal vivens et interire. *Quum exit spiritus ejus, revertitur homo in terram suam.* Psalm. cxlvi. 4.

15. Quin et illud observatu dignum est, a Romana gente ad nos devenisse illud de quo nunc agimus Axioma,* illis tunc usurpatum quum maxime floreret Roma sub statu populari. Non est utique† quod quis miretur, illis Salutem Populi fuisse pro suprema Lege, quibus ipse Populus erat suprema Potestas. Populi tunc erant Leges, Populi judicia, Populi universa jurisdictio, ipsa denique *αὐτοκρατορία* Populi et majestas. Unde illa tam frequens, apud historicos omnes, apud Ciceronem, apud alios ejus aevi scriptores, de Majestate Populi Romani mentio, ut in statu Democratico; quae omnia in statu Monarchico, non Populi sunt, sed Principis. Ergo quanti illis fuit Populi Salus, apud quos Populi erat Majestas, quod quanti fuerit hoc ipso Aphorismo toti Orbi testatum esse voluerunt, tanti nobis, si nos ejus Aphorismi auctoritate tueri velimus, servata modo, ut par est, in tam differentibus utriusque Reipublicae formis analogia, debet esse Regum Salus, qui non aliam quam Regiam agnoscimus Majestatem.

16. Ex his quae dicta sunt satis constare puto, nec in illa Salutis, nec in ista Populi appellatione eam inesse vim, ut inde possit sine summa perversitate pervulgatum hoc Axioma in Regiae dignitatis praejudicium distorqueri. Quod si reliqua illa, quae sola jam supersunt, verba rite expendantur, suprema scilicet Lex, agnoscent, uti spero, quibus aliquid reliquum est aut cordis aut frontis, isto Axiomate vix potuisse dici aliquid,

§. 15.

§. 16.

Necessario statuenda est in omni Republica auctoritas aliqua, quae sit omni Lege superior;

^d Animus Reipublicae tu es, illa corpus tuum. Seneca de Clem. i. 5. Ille spiritus vitalis, quem haec tot millia trahunt. *ibid.* c. 4.

* Compare Praelect. ix. §. 17.

† ‘utique.’ For this favourite word of our Author the Queen’s Coll. MS. has ‘itaque.’

quod ad summam Regum potestatem stabiendam amplius esset et illustrius.* Supponit enim ista locutio, ‘suprema Lex,’ esse oportere necessario alicubi in omni Republica potestatem aliquam, quae sit omni positiva Lege humana superior, ad quam prospicere pertineat, et auctoritate sua procurare, ne quid, ex Legum defectu vel nimium superstitiosa observatione, Respublica detrimenti capiat. Cujus rei ratio manifesta satis est: quia nec potest Legislator, vel prudentissimus, omnes circumstantias eventuum futurorum praevidere, nec ut nihil contingat eorum quae insecutura suspicatur mala et incommoda, Legibus sufficienter praecavere. Quod nec Legum culpa fit nec Legislatoris, sed, ut optime observavit Aristoteles,^e ex ipsa natura earum rerum quae Legibus definiendae sunt: quae quum sint et pro varietate sua indefinitae, et quia ex futuro pendent incertae, non possunt propterea certis aliquibus et definitis regulis comprehendi.^f Satis igitur fecit officio suo Legislator, si Legibus ea constituerit quae sint plerumque justa^g et utilia toti Communitati: etsi fieri potest, saepissimeque fit, ut ex emergente aliqua inopinata occasione, deficiant illae Leges in casu aliquo particulari non praevisto. Quo in casu, nisi sit alicui personae vel personis exercendae arbitrariae cujusdam potestatis relictus locus, nullum erit reliquum remedium satis efficax, quo periclitanti patriae subveniatur, et publicae Saluti consulatur. Hoc est quod viri prudentes semper statuerunt, et Ratio etiam suadet, Aequitati cedere debere, ubi exigit necessitas, Justitiam Legalem, quum sit Aequitas nihil aliud, eodem Aristotele definitore, quam νομίμου δικαίου ἐπανόρθωμα,^h emendatio scilicet sive correctio Justitiae Legalis, vel etiam ipsius Legis, ut ipse suam illam Definitionem mox explicat, ἐπανόρθωμα Νόμου, ἣ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου,ⁱ supplendo ejus defectum in casibus particularibus, in quibus ipsam aut a Justitia aut ab Utilitate publica deficere contingit ob nimiam generalitatem. Leges enim necesse est constitui generaliter

* ‘et illustrius.’ From this point the Queen’s Coll. MS. passes on, after a very few lines, to ‘Non quod liceat’ = ‘Ergone licebit’ in §. 17, after the quotation from Homer.

^e [Τὸ γὰρ ἀμάρτημα οὐκ ἐν τῷ νόμῳ, οὐδ’ ἐν τῷ νομοθέτῃ,] ἀλλ’ ἐν τῇ φύσει πράγματος. Aristot. Ethic. Nic. v. 14. [4.]

^f Nulla tanta providentia potuit esse eorum qui leges componebant, ut species criminum complecterentur. Quintil. Declam. cccxxxi.

^g Τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλεον λαμβάνει ὁ νόμος. Aristot. ubi supra.

^h Aristot. Ethic. Nic. v. 14. [3.]

ⁱ Ibid. 6.

per respectum ad ea quae plerumque fieri solent,^k non autem ad omnia ea quae contingere possunt in particulari; quorum nonnullis si stricte et ex verborum praescripto accommodenter Leges, deficere eas necesse est etiam, aut a Justitia Morali, aut ab Utilitate communi, aut ab utraque.

17. Hoc igitur posito, postulare Salutem Populi, hoc est, publicam Utilitatem, ut sit in Republica auctoritas aliqua Legibus superior, quae earum defectus suppleat, et illud etiam necessario consequitur, quod idem Aristoteles in Politicis asserit, supremam hanc auctoritatem non posse ad alium quempiam pertinere quam ad ipsum τὸν ἄρχοντα,^l hoc est, cum qui toti Communitati cum summo imperio praeest,

^εΩι λαοί τ' ἐπιτεράφονται, καὶ τόσσα μέμηλε,^m

sive is unus sit, ut in regimine Monarchico, sive plures, ut in aliis Rerumpublicarum formis. Ergone licebit subditis, publicae Libertatis, vel etiam Salutis obtentu, Legum et omnia juris ac fidelitatis vincula abrumpere, Legumque simul et Regum auctoritatem intolerando fastu sub pedibus conculcare? * atque in tanti facinoris patrocinium, hoc uno Aphorismo turpiter abuti, quem crepare solent et sibi mutuo subinde succinere seditiosi cives, 'Salus Populi suprema Lex?' Qui fit ut contra non intelligant hoc ipso dicto agnosci Principis in ipsas Leges aliquod imperium? Ita ut ipsi liceat ex plenitudine potestatis, ubi cogit necessitas et res moram non patitur, ut ab hostibus externis vel domesticis perduellibus suam subditorumque salutem tueatur, strictam Legum observationem interim deponere, vel seponere saltem ad tempus, ne, ex nimium superstitiona et intempestiva Legum reverentia, seque Populumque suum et ipsas quoque demum Leges in hostium potestatem devenire permittat.

18. Illi Quaestioni, An Princeps Legibus a se latis vel confirmatis, et Populi consensu approbatis, usuque receptis, solutus sit? et quatenus eas, ordinarie, observare teneatur? erit fortasse, si Deus dabit, suus postea locus. Nunc illud tantum quaeritur, Numquid ipsi liceat, extra ordinem et in casu ne-

§. 18.

^k Δοκοῦσι . . . τὸ καθόλου μόνον οἱ νόμοι λέγεσθαι, ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ προσπίπτοντα ἐπιτάττειν. Aristot. [Polit. iii. 15. 4.]

^l Aristot. Polit. iii. [11. 19.]

^m Homer. Iliad. β'. [25, 62.]

* After 'conculcare,' the Queen's Coll. MS. subjoins immediately, 'Sed quod liceat ex plenitudine' . . . in the fifth line below.

§§. 17, 18. quae non potest ad alium quam Principem pertinere.

cessitatis, pro Salute publica tuenda, praeter vel etiam contra Leges aliquid facere? Sic facere licere, idque bona Conscientia, uti, primo, optimorum Regum, in omnium qua patet Orbis gentium historiis, exempla probant; et dictat, secundo, ipsa Ratio, a Legum διὰ τὸ καθόλου defectu, et eventuum particularium multiplicitate atque incertitudine modo adducta; et, tertio, satis firmant quae de jure Regum sunt a Samuele disputata, nec possunt commode, quod tamen est a multis tentatum, aliorum trahi, 1 Sam. viii.* Ita ne cui haec in re, ex praesente dicto prave intellecto, aliquis aut supersit aut oboriatur scrupulus, liceat mihi quaeso celebre hoc dictum ad primam suam originem revocare denuo. Et ni id effecero ut fateamini, Salutis publicae procurationem posthabitis Legibus, idque ex sententia istius dicti, ex ipsius Principis voluntate sola, nec omnino ex Populi arbitrio, pendere, caecutire in clarissima luce, et optimae causae non defensorem, sed proditorem et praevaricatorem hactenus fuisse me, existimate.

§. 19.
In hujus
Aphorismi
originem
inquiritur.

19. A Romana Gente ad nos defluxisse hoc Axioma paulo ante dixi. Illud nunc adjicio, in tertio Marci Ciceronis de Legibus libro,† primo, quod sciam, id scriptum reperiri; haustum tamen, ut ipse Cicero testatur, ex veteribus ejus gentis Legibus, et ab eo ipsissimis Legum verbis descriptum. Is ergo, post descriptas et explicatas libro superiore Leges ad Religionem et Cultum Deorum pertinentes, tertio demum libro pergit ad eas recensendas quae ad Rempublicam et Magistratus pertinent. Ubi, inter alia, haec habentur verba. Attendite, obsecro: ‘Regio Imperio duo sunt; iique praeecundo, judicando, consulendo, Praetores, Judices, Consules appellantur. Militiae summum jus habent: Nemini parento: Ollis salus Populi suprema Lex esto.’ Ollis, inquit, sic enim prisci loquebantur, id est, Illis, Salus Populi suprema Lex esto. Sed quibus tandem illis? Illis, nimirum, qui Regio Imperio praediti erant, qui militiae jus summum habebant, qui supra se potestatem aliquam cui parere deberent non agnoscebant. Hoc est, binis Consulibus, qui etsi ex constitutione illius Reipublicae annum tantum Magistratum gerebant, Urbi tamen et Orbi Romano cum summo Imperio pro tempore praeerant.

* None of the matter between presented in the Queen’s College
this reference to Scripture and the MS.
beginning of §. 20. is at all re- † 3. 8.

Adeste hic omnes, quotquot estis ubivis gentium, popularis audaciae patroni aut asseclae, legite, relegite totam hanc periodum, singulas expendite sententias, clausulas, commata, excutite verbula, syllabas, minutissimos quosque apices. Ubi tandem reperietis, concessae subditis, invito Principe, aut de Salute Populi judicandi, aut aliquid contra Leges faciendi statuendive, potestatis, vel tenue aliquod vestigium? Annon aperte clamat tota haec apud Ciceronem rerum et verborum series, supremam illam auctoritatem, quae sit omni lata Lege superior, adeoque publicae Salutisⁿ curam universam, ad eum unum spectare proprie, cui et Regium imperium competit, et Militiae jus summum, et ὑπερέχουσα nullique subdita ἐξουσία? Id quod Aristoteles etiam, ut praestantissimorum utriusque Linguae scriptorum hac in re consensum habeatis, his verbis expressit, Polit. iii.* ‘Δεῖ . . . τὸν ἄρχοντα, ἂν τε εἷς, ἂν τε πλείους ᾧσι, περὶ τούτων εἶναι κυρίους, περὶ ὧν ἐξადυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾶδιον εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων: id est, *Penes eum qui praeest Reipublicae, sive sit unus sive plures, iis de rebus statuendi arbitrium et potestatem esse, de quibus leges accurate, id est, in particulari, loqui non possunt, propterea quod non sit facile universe singula complecti.*’

20. Excipient hic fortasse nonnulli, pessime agi cum genere humano, si ex unius hominis arbitrio sic penderet omnium Salus ut non liceret cuiquam in casu summae necessitatis eo inconsulto suae publicaeque Saluti consulere. Quid si ex casu subito et inopino res non patiatur unius diei moram? Princeps interea aliquot dierum itinere abfuerit? Dum itur, consulitur, reditur, actum erit de Republica, si necesse sit, in tantis temporum angustiis et locorum spatiis, Principis consensum et veniam expectari. Respondeo, videri et subditis aliquid in hoc genere licere, si gravis nec aliter evitanda postulet necessitas, idque inconsulto Principe; Necessitas enim, quod dici solet, Legem non habet.†^o Nego tamen id effici, quod inde

§§. 20, 21.
Subditis
quid liceat
hac in parte,
et quatenus.

ⁿ Salutem Reipublicae nulli magis convenire, quam Caesari. Paulus. l. 3. F. de Praef. Vig. [Digest. Lib. i. Tit. xv. Lex 3.]

* ii. 19.

† ‘Legem non habet.’ From these words the Queen’s Coll. MS. passes on to ‘Oportet enim duas hasce

conditiones sanctissime observari’= ‘Sunt autem duae illae conditiones istae.’ below.

^o Ἐγώ γέ φημι καὶ νόμον γε μὴ σέβειν, Ἐν τοῖσι δεινοῖς, τῶν ἀναγκαίων πλέων.

Euripides ap. Stobaeum, λογ. ε’. 10. [12. 10. ed. Gaisford.]

aliqui effectum velint. Dico itaque, primo, quidquid juris hac in re subditis competere potest, ut scilicet Legibus posthabitis publicae Saluti consulant, id ipsis aliunde accrescere; praesentis autem Aphorismi auctoritate, velut fundamento, niti nullo modo posse, qui curandam et procurandam Populi salutem uni Principi relinquit, non autem ipsi Populo permittit. Deinde aliud esse, inconsulto Principe, aliud eo invito, aliquid contra Leges attentare; fieri enim illud licere, debitis conditionibus observatis: hoc nulla conditione licere. Dico, secundo, subditis, si quid attentare velint in ordine ad Salutem publicam, duas prae caeteris conditiones sanctissime esse observandas, quarum alterutram qui neglexerint, nulla necessitatis excusatione se tueri posse. Eas quam sancte observarint, qui functissimorum in hoc Regno motuum vel auctores exstiterunt vel fautores, dicere non est meum: ipsi viderint. Sunt autem duae illae conditiones, istae. Altera, ne quid fiat tenteturve fieri in Principis praejudicium, cujus persona et dignitas interest Salutis publicae ut sartae tectae* conserventur. Altera, ne quid similiter fiat fierive tentetur contra Leges et Jura, nisi ex Principis consensu: consensu nempe, vel expresso, ubi commode haberi potest, vel, ubi is longius abest, nec res patitur moram, rationabiliter saltem praesumpto. Tunc autem absentis Principis consensus rationabiliter praesumitur, quum tam magna tamque evidens premit necessitas,^p ut nemo sanus et prudens possit dubitare, Principem ipsum, si ibi tum praesens esset, Legis gratiam et relaxationem subditis concessurum.

§. 21.

21. Duabus hisce conditionibus observatis, nisi aliunde oboriatur, ex particularibus scilicet circumstantiis, impedimentum, licere dico subditis, pro tuenda adversus externos hostes vel domesticos perduelles Principis et Populi Salute,^q ad communem utilitatem spectare magis, quae suprema Lex est, quam ad voces et apices Legum particularium, quae propterea latae sunt, ut communi utilitati inserviant, non praesudicent. Ratio manifesta est: quia Media sunt propter Finem, non Finis propter Media; et proinde Media Fini inservire debent, non Finis inservire Mediis. Quum ergo Salus publica habeat ra-

* 'sartae tectae.' In the Queen's Coll. MS. 'ut sacra tecta.' Compare note † on §. 8.

^p In manifestis non opus est in-

terpretatione, sed executione. Aquinas, Sec. Sec. Quaest. 120. Art. 1.

^q Certum est omnia licere pro patria. Quintil. Declam. cccclxix.

tionem Finis, Leges autem Mediorum, et certum sit in agentis intentione Finem esse priorem et potioremediis, utrumque sequitur, et communem Patriae utilitatem Legibus quibusque particularibus anteponebam esse, et recte praesumi idipsum sentire Principem, qui in ferendis Legibus est agens principale; adeoque in omnia illa se inconsulto gesta vel gerenda, tacite consentire, quae, salva ipsius dignitate et jure, pro communi Salute geri fierive manifesta exigit necessitas.

22. *Exempla Historiae passim suppeditant,* quae, quum sit rei ipsius ratio tam in aperto, ut minus necessaria praetermitto. Unicum duntaxat, sed illustre illud, dignumque quod Annalibus hujus Gentis in aeternam hominis memoriam inseratur, quod nostro etiam aevo nostraque aliquorum memoria contigit, adducam, Vicecomitis scilicet Vigorniensis memorabile factum. Singulis Angliae provinciis, quas majores nostri Pagos, nos Comitatus dicere solemus, praest ad aliquos Juris effectus annuus Magistratus Vicecomes† dictus, custodiendae publicae pacis causa potissimum institutus. Huic Magistratui, ad tam grave munus cum effectu obeundum, concessa est, ut par erat, Legibus hujus Regni militem contrahendi potestas, et cum hominibus armatis quaelibet Comitatus sui loca, quoties facto est opus, adeundi et perlustrandi; ita tamen, ut ei interrim non liceat cum armata manu Comitatus sui fines et terminos excedere. Post proditam insperato, summa et singulari Dei benignitate et providentia, exsecrandam in omne aevum Proditionem Pulveream, ejus conjurationis conscii nonnulli, inque iis e principibus totius scenae architectis unus et alter, in agrum Vigorniensem convenerant. Hos Vicecomes,‡ vir strenuus et prudens, collecta armatorum manu, dum hac illac fugitantes persequitur, ad extrema Comitatus sui loca simul*

§. 22.
Ejus rei
illustre ex-
emplum.

* In the Queen's Coll. Transcript the opening of this Section is exhibited thus: 'Exemplum adduxi superiore lectione hujusce rei illustre sane et memorabile, nec indignum quod denuo audiatis, factum scilicet Vicecomitis, si bene memini Comitatus Wigorniensis. Legibus hujus Regni data est Vicecomiti potestas, custodiendae publicae pacis causa, sicubi opus esset militem contrahere,' &c. Compare the Note on Praelect. ix. §. 19.

† 'Vicecomes,' the High Sheriff. See Camden's *Britannia*, p. 115. fo. London, 1607. 'Singulis vero annis, ex minoribus nobilibus incolis aliquis praeficitur his Comitatibus quem Vice-Comitem, quasi Vicarium Comitis, et nostra lingua Shiriffe [Shire-reeve] Comitatus praepositum vocamus.'

‡ Sir Richard Walsh. See King James' *Discourse of the Powder Treason*, p. 244. London, 1616.

perventum esset, veritus ne illi, si is metu Legum ibi subsisteret, incolumes evaderent, ausus est, Lege non obstante, in alienum Comitatum* suo confinem militem educere, quo perduelles insecutus eos in potestatem suam redegit, eorumque primarios cum reliqua turba captivos secum abduxit. Ratus nimirum, id quod res erat, si vellet boni civis officio strenue defungi, sic sibi omnino faciendum; in eo necessitatis articulo intempestivam fore Legum observantiam; Supremae Legi, hoc est, Patriae Saluti, parendum; Utilitati Publicae omnia postponenda. Confecto hunc in modum ex animi sententia negotio, ne eo exemplo, quod necessitati imputandum fuit, publicarum Legum vilesceret auctoritas, quin etiam gnarus quam gravi poenae obnoxii sint in rigore Juris istiusmodi Legum violatores, non satis existimavit vir prudens in sola recte facti Conscientia acquiescere, nisi et suae in posterum securitati consuléret, et ne quis ipsius exemplo ad audacius aliquid fortassis attentandum abuteretur quantum in se esset caveret. Confestim itaque ad Regem advolat, (fuit is felicitis memoriae serenissimus Rex Jacobus,) ad ejus genua provolutus, violatae Legis veniam supplex petit. Et, prout commertus est, a Rege prudentissimo, non tam spretae Legis veniam, quam antehabita Publicae Salutis laudem, impetravit.

§. 23.

23. Exposui jam vobis, Auditores, ut amicis quibusdam obsequerem, aliquanto fusius quam soleo, quid mihi videtur de isto Axiomate sentiendum, 'Salus Populi suprema Lex.' Simul ut os obtureretur importunis hominibus, qui, ut cum Salomone loquar, e naso nimium compresso eliciunt sanguinem: hoc est, qui ex sententia, pia sane, si et sane intelligatur, atque publico salutari, perverse interpretando sensum eliciunt impium, et rebus humanis perniciosum. Summa totius rei, ut in pauca contraham, huc redit. Non si laedantur aut injuria afficiantur privatae aliquot personae, non si sua sint subditis, de quibus etiam merito conqueri possint, publica quaedam gravamina, decurrendum est statim, quasi actum aliter esset de Salute Populi, ad remedia adhibenda extraordinaria et quae sint contra Leges. Quod si justus sit metus, ab externis hostibus aut seditiosis civibus oppressam iri Rempublicam nisi aliquid fiat

Prov. xxx.
33.

* The house of Stephen Littleton, was fired by the Sheriff of Worcestershire. Winwood's Memorials, ii. 173.

quod Legibus non est permissum, Principi fas est ex potestatis suae praerogativa, immo et Subditis fas est ex praesumpta Principis voluntate, modo nihil fiat in ipsius praejudicium, praesente necessitate ita postulante, a verbis et sententia particularium Legum recedere, ut periclitanti Patriae subveniatur, ejusque Saluti ut supremae Legi inserviatur. Pergam prope diem, si Deus permiserit et commode potero, quae reliqua sunt persequi.


Gratia Domini nostri Jesu Christi, &c.

* Hucusque, postquam ventis vela dedissem, subtristi licet coeli facie, incolumis tamen, Deo auspice, in instituto cursu processeram, jamque altum mare tenebam, certus, si per tempora liceret, qua ire occoerem pergendi: quum coorta ante oculos saeva tempestas, et jam propius adventare visa, admonuit, parum tutam fore in posterum omnem in alto navigationem. Sensi itaque nova protinus mihi capienda esse consilia; nec, nisi mallet ventis debere ludibrium, in undoso et periculoso mari moram trahendam longius. Vela ergo confestim retrorsum dedi, et navim mature subduxi in portum. Namque et mihi paulo honestius visum est, gradu cedere, quam depleri, et rebus meis longe salutaris, privatos intra lares in otio et in umbra vivere, quam in Foro vel Theatro cum invidia et metu versari.

Hinc eadem FINIS discriminis atque laboris.†

* This Paragraph was, probably, added when Sanderson had prepared these Lectures for the Press. He found it necessary to leave Oxford in June 1648. See Walton's Life.

† In the original Edition, 1660, there follows here a short Notice calling the Reader's attention to the typographical errors which the Author had detected.



DE
JURAMENTI PROMISSORII
OBLIGATIONE

PRAELECTIONES SEPTEM:

HABITAE IN SCHOLA THEOLOGICA OXONII

TERMINO MICHAELIS ANN. DOM. M.DC.XLVI.

A

ROBERTO SANDERSONO,

S. THEOLOGIAE IN ACADEMIA OXONIENSI PROFESSORE REGIO.

Praemissa Oratione ab eodem habita cum Publicam Professionem auspi-
caretur 26 Octob. 1646.

LONDINI,

TYPIS T. R. ET E. M. PROSTAT VENALE APUD O. PULLEN
ET H. CROOK, IN COEMETERIO S. PAULI.

1647.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

OF

SCOTLAND

IN TWO VOLUMES

THE SECOND

VOLUME

LONDON

Printed by J. Sturges, in the Strand

1724

*Oratio habita in Schola Theologica Oxon. a R. S. Sacrae
Theologiae Regio Professore, quum publicam Professionem
auspicaretur 26 Oct. 1646.*

POSTQUAM mihi, integro jam quadriennio et quod excurrit, quidquid est hoc Professorii sive muneris delegatum, sive oneris impositum esse sensi, dici vix potest, Auditores, quam horruerim totus, quam variae adversantesque sibi cogitationes mox animum alternatim incesserint meum. Observabantur imprimis ante oculos quam plurima, quae virum longe viribus praestabiliorem, audentiosemque quam ego me aut esse puto aut haberi velim, a suscipiendo tam arduo munere prorsus absterrent. Provincia, quum omni tempore difficilis, tum illis, nisi pejora insecuta essent, pessimis temporibus, post tot enatas novas, veteres renatas Haereses, multo difficilior. Vires, quum vel maxime vigerent, admodum exiguae, et tunc, accrescentibus annis, fractae plurimum imminutaeque. Memoria fragilis et infida. Impediti oris, in hac etiam balbescente senectute, infantia. Vel ipsius Latini sermonis, post quinque tum superque lustrorum absentiam, insolentia. Perorandi, praelegendi, disputandi, determinandi, caeteraque quae hujusce sunt muneris praestandi, quae fortassis ab his exigi fas est qui assidui sunt in hac palaestra, facultas siqua olim inerat, quum in his studiis aliquantulum versaremur, et quantilla tum illa! exoleta jam prorsus, et plane nulla. Denique, ut minutiora illa praeteream, longinquae migrationis, cum famulatu et supellectile qua libraria qua domestica, taedium, reliquaque ab re familiari incommoda: vel is unus, quem et fateri pudet, pudor plusquam subrusticus, et (quam facile patior amicos amoris quodam errore modestiam interpretari) invirilis quaedam verecundia. Insuperabilis illa quidem, ut quam natura insevit, firmavit educatio, fovit hactenus atque etiamnum fovet tenuitatis propriae conscientia; sed qua tamen vix aliud comperi quidquam a prima pueritia ad hunc usque diem, aut rationibus meis aut existimationi magis adversarium. Retundit haec assidue generosiores quosque animi impetus, eximium quid ausuri conatus frangit, memoriam pessime labefactat, sermonis

vim aut praeripit aut sistit, ut, quod mihi visus sum quandoque mente concepissem haud prorsus incommode aut abs re, hoc aut non ausim proloqui, statua taciturnior; aut si tentem, sic timide, sic gelide, sic id faciam haesitans, ut aliquanto nonnunquam praestaret non tentasse. Dicam verbo, et quod res est: una haec timiditas, et, si dabitis vocabulo veniam, haec infiducia mei, ut de munere hoc detrectando serio cogitarim, atque etiam aliud eam in rem tentarim, plus effecit quam caetera illa, quantumvis gravia, quae hactenus commemini, universa.

§. 2. 2. Occurrebant, dum isthaec cogito, ex adverso pauca quaedam, nec aspernanda, quae labantem animum nonnihil erigerent, cunctantemque subinde velut subjectis stimulis in hanc arenam propellerent. Optimi Regis iudicium, crebri amicorum hortatus, vester multorum, ut illi submonebant, et ego haud inexpertus humanitatem vestram facile credebam, in me prona affectus. Pepulerunt ista fateor, ut par erat, animum meum, quin et commoverunt; sed hactenus, ut tamen si meo unius arbitrato res statuenda foret, nec longa nec difficilis futura esset deliberatio. Quid enim? Patererne ego me aetate jam declivi, defectis viribus, memoria lubrica, balbum et pertimidum senem, ex suavissimo quo perfruebar otio et umbra, in apricum et in pulverem, iniquissimo tempore, post quinque et viginti annorum missionem, quasi postliminio, et invitum rapi? et quae me poterant satis expurgasse cicutae, si lubens consensissem? Quis non omnem mihi Anticyram destinatam crederet, ni abnuissem, et, quoad verecunde licuit, restituissem?

§. 3. 3. Ergone perduci poteras, inquietis, ut conditioni tam iniquae acquiesceres tandem, sanus utrisque auribus atque oculis? Poteram, ut videtis, et perductus sum: ita sunt ut res humanae, sic et consilia incerta. Sanusne an secus, ubi facti rationem edidero, vosmet iudicate. Certe non ego hac in re vel ingenio meo obsecutus sum vel etiam iudicio, cui ut optatius fuit, ita visum est salutarius, in tenebris latitare securum, quam cum labore et periculo prodire in scenam. Immo vero egi cum amicis, qui apud serenissimam Regiam Majestatem videbantur aliquid posse, idque non una vice, coram et per literas semel atque iterum obtestatus per omnem amicitiam, Regis animum pertentarent fieri ne posset sine ipsius offensione, ut de hac Cathedra aliter statueretur, nec ego tam importunum onus tam imparibus humeris sustinere cogerer. Pertentant: renunciant

fieri non posse : perstare in sententia Regem : quod ante jus-
 sisset et id ratum esse velle : non utique obniterer porro
 frustra, sed onus, quod excutere non possem, qua possem animi
 alacritate subirem et perferrem. Haec admonitus, officii con-
 scientia, cujus voluntati obtemperare debui, ejus auctoritati
 cessi. Maxime quum altius assurgerem, nam quae hactenus
 dicta sunt ad humanas tantum rationes pertinent, et ut decuit
 hominem et Christianum et Theologum, summam Dei Optimi
 Maximi providentiam, singula quae in terris aguntur vel minu-
 tissima quaequae, prout ipsi collibitum est, et suaviter et for-
 titer moderantis, diligentius cogitarem. Scilicet *est cor Regis* Prov. xxi.
in manu Domini, sicut derivationes aquarum, et pro bene-
*placito suo convertit ipsum.** Haec ego quo saepius et atten-
 tius cum animo reputavi meo, eo mihi propius conjunctam cum
 Regia voluntate Divinam etiam vocationem visus sum contueri.
 Siquidem nihil aliud est, quantum ego quidem adhuc intelligere
 potui, ordinaria Dei ad aliquod munus vocatio, † quam ab his
 penes quos est plena et legitima de ejusmodi rebus statuendi
 potestas, personae ipsorum iudicio non inidoneae, nulla interce-
 dente prava ambitione, dolo, malisve artibus, designatio. Per-
 vicit itaque omnia impedimenta, omnia objectamenta diluit,
 duplex illa parendi necessitas, Voluntati Regiae, Divinae Vo-
 cationi. Quo mihi paratiorem apud omnes bonos, apud omnes
 aequos rerum aestimatores excusationem fore confido, si, quod
 indubie futurum prospicio, in obeundo hoc tam illustri, tam
 arduo munere, nec votis meis nec vestrae exspectationi satis-
 facerem. Dabo tamen operam officio utcunq̄ue ut satisfaciam
 meo; et sane, ut aliquid saltem de me fidenter dicam, spero me
 aliqua ex parte satisfacturum, illud si concedatis quod omnino
 concedi debet et est verissimum, non satisfecisse officio qui se
 ingressit, ni fecerit quod debuit; satisfecisse qui admotus est, si
 fecerit quod potuit.

4. Exposui pluribus, Auditores, provinciam hanc quo consilio §. 4.
 jam olim susceperim. Cur in ea administranda toto quadriennio
 nil gestum sit, si forte requiratis, paucioribus expediam. Quo
 tempore reverendus in Christo Pater, Vigorniae Episcopus, ‡

* See Sermon ii. ad Aulam, §. 24.

† See Sermon iv. ad Populum,
 §. 32, &c.

‡ John Prideaux, Rector of Exeter

College 1612-1642; Regius Pro-
 fessor of Divinity 1615-1642; Bi-
 shop of Worcester 1641-1650.

Cathedra Pastoralis conscensa, Doctoralem hanc quam per multos jam annis plurimum ornaverat, mihi successoris designato reliquit (fuit id aestiva vacatione circiter Kal. Sextiles,) discessi tum hinc ea mente ut, proximo Termino Michaelis, certo etiam die constituto, Kal. scil. Novembribus, reverterer, res domesticas interea componerem, eaque curarem quae reditum maturarent. Quid multa? Curo, compono, 'et totus in hoc sum.' Gliscere jam tum similitates publicae, magis magisque indies universa in pejus ruere, ardere passim omnia discordiis civilibus, versari in ore, in auribus, in oculis omnium nil nisi bellici apparatus, armorum strepitus, tumultus militum. Ego tamen pergo, sed segnius aliquanto quam occoeperam, vasa colligere, sarcinas complicare, capsas et cistulas rebus necessariis implere; ex quibus una, magno meo cum infortunio paulo longius domo mea eo fine praemissa ut huc commodius asportaretur, post aliquot menses cum supellectile quam habui pretiosissima incidit in glutinosas manus bonorum illorum virorum, quibus pro jure vis est, et arma pro legibus: unde eam mihi reglutinandi nulla jamdiu reliqua est aut facultas aut spes. Sed quod amissum est, missum facio, et pergo. Instat tandem destinatus itineri dies, et erant quae ad profectionem videbantur necessaria, pleraque expedita. Praestolabar tantum tabellarium hinc cum literis, ex quibus nonnulla quae mihi usui forent et rescire intererat intelligerem. Miror hominem condicto die non adesse: exspecto adhuc diem alterum, tertium, quartum: comparet nullus: quinta demum luce venit, sed pedes, inops, squalidus, et moestus. Nempe acciderat forte per illa tempora, ipsissima hac fere anni tempestate, praelium illud atrox, et utrique parti satis funestum Monticlivense, sive ad *Edge-hill*:* unde disjecti sparsique per oppida longe lateque milites vicina quaeque loca occupabant et vias undique publicas nefariis depraedationibus infestabant. Narrat misellus homuncio, ut in hos incideret, ut se minis contumeliisque pessime exceptum, equo, vestitu, nummis, et tabellis exspoliaverint: docet omnia rapinis, latrociniiis, concussionibus, terroribus plena: quoad ardor ille belli refrixerit, intuta omnia viatoribus. Quibus auditis, necessitati iterum parendum ratus, abjeci profectionis consilium, certus memet domi continere, donec

* October 23, 1642.

resideret nonnihil belli aestus, et immutata rerum facies spem ostenderet commodioris profectionis: quod ego sane, ut eram illarum rerum inexpertus, intra paucos saltem menses futurum non dubitavi. Sed heu! quam inanis fuit spes illa! Exarsit ex illo tempore multo quam ante aestuosius belli furor, pervagatusque est latius; et afflictiores indies res evasere publicae. Venit interea Oxonium cum exercitu serenissimus Rex Carolus: urbem vallo et fossa cingit, praesidio firmat: figunt hic stativa praetoriani milites. Abjecta igitur protinus omni spe et pacis publicae et reditus huc mei, quod reliquum erat, experiri statui, veterum illud *λάθε βιώσας* an aliquid contineret sanae ac solidae Philosophiae. Periculum feci, latui, eaque fui in proposita sententia, postquam ita constitueram, sive constantia mentis sive pertinacia, ut cum alias quam parcissime, idque non nisi magna cogente necessitate, tum integro prope modum biennio, non omnino aut ocreas induerim aut equum conscenderim, aut parochiolae meae angustissimos fines, qui ubi maxime patent vix sunt millenum passuum, vel latum pedem unquam excesserim. Quod quam animo meo fuerit jucundum, quam rebus meis salutare, nec ego satis oratione complecti, nec vos existimatione consequi potestis. Qua in re ingrattissimus essem quotquot sunt usquam mortalium, si non Providentiae Divinae vim, sapientiam, bonitatem et agnoscerem lubens et laetus depraedicarem, cujus singulari beneficio factum est, ut quod paucissimis in tanta rerum perturbatione contigisse reor, mihi domi meae inter meos considerare licuerit; libris, literis, otio frui; et quod ad animi mei fructum maximum duco, illibatam una cum libertate conscientiam et dignitatem conservare. Scilicet ab domo abductus sum mea, iniqua ut tum videbatur conditione, sed, Deo providente, non infelici tamen; ut alium quemdam Verbi praeconem* belli lege captivum in libertatem redimerem; virum sane gravem et disertum, quicum intercesserat mihi a multis ante annis ex vicinia et longo usu non levis animorum conjunctio et amicitiae quaedam necessitudo. Ne longum faciam; uterque tandem data utrimque fide publica ita domum remissi sumus, ut communis incolumitatis mutui invicem obsides essemus. Haec fides sancte servata, utriusque nostrum in hoc tanto rerum aestu tranquilli-

* 'Mr. Clarke, the Minister of Alington, a town not many miles from Boothby Pannel.' See Walton's Life.

tatem securam praestitit. Sicque mihi, auspice Dei bonitate, brevis procella longam peperit halcyoniam.

§. 5. 5. Verum, ubi post deditam hanc urbem, immutatamque in tantum rerum conditionem, ut saltem itinerantibus securiores essent viarum transitus, oblatam mihi opportunitatem sensi Academiam revisendi: de ornanda hac quae mihi obtigisset Sparta denuo cogitare coepi. Nempe contractam longo situ seu rubiginem, seu scabritiem ocuis abrasendam, excutiendum omnem torporem, reptandum e latebris in apricum, ingenium deses et inurbanum qua pote excitandum, et ad Academicos mores, studia, institutaque paulatim efformandum: hoc est, ut ego interpretor, vim naturae faciendam, et vel invita Minerva Minervam colendam. Statui itaque, sed communicato prius per literas cum amicis consilio, ad medium Octobrem adesse, si et illis id opportunum videretur. Rescribunt non sibi id opportunum videri, sed necessarium, adeoque ab omnibus expectari; proinde advolare, de praelegendo aut disputando nec sollicitus essem; nec enim in tanta Academiae solitudine, in mediis castris et inter arma, ubi silere solent leges, istarum rerum rationem ullam haberi, nedum expectationem. Pergratum id fuit homini et semper cunctatori, et subire onus ignavo, maxime et imparato. Quamprimum itaque per alias occupationes et continuos imbres licuit, huc advolo, ita securus ab omni publici officii metu, ut ne vel solitariam schedam adversariarum annotatiuncularum mecum attulerim. Alium enim mihi proposueram istiusce itineris finem duplicem. Alterum, ut de Academicarum rerum praesenti statu certius aliquid praesens cognoscerem; alterum, ut de futura praelegendi ratione cum viris amicis et prudentibus consilium caperem. Sciebam enim vi Statuti atque etiam officii Praelectiones habendas esse; sed in praelegendo quam potissimum viam insisterem, ut id sequeretur quod Theologiae studiosis et gratissimum esse posset et utilissimum, id vero nisi ab his edoctus qui quid maxime esset ad gustum et sensum eorum qui nunc sunt hominum exploratum haberent, scire non poteram. Ast ubi advenissem, vix salutatum resalutatamque est invicem quum mihi nova occinitur cantilena, Praelectiones ordinarias pro more solito a Professoribus expectari. Egone? ut aliquid sic insperatum praestem, hac temporis angustia, hospes, et harum rerum insolens, et quem tot alia premunt incommoda? Fieri

non potest, inquam. Illi contra, At fieri oportet. Tunc ego mecum, Jam ergo teneris, nec est aut elabendi spes aut deliberrandi locus. Sed bono es animo. Non est impossibile, nisi nos Dialectici fallant, quodcumque est necessarium :

. . . δύναιμι γὰρ ἀνάγκης ἔγγυθι valei.*

Audendum ergo aliquid ; et nunc tertium, quod a te his antea factum est, necessitati parendum. Protinus ergo et calamum et chartas et scrinia posco ; et dum meditor, pro more publice profitentium, aliquid ipso in limine praefari, quod apud humanitatem vestram habiturum esset justae excusationis instar, dum eam in rem scripturio nescio quid subsicivis horis et subsultoria opera, exit tandem de re nihili, hoc est de me, et de rebus, factis, consiliis meis, jejuna haec et, ut vereor, nimium importuna narratiuncula.

6. Quam, quo mihi videmini pronioribus animis et auribus excepisse, eo confidentius ad illa accedo quae supersunt dicenda ; et spero vos facile exoratum iri, ut qua me attentione et patientia hactenus prosecuti estis de praeteritis rebus disserentem, eadem prosequamini porro, dum quid ego vobis in posterum spondeam, quidque a vobis vicissim petam, qua potero brevitate exposuero. Prius illud quod attinet, imprimis aperte profiteor non esse me ex illorum numero, quibus cordi est litem ex lite serere, rixas ciere doctiores quam componere, quique controversias novas movere malunt quam summovere veteres, et contentionis funem trahere quam abrumpere : ingeniosi suo, fortassis et aliorum, iudicio ; sed certe malo publico.† Est haec gens hominum numerosa satis et multigena ; sed in triplici fere discrimine. Sunt qui suo nescio quo malo genio, vel etiam odii invidiaeve oestro perciti, alienorum operum Aristarchi fiunt et censores severissimi. Executiunt hi non sententias modo et locutiones hominum, sed et vocum et syllabarum minutissimos quosque apices. Si erratum est in re aliqua quamvis levissima, si quid forte aut vehementius aut temperatius dictum quam pro ipsorum palato, vociferantur continuo, insectantur, damnant, et tantum non diro anathemate feriunt. Si quid obscurius prolatum aut ambigue, trahunt semper in deteriorem partem ; et ne desit calumniae locus, sensum ei de suo affingunt. Quod ita sanum, solidum, pulchrum est, ut non

§. 6.

* Pythagoras, Carm. Aur. 8.

† See Sermon viii. ad Aulam, §. 8.

audeant vituperare, quod vituperio proximum est, maligne laudant. Est alterum genus eorum, qui, aut ex inanis gloriae cupiditate, nova et inaudita opinionum monstra in Ecclesiam invehunt, quorum est hoc infelix saeculum longe feracissimum, aut, *μικροφιλοτιμία* quadam laborantes, pulchrum esse ducunt inutilibus distinctiunculis et subtilitatibus, aut puerilibus inaniis, gratiam apud adolescentes captare, aut risu diducere rictum auditoris. Disputaturientes Theologi, nec veteri Stoicorum vulgo multum absimiles, qui severiorem professi Philosophiam, in exilibus tamen Grammaticorum *λεπτολογίαις* vel Dialecticorum argutiolis omne aevum transegere. Tertium genus latissime patet; estque eorum hominum qui aut studio partium sic illos admirantur quibus se magistris addixerunt, ut sibi nefas esse putent ab eorum placitis vel latum unguem discedere; aut odio partium ita se demum satis esse religiosos existimant, si ab eorum sententia, quos sibi adversarios constituerunt, quam longissime recesserint. Hinc alios effectos videas *ἀμετρίας τῆς ἀνθολκῆς** ex Antipapismo Semianabaptistas, alios ex Antipuritanismo Semipapistas, alios—sed piget ista ulterius prosequi tam innumera, tam ingrata; et ad alia festino. Harum ne in ulla classe nomen censerì mereatur meum, Deum cordis mei conscium testem advoco, cui *servire in spiritu Filii sui* ante omnia cupio, ea me mente ad hoc munus accedere, non ut propriae existimationi aut affectibus, non ut alterius cujusquam voluntati aut gratiae, sed ut unis his tribus litarem, Veritati, Pietati, Paci. Et quidem spero precorque eundem illum Deum, cujus gratia hanc misericordiam haecenus consecutus sum, vilissimus licet peccator, ut tamen essem fidelis, largiturum mihi in posterum, pro sua bonitate, ne ab eadem hac mente ullis aut mundi illecebris, aut machinis tentationum, aut temporum inclinationibus unquam dimovear. Cujus ope fretus, ut caetera non ausim polliceri quae non sunt mearum virium, spondeo vobis tamen in fungendo hoc munere, quoad Deus permiserit, sinceritatem, fidem, et postquam hospes esse desiero, diligentiam.

§. 7. 7. Sunt et nonnulla, *Viri Patres et Fratres*, ut ad ultimum illud orationis meae caput tandem accedam, quae a vobis ego vicissim exspecto, vel saltem expeto: compluria illa quidem,

* See the Preface to the Sermons printed in 1655, §. 12. Vol. ii. p. xii. of this Edition.

si aut mihi vacaret exsequi, aut vobis audire singula. Sed praeterquam quod id nimis longum esset, est quoque ut mihi videtur non multum necessarium; nam qui humanitatem dixerit, hunc ego omnia illa una voce complexum esse arbitror. Cogitate, obsecro, quantae sit molis, non cum uno jam Typhone Romano, quae fuit quondam praecipua et paene singularis in hac arena concertatio, sed cum tot efferis gigantibus, Socinianis, Pelagianis, Antinomis, Anabaptistis, Erastianis, aliisque succrescentibus quotidie velut Hydrae capitibus, novis haeresion monstris, quorum vix audita vulgo nomina nedum satis explorata dogmata, manus conserere. Cogitate cujus sit artis anguillas illas lubricas et coeno gaudentes,—sed quid ego anguillas dico? Apage diminutiva; quin angues potius μέστρος τοῦ θανατηφόρου:—Sectarios, inquam et Sophistas—e cavis et limo quibus se abdiderunt eruere, in lucem protrahere, ita constrictos tenere, ne qua aut toxico noceant, aut elabantur lubrico. Cogitate quantae sit solertiae, latentem sub ovilla veste lupum deprehendere;

Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora

Cederet, introrsum turpis;

Hypocritarum et Enthusiastarum, qui obtentu Reformationis Orbi illudunt, qui sub larva Spiritus carni militant, qui libertatem prophetandi sibi arrogant ut aliis licentius imponant, quid sibi vellent, et quo tendant occulta consilia sapienter perspicere, eorumque conatibus tempestive et prudenter obvenire. Τίς πρὸς ταῦτα;* Quotusquisque est ea narium sagacitate, ea perspicacia oculorum, ea lacertorum et laterum firmitate, ut ad ista omnia debita peragenda unus sufficiat? Ista si cogitabitis, facile, ut opinor, et illud una existimabitis, mihi cui omnia jam dicta ex officio incumbunt facienda, omnino sub tam impari onere succumbendum esse, ni vos me fatiscentem usque et languentem cum omni humanitate vestra subinde sublevetis. Condonabitis itaque, ut spero, ingenio, pudori, memoriae, aetati, desuetudini, quidquid quacunquē in re nolens peccavero: si quid forte, inter disputandum aut alias exciderit non mature cogitatum, incongrue dictum, aut incommode enunciatum; si dictio aut phrasis non occurrerit rei de qua agitur exprimendae satis idonea; si memoriae diffisus, (quod me praedico,

* 1 Cor. ii. 16. Πρὸς ταῦτα τίς ἰκανός;

et alias quoties opus est facturum, et inter praelegendum constanter,) quae apud vos dicturus sum e chartis recitavero; si denique quod est ab antecessoribus meis quacunquē in re egregie praestitum, id ego vel non praestitero, vel admodum tenuiter.

§. 8. 8. Hujus autem vestrae in me humanitatis certius mihi pignus dare non potestis, quam si praesentis instituti mei consilium resciero vobis non improbari. Dixi modo, et vere dixi, nihil mihi adhuc certi constitutum esse, in hoc praelegendi officio, quam viam insisterem.

Utrumne, primo, quod a multis factum video, Epistolam aliquam Apostolicam analytice explicarem et scholiis illustrarem; corollaria inde, ad fidem et pietatem utilia, breviter deducere; controversias emergentes, digressionē facta, fusius pertractarem; loca revincendis Haereticis et Sectariis opportuna urgerem et confirmarem; vicissim quae sunt ab iis in rem suam prave detorta nativo sensui restituerem, utraque ab ipsorum sophismatis et cavillationibus vindicarem?

An potius, secundo, Historiam Evangelicam Domini nostri Jesu Christi, vel juxta filum narrationis unius alicujus quatuor Evangelistarum, vel etiam magis ex omnibus harmonice contextam, proponerem et explicarem; et nodos historicos aliasque difficultates, qua *ἐκ φαινομένης ἀντιλογίας*, qua ex rei subiectae qualitate aut circumstantiis ortas, dissolverem?

An, tertio, pari ratione Historiam Sacram Ecclesiasticam ex Apostolorum Actibus et Epistolis secundum temporum ordinem dispositam?

Vel etiam, quarto, integram Historiam Biblicam utriusque Testamenti a Mundo condito ad constitutam usque ab Apostolis Ecclesiam Christianam perpetuo filo deducere, et rerum gestarum exempla ad usum conscientiae et vitae institutionem, quoad res ferret, accommodare?

An, quinto, ex Textu aliquo Scripturae breviter exposito, locum communem Theologicum, maxime de re aliqua Fidei controversa, proponerem methodice explicandum: ut, de Scripturae Perfectione, de Satisfactione Christi, de Auctoritate Ecclesiae, de Peccato Originali, de Justificatione Fidei, de Merito Operum, de Purgatorio, Transubstantiatione, et id genus aliis.

An, sexto, locum aliquem communem Theologiae Practicae sive Moralis pari modo explicarem, et Casus dubios Conscientiae

eo pertinentes ex certis agendi regulis et principiis illustrarem et dissolverem : ut, de Votis, de Juramentis, de Scandalo, de Rebus Adiaphoris, de Libertate Christiana, de Obedientia et Subjectione, de Civilibus Contractibus, de Divortiis, de Restitutionibus, aliisque ad Dei Cultum aut ad fraternae dilectionis et justitiae officia spectantibus ?

An, denique, utramque Theologiae partem, Scholasticam dico et Moralem, sic pariter excolerem, ut neutra se merito conqueri posset neglectam penitus aut exclusam ; sed, alternis Terminis ac vicissim, nunc in Controversiis Fidei dirimendis, nunc in Conscientiae Casibus enucleandis, exercerer ?

9. En vobis indicavi, quotquot estis Theologiae studiosi, quae cum aliqua vestra utilitate fieri posse videbantur, singula. Vestrum erit statuere ex his quid fieri velit. Qua vestra inclinant studia, hac me comparabo ; et quod plerisque vestrum gratissimum esse sensero, id universis utile judicabo. Sed enim hoc unum interim non possum dissimulare, ad practicam hanc Casuum Theologiam sponte sua et quasi natali ingenio multo propensiolem esse animum meum, quam ad illam rixosam Controversiarum. Quum itaque mihi nunc aliquid esset necessario et subito faciendum, nec qua spiraret favoris vestri aura in hac tanta temporis angustia satis explorare possem, obsecutus ingenio meo, ad Moralem Theologiam inflexi cursum. Quumque cogitarem quam sit grave Perjurii peccatum, Deo pariter et hominibus exosum, simulque animadverterem quot hominum myriades his perturbatissimis temporibus tam nefario crimine se implicuerint, dum, aut hominis metu* adacti aut inducti dolo, Juramentis se obstrinxerunt variis, et interdum sic inter se adversis ut alterutrum sine certo Perjurii periculo nec suscipi potuerit nec praestari, existimavi non potuisse me utilius operam collocare, quam si aliquid quod ad Juramenti et Perjurii rationem pertineret discutiendum susciperem ; atque ex tota hac materia delegi potissimum eam partem hoc Termino explicandam, quae est de Obligatione Juramenti, de Juramenti, inquam, Promissorii Obligatione. Ordiam autem hanc Tractationem, Deo volente et auspice, comite patientia vestra,

§. 9.

* 'hominis metu.' So I have ventured to read on the supposition that Sanderson intended a reference to Proverbs xxix. 25. The First and

Second Editions have 'aut vobis metu.' All the subsequent Books which I have seen exhibit 'aut metu.'

die Veneris proximo, hora consueta. Unicum illud interea a me exorandi estis, *Viri Patres et Fratres* perdilecti in Christo, pro summa vestra humanitate et pietate, Deum Optimum Maximum, omnis Boni Fontem et Largitorem, mecum comprehendimini, ut in omnibus meis studiis et conatibus sic me Spiritu suo regat, Verbo dirigat, Benedictione prosequatur, ut ea sola sentiam, faciam, doceam, cum omni sobrietate et prudentia, quae Ipsius gloriae, Ecclesiae Christi aedificationi, Matris Academiae honori et ornatui, studiosorum in vera Fidei et Conscientiae puritate profectui, meae denique ipsius et paci internae et aeternae Saluti aliqua ex parte inserviant, per et propter merita Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu Sancto, Triuni Deo, sit omnis Honos, Laus, et Gloria in saecula saeculorum. Amen.

DE

JURAMENTI OBLIGATIONE.

PRAELECTIO PRIMA.

NUM. XXX. 3.

Vir si voverit votum, aut si juraverit juramentum, ligando ligamen super animam suam, non polluet verbum suum : secundum omne quod egressum est ex ore suo, faciet.

DE qua expeditius et vestro majori cum fructu dicturum me arbitror, si in ipso statim vestibulo futurae Tractationis generalem quasi typum et *σκιαγραφίαν* vobis ante oculos posuero. Sic enim et vobis melius constabit instituti mei ratio, et ego certas orationi meae metas figam, ut aut intra debitos fines usque se contineat, aut siquando forte extra oleas paululum procurrerit, non tamen ita laxè evagetur, quin ut possit mature et cito in ordinem cogi et ad lineas revocari. Tribus itaque capitibus rem totam absolvam. Primum, ut qua de re agitur clarius intelligatur, ostendam quid sit Juramentum in genere, quid in specie Promissorium Juramentum, quid item Obligatio. Deinde, quoniam de rebus incertis ex certis statuendum est, proponam Axiomata quaedam, sive *προλήψεις*, hoc est Regulas generales e fonte Juris Naturalis haustas, et communi gentium consensu comprobatas, velut Hypotheses et futurae disquisitionis *κριτήρια*, e quibus, ut conclusiones ex principiis in quibus virtualiter continentur, deducendae; et ad quas, sicut ad cano- nem et normam, exigendae sunt particularium Casuum decisiones. His duobus necessario praemissis, quorum ex altero lumen accipiant quae sunt post dicenda, ex altero robur et firmamentum, tertio demum loco, ad Dubia illa dissolvenda deveniam, quae aut nodum aliquem vindice dignum in se continere, aut piorum hominum mentibus et conscientiis scrupulum injicere posse videbuntur. Quae quum sit totius negotii prae-

§. 1.
Propositio
dicendo-
rum.

cipua pars, eaque longe diffusissima, conabor universam illam Casuum varietatem in certas classes redigere; idque secundum quatuor Causarum genera, quod ad Obligationis Vinculum attinet, rejectis in calcem operis, tum quae ad Vinculi illius ὁποιανοῦν Solutionem spectant, tum si quod aliud aut fuisse a me debito loco praetermissum deprehendero, aut alias ad vitae conscientiaeque institutionem posse utiliter attexi iudicavero.

§. 2.
Juramenti
Definitio.

2. Exhibito hunc in modum ὡς ἐν τύπῳ totius futurae Tractationis diagrammate, rem ipsam nunc tandem aggredior. Ubi primo explicandum occurrit, Quid sit Juramentum. De voce nulli litem moveo, seu quis Jusjurandum malit vocari, sive alia quacunq̄ appellatione. Neque vero opus est, ut hac in re vocis alicujus Latinae, Graecae, aut Hebraeae vim et originem, vel etiam δμωνυμίαν, συνωνυμίαν, aut παρωνυμίαν operosius exsequar. Efficit enim jurandi passim cacoethes, et rei sanctissimae his tam profanis moribus nimium familiaris abusus, ut quid sit Nominis nemini, ne puerulis quidem, possit esse ignortum. Rei ipsius Definitionem varie, ut fit, auctores expressere, pro suo quisque ingenio. Brevissima est illa Ciceronis: ‘Est,’ inquit, ‘Jusjurandum affirmatio religiosa.’^a Quo magis, ut illud obiter dicam, praecoces hujus aevi adolescentulos, nescio quo praejudicii errore, sed magno suo cum damno, Ciceronem ut nimiae prolixitatis scriptorem defugere, et miror et indignor. Sed redeo. Plenior Juramenti Definitionem si quis desideret, haec esto: Juramentum est Actus Religiosus, in quo ad confirmandam rem dubiam Deus testis invocatur. Hanc Definitionem membratim per partes explico.

§. 3.
Juramentum est
Actus Religionis.

3. Dixi, primo, quod sit Actus Religiosus. Actus hic ponitur loco Generis. Quamvis enim Juramentum sit proprie in Praedicamento Relationis, quia tamen respectus ille relativus qui in Juramento est fundatur in actione Jurantis, idcirco non incommode per talem Actum definitur: siquidem in definiendis Relativis plerumque adhibetur Generis loco aut Materia, aut Fundamentum illius Relationis. Quod autem sit Actus Religiosus, constat, primo, ex auctoritate Scripturae, Deut. vi. 13, ubi Moses ita populum alloquitur, *Dominum Deum tuum timebis, et ipsi servies, et per Nomen ejus jurabis.* Ex quo loco concludunt uno ore Scholastici Juramentum esse Actum Cultus,^b ut illi

^a Cicero de Offic. iii. 29.

^b Vid. Aquinas, Sec. Sec. Quaest. lxxxix. Art. 4.

vocant, Latria, id est Cultus sacri, soli Deo debiti. Constat, secundo, ex consensu omnium populorum, apud quos, etsi unius Naturae Lumine ducerentur, sanctissima semper est habita Juramenti Religio, usque adeo ut ipsa Sanctitatis, Religionis, aliaque his cognata vocabula apud rerum Gentilium Scriptores vix ulla alia in re frequentius usurpata occurrant, quam in hac materia Juramentorum; et, quum plurima ipsis alia sacra haberentur, Juri-jurando tamen soli, non alia de causa quam quod inter tot sacra sacerrimum quodammodo esset, peculiari quodam jure Sacramenti nomine remansit. Unde id nomen effluxit postea in Ecclesiam, nempe ob similitudinem aliquam cum militari Romanorum sacramento,^c ad alia tamen quaedam significanda. Quin et Gallis hodie ipsum etiam Juramentum, ex inclinato ad suae linguae formam Latino nomine, pro Sacramento *un Serement* appellatur. Constat, tertio, ex evidentissima ratione, quia Juramentum tendit in honorem Dei, per agnitionem Veritatis, Scientiae, Justitiae, et Potentiae Divinae. Etsi enim Juramentum falsum, vel leviter, temere, aliasve indebite susceptum, prodit quidem ex parte Jurantis irreverentiam quandam vel potius contemptum Dei, et nimis sapit Atheismum, ipse tamen jurandi actus ex natura sua Divini nominis reverentiam includit. Quum enim omne Juramentum adhibeatur ad id confirmandum quod a Jurante dicitur, et fieri debeat omnis confirmatio per aliquod certius et majoris auctoritatis, *ἄνθρωποι μὲν γὰρ κατὰ μείζονος ὀμνύουσι*, Heb. vi, *Homines per majorem jurant*, qui jurat, ipso facto agnoscit Deum se superiorem, summae auctoritatis testem, infallibilis veritatis, *καρδιωγνώστην*, omnisque perjurii ac falsitatis justissimum et potentissimum Vindicem. Est ergo Juramentum Actus Religiosus.

4. Dixi, secundo, In quo Deus testis invocatur. Ubi sunt tria, Deum adhiberi, et ut testem, idque per modum invocationis. Deus imprimis in omni Juramento advocatur.^d Quantumvis enim et Ethnicis, et Judaeis, et Christianis solenne olim fuerit, aut per creaturas jurare, aut saltem inter jurandum tacito Dei Nomine creaturas solum nominare, ut infinitis

§. 4.
In Juramento
Deus testis
invocatur.

^c Ὀρκος στρατιωτικός. Dion. Halicar. vi. 23. Primum militiae vinculum est religio. Seneca, Epist. 95.

^d πίστωσης ἐμμέσφ Θεῷ. Gregor.

Nazianz. in Defin. [? Carm. Moral. xxiv. 73. Μέσον τέθεικας τὸν Θεὸν τῆς πίστεως. tom. ii. p. 498. Paris. 1840.] *Juramentum Domini*, Exod. xxii. 11.

testimoniis e Scriptura Sacra et aliunde petitis, si id opus esset, probari posset; quorum utrumque, an et quatenus fieri liceat, disserere non est praesentis instituti: in omni tamen Juramento, quod quidem est proprie et formaliter Juramentum, aut explicite, aut saltem implicite Dei testimonium adhibetur. Nam et qui per Idola jurat, quae revera *nihil* sunt, et *non* Deus, jurat per ea quae putat esse Deos; et qui per aliquam creaturam jurat, id facit aliquo modo in ordine et ratione ad Deum, quia creaturam testem advocat tanquam aliquid Dei, in quo scilicet refulget Dei Veritas, Bonitas, et Potentia, et quo se tum agnoscit per Dei Misericordiam frui, tum nollet per Dei Justitiam privari. Verbi gratia, si quis juret per vitam, per animam, per caput, per salutem suam, &c. perinde est ac si diceret, per illum Deum cui vitam,^e animam, caput debeo; a quo salutem exspecto, &c. Et per hanc particulam distinguitur Juramentum a nuda assertionem vel promissione; quae ambae fiunt hominibus, sine aliqua Nominis Divini aut expressa aut tacita interventione. Adhibetur autem Deus ut testis; et per hoc distinguitur Juramentum a Voto. In Voto enim transigitur cum Deo ipso, ut cum Parte cui Vota immediate nuncupantur; ast in Juramento transigitur cum homine; Deus autem adducitur, non ut Pars, sed ut Testis. Dixi autem in Definitione Deum Testem ἀπλῶς et praecise, non autem Judicem aut Vindicem, quod tamen est a nonnullis additum: vere quidem, sed fortassis non necessario; et abesse debet a Definitione omne superfluum. Fateor utrumque facere eum qui jurat; viz. Deum et testem adducere veritatis ejus quod dicitur, et vindicem falsitatis; sed illud primario et per se, hoc secundario et ex consequenti. Nam ut Deus attestetur veritati, pertinet per se ad naturam testimonii; sed ut puniat falsitatem, non tam ad naturam spectat testimonii, quam ad effectum. Sed nec satis est ad Juramenti rationem, ut Deus testis adducatur, nisi et invocetur. Potest enim Deus ut testis adhiberi, idque ad rei dubiae confirmationem etiam sine Juramento. Ut si ad confirmandam hanc thesin, non esse imagines adorandas, adducerem aliquot Scripturae loca, proculdubio hoc esset adducere Dei testimonium ad confirmationem

1 Cor. viii.
4.
Jerem. ix.

^e Qui per salutem suam jurat per Deum jurare videtur; respectu enim Divini Nominis ita jurat. Ulpian. l. 33. ff. de Jurejur. [Digest. Lib. xii. Lex 33.]

rei dubiae; et tamen proculdubio hoc non esset Juramentum. Est enim longe aliud citare Deum testem, respectu testimonii jam olim exhibiti, quod citra invocationem fieri potest: aliud invocare Deum testem, respectu testimonii jam nunc exhibendi, in quo Juramenti quasi formalis ratio consistit.

5. Dixi, tertio, et est ultimum Definitionis membrum, invocari Deum testem ad hoc, ut confirmetur res dubia. Quibus in verbis continetur Juramenti tum Finis, tum Materia sive Objectum. Juramenti Materia circa quam, sive Objectum, est Res dubia, hoc est, cujus certitudo ita pendet ex fide dicentis, ut non possit ulla alia ratione commode investigari. *Μαρτυρία Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητημένου*, inquit Philo.* Unde, primo, Scibilia, qualia sunt res Universales, quae certae sunt semper sibi que similes, nec possunt aliter se habere; secundo, res Particulares, quae nituntur sensuum testimonio, aut sunt ita indubie certae ex monumentis historiarum traditione universali, aut alio publico et ab omni falsi suspicione immuni testimonio, ut apud eos qui sunt sanae mentis nullus possit esse dubitandi locus, non sunt idonea Juramenti materia. Quam enim ridiculum foret, et a sobria ratione alienum, si quis Juramento confirmare velit Triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis, aut Virtutem esse propter se expetendam, aut Aristotelem fuisse Philosophum, vel Cicero-nem Oratorem? Aut si adolescens disputans in Scholis, cui propositio negata incumberet probanda, destitutus argumento, juraret eam esse veram? Res ergo Particulares, ut sunt facta singularium hominum cum suis circumstantiis, quae, propter varios casus et contingentias quibus sunt obnoxiae, ita sunt mutabiles et dubiae, ut de his nulla possit haberi certitudo per demonstrationem aut alia, nisi quae pendet ex fide humana, sunt eae, quibus confirmandis proprie inservit Juramentum. Quod innuit Apostolus, Heb. vi, per illud *πάσης ἀντιλογίας*. Quasi diceret, Ibi jurijurando locus est, ubi contradicendi finis nullus est; uno, puta Accusatore, affirmante; altero, puta Reo, negante: nisi interposito Juramento altera

§. 5.
Materia Ju-
ramenti est
res dubia.

* De Decem Oraculis, ii. 195. ed. Mangey. *πραγμάτων ἀμφισβητουμένων*.

f Derisibile enim videatur si quis in disputatione alicujus scientiae, vellet propositum per Juramentum

probare. Aquinas, Sec. Sec. Quaest. lxxxix. Art. 1. 3.

ε φάσις ἀναπόδεικτος. Aristot. Rhet. ii. [ad Alexandrum, cap. 18. "Ὀρκος δ' ἐστὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος.]

parte contradictionis confirmata, cessaret pars altera, et sic tota lis terminaretur.

§. 6.
Finis Jura-
menti Fi-
des.
Heb. vi. 16.

Rom. iii. 4.

6. Et haec Confirmatio (*βεβαίωσις* vocat Apostolus loco jam dicto), est ipsissimus Juramenti Finis. Nam quum res Particulares incertae essent et dubiae ob earum contingentiam, nec possent probari nisi per testes, esset autem humanum omne testimonium valde infirmum et fallibile, ex duplici maxime defectu; Scientiae, scilicet, multa enim nos latent, et Conscientiae, quum sit *omnis homo mendax*; et tamen expediret hominibus, ut de rebus inter ipsos controversis et mutuo agitatae haberetur aliqua certitudo, qua sine nulla esse inter homines fides aut justitia, quae sunt firmissima vincula humanae societatis; necesse fuit recurrere ad testimonium Dei, qui nec fallere potest nec falli. Sicque receptum est apud omnes gentes, ex instituto Dei, vi juris naturalis, velut huic malo congruum remedium,^h Juramentum. Omnium iudicio *μεγίστη παρ' ανθρώποις πίστις*, inquit Diodorus Siculus;* et Dionysius Haliarnasseus *τελευταία πίστις*;† et utroque elegantius major utroque Apostolus *πάσης αντιλογίας πέρας*, Heb. vi. Huc ubi ventum est, *Ne plus ultra*, sistat se oportet omnis humana disceptatio et contradictio. Non quod omne quod Juramento confirmatur sit simpliciter certum; tum enim nulla essent Perjuria, quorum heu nimium plena sunt omnia. Sed quod in hac mortalium conditione, ubi perutile visum est Divinae Sapientiae humanum genus in multa rerum caligine et incertitudine versari, quo magis supernis rebus quae certiores sunt animum adjicerent, nulla potest esse major fides humana, quam quae Juramento, per invocationem Divini Nominis, quasi de coelo attestata et confirmata est.

§. 7.
Dati Jura-
menti Defi-
nitio conti-
net quatuor
Causarum
genera.

7. In hac Juramenti Definitione, ita ut audivistis evoluta, continentur aliquo modo omnes Juramenti Causae. Primum illud membrum, quo dicitur esse Actus Religiosus, ejus nimirum qui jurat, necessario includit agentis, hoc est Jurantis,

^h Maximum remedium expediendarum litium. l. i. ff. de Jurejur. [Digest. Lib. xii. Tit. ii. Lex i.] Maximum dirimendarum causarum remedium. l. 3. sect. 8. Cod. de Jurejur. [Cod. Lib. ii. Tit. lix. Lex 2. sect. penult.]

* i. 77. *κατὰ τῶν ἐπιόρκων θάνατος ἦν παρ' αὐτοῖς τὸ πρόστιμον, ὡς δύο*

τὰ μέγιστα ποιούντων ἀνομήματα, θεοῦς τε ἀσεβούντων καὶ τὴν μεγίστην τῶν παρ' ἀνθρώποις πίστιν ἀνατρεπόντων.

† vi. 84. *τελευταία δὲ πίστις ἅπασιν ἔστιν ἀνθρώποις Ἑλλησὶ τε καὶ βαρβάροις, ἣν οὐδεὶς πάποτ' ἀναίρησει χρόνος, ἢ δι' ὀρκῶν καὶ σπονδῶν ἐγγυητὰς θεοῦς ποιουμένη τῶν συμβάσεων.*

voluntatem (quum sit omnis homo agens liberum, et actus humanus omnis voluntarius) ut Causam Efficientem primariam. Secundum Membrum exprimit Formale Juramenti, quod est Divini Nominis attestatio, sive Dei ut testis invocatio. Tertium membrum reliquam utramque causam complectitur, Materiam scilicet et Finem. Est enim propria Juramenti Materia circa quam versatur res dubia; cujus scilicet ex nudo dicentis testimonio apud eum quicum agitur non est satis firma fides; et proprius Juramenti Finis, ut ex invocato Dei testimonio res dubia habeat eam certitudinem, qua circa res humanas contingentes nulla potest esse major. Hoc eo dixi, Auditores, quo excusator apud vos esset haec mea in explicanda Juramenti Definitione prolixitas. Siquidem, ubi ad Casus dubios statuminandos, Deo volente, pervenero, quod me facturum pollicitus sum per respectum ad quatuor Causarum genera, tum demum vos omnes non dubito facile perspecturos, quam studiosis utile fuerit, quam instituto meo conducibile, ista quae sunt a me de Juramenti natura paulo explicatius dicta, praecognita habuisse.

8. Sed de Juramento in genere haecenus: explicandum proxime, sed paucioribus, quid in specie sit Juramentum Promissorium. Varias exstant apud Theologos et Jurisconsultos, pro diverso respectu, Juramentorum seu divisiones, seu distinctiones. Dividitur alias in Judiciale, et Extrajudiciale; alias in Publicum, et Privatum; in Simplex, et Solenne; in Nudum, et Exsecratorium; in Absolutum, et Conditionale; et alias aliter. Sed nobilissima omnium, nec ulli eorum qui de Juramentis scripsere, quod sciam, praetermissa, ea est qua distinguitur in Assertorium, et Promissorium. Quum enim in omni Juramento, ut ante dictum est, assumatur a Jurante Nomen Dei per modum invocationis in testimonium rei alicujus dubiae, advertendum est id posse contingere tribus modis. Potest enim res aliqua in dubium vocari, vel de praeterito, Itane fuerit, vel non fuerit: ut, Vidistine heri Caium in foro, vel non vidisti? Vel de praesenti, Itane sit, vel non sit: ut, Habesne pecunias quas apud te deposui, vel non habes? Vel denique de futuro, Itane futurum sit, vel non: ut Dabisne mihi cras mutuo centum, vel non dabis? Quoties ergo adhibito Juramento Deus advocatur in testimonium rei praeteritae vel praesentis, dici solet ejusmodi Juramentum Assertorium, quia

§. 8.
Juramentum Assertorium et Promissorium.

Jurans sine ulla in futurum sponsione, asserit tantum rem ita esse vel fuisse sicut ipse tunc jurat. Quod si Deus interposito Juramento invocetur in testimonium rei futurae, dicitur id Juramentum Promissorium: quia Jurans pollicetur se aliquid in posterum facturum vel non facturum. Assertorii usus praecipuus est in judiciis, ad lites terminandas maxime in quaestione facti: Promissorii exiguus usus est in judiciis; sed in promissis, pactionibus et contractibus plurimus. Exstant hujus generis Juramenti multa in Historia Sacra, et alibi passim, exempla. Jurat pie Abrahae servus, se Domini mandata in assumenda herili filio uxore fideliter observaturum. Jurant, Jos. ix. 15. sed incaute, Josue et viri Principes populi Israelitici foedus S. Matt. xiv. cum Gabaonitis. Juravit Rex Herodes, sed perquam temere, filiae Herodiadis daturum se quidquid postularet.

Gen. xxiv.
9.

Jos. ix. 15.
S. Matt. xiv.
7.

§. 9.
Juramentum
Comminatori-
um.
1 Sam. xxv.
22.
Act. xxiii.
12.

9. Advertendum est ulterius, sub Juramenti Promissorii appellatione comprehendi et Comminatorium, quale fuit illud Davidis de perdendo Nabale temerarium Juramentum, et impium illud quorundam Judaeorum Zelotarum, quo se devoverunt nihil gustaturos donec occidissent Paulum. Haec et alia id genus non sunt proprie Promissiones, quae vox potius rem alteri gratam significare videtur; sed per Synecdochen quandam cum Catachresi conjunctam, (quum alias familiare apud bonos auctores, tum praesertim in his dictionibus quae futurum aliquod spectant, ut *sperare pro timere*, et similibus) extendi potest Metaleptice Promissionis nomen et ad Comminationes.

Ps. xcvi. ult.

Deut. i. 8.

Ita Dei Juramentum illud, quo juravit in ira sua Israelitas qui ipsum variis provocationibus tentaverant in Eremo *non ingressuros in requiem suam*, non minus Promissorium dici potest et solet, etsi minus proprie, quam illud ejusdem quo juravit patribus eorum se daturum eis terram Chanaanorum in haereditatem.

§. 10.
Juramentum
Exsecratorium.

10. Neque vero, quod ad Juramenti Promissorii rationem aut effectum attinet, quidquam omnino interest nude proferatur Juramentum, an cum adjecta execratione. Etsi enim sint e Scholasticorum grege, quibus videtur Juramentum illud, quod fit per simplicem contestationem, specie differre ab eo quod fit per adjunctam insuper execrationem, ea ratione adducti, quod in illo Deus advocetur solum ut Testis, in hoc etiam ut Judex; tamen si rem attentius consideremus, ex ante dictis facile constat utrumvis fiat, perinde esse. Omne enim Juramentum, quocumque modo prolatum, sive nude sive ex-

secratorie, aut expresse aut saltem implicite Deum et Testem invocat, et ut Judicem; sed ut Testem, primario et per se; ut Judicem, secundario et consequenter; et est ea forma Juramenti explicatissima, quum explicite et Deus adducitur testis, et exsecratio vel imprecatio attexitur: ut si quis sic juraret, 'Deum testor qui me perdat ni fecero, me hoc vel illud facturum.' Sed plerumque fit ut, omissa nunc hac nunc illa parte, contractius juretur, ut ex illis exemplis Sacrae Scripturae, in quibus Deus pro more humano jurans inducitur, satis manifestum est. Ubi Deum jurantem reperire est, modo per simplicem attestationem sine ulla exsecratione, qualia sunt illa,

Vivo ego, dicit Dominus, Per memetipsum juravi, Per Sanctitatem meam, &c. modo sine aliqua expressa attestatione per solam exsecrationem, sed et illam, ob honorem et reverentiam tantae Majestatis, atque etiam pro more hominum verba mali

Ezech. xiv. 16, 18, &c. Gen. xxii. 16. Ps. lxxxix. 35.

ominisⁱ per aposiopesin fere reticentium, elliptice et diminute enunciata, in particulis **אם** et **אם לא** involutam et subauditam: ut in illo Psalmi, **אם יבאון**, *Juravi in ira mea, Si*

Ps. xc. ult.

introibunt in requiem meam. Illud interim videtur esse certum, omne Juramentum Promissorium, quacunque forma concipiatur, explicatiore vel contractiore, modo sit Juramentum et non mera Asseveratio vel Obtestatio, utramque virtualiter continere, Attestationem scilicet et Exsecrationem. Nam in Juramento, et Exsecratio supponit Attestationem, ut quid sibi natura prius; et Attestatio subinfert Exsecrationem, ut suum necessarium consequens. Scitum est illud Plutarchi, *πᾶς ὄρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας.*^k Et haec de Juramenti Promissorii natura sufficiant.

II. Reliquum est, ut de Obligationis etiam natura et vi aliquid ultimo demum loco attexam. De Obligationibus multa et satis prolixè Jurisconsulti. Definiunt autem illi Obligationem, quod sit 'vinculum Juris, quo quis astringitur ad solvendum id quod debet.' Quae Definitio non minus commoda erit iis rebus explicandis quae pertinent ad forum internum Conscientiae, quam illis quae versantur in foro externo Ecclesiae

§. II. Obligatio nis Definitio et Distinctio.

ⁱ μὰ τόν. Aristoph. in Ran. v. 2. [1374. Dindorf.] Ubi Scholiastes, ἔλλειπτικῶς ὀμνύει, καὶ οὕτως ἔθος ἐστὶ τοῖς ἀρχαίοις, ἐπίστε μὴ προστιθέναι τὸν Θεὸν εὐλαβείας χάριν, εἰώθασιν δὲ τοῖς τοιοῦτοις ὄρκοις χρῆσθαι

ἐπευφημιζόμενοι. Et, 'Male omninatis parcite verbis.' Horat. Carm. III. xiv. Hinc formulae, *Εὐφημίετε*, Bona verba, &c.

^k Plutarch. in Roman. Quaest. 44. [ii. 275 D.]

aut Reipublicae, si Juris vocabulum non contrahatur ad Jus Humanum positivum, sed ita extendatur ut universum etiam Jus Divinum et Naturale complectatur. Quum autem, ut ex ipsa illa Definitione colligitur, Vinculum omne obligatorium ex aliquo jure originem ducat, quemadmodum duplex est Jus, alterum Divinum et naturale, civile et humanum alterum, ita duplex est Vinculum sive Obligatio inde consurgens. Vinculum scilicet Naturale, quod obligat naturaliter et in foro interno, ex vi Legis Divinae; et Vinculum Civile, quod obligat civiliter et in foro externo, ex vi Legis humanae. Illud nonnulli Aequitatis Obligationem vocant, hoc Obligationem Justitiae. Sive id illi commode loquantur sive incommode, non disputo; nam, ubi convenit de re, quid opus est de verbis contendere? Sed quod iidem illi tertium addunt Obligationis genus, quod sit ex utroque priore mixtum, id certe aut parum commode faciunt, aut saltem minus necessario. Nam si quis ad idem officium praestandum, ut, exempli gratia, ad alendum parentes in senectute, et Lege naturali et Lege civili teneretur, non hoc esset nova Obligationis species ex utraque mista, sed potius duae Obligationes, conjunctae quidem Subjecto simul et Objecto, (Subjecto, in quantum obligant eandem personam, et Objecto, in quantum obligant ad idem officium) natura tamen et origine distincta. Ratio manifesta. Plures enim res non possunt producere ex mistione sui novam speciem, nisi cum aliqua sui immutatione reali. Unde Aristoteles¹ mistionem definit miscibilium alteratorum unionem. Oportet enim esse in omni mistione alterationem; et omnis alteratio est mutatio realis, ut patet in generatione misti ex quatuor elementis, non integris, sed refractis et alteratis. Ast ubi accedit priori Obligationi Obligatio nova, ut in praesenti negotio civilis naturali, nulla fit realis mutatio utriusve; sed prior illa Obligatio manet in eodem omnino statu in quo fuit ante accessionem novae posterioris. Sed nolo his subtilitatibus diutius immorari. Obligationem in hac Juramenti materia Naturalem sive Moralem vel solum vel praecipue intelligimus: Jurisconsultis illam alteram Civilem relinquimus.

§. 12.
Obligatio
ad Culpam
et Poenam.

12. Praeter illam Obligationis distinctionem ex Origine natam, per respectum ad Jus unde oritur Obligatio, est et alia

¹ De Gen. et Corr. i. 10. ult. [ἡ δὲ μίξις τῶν μικτῶν ἀλλοιοθέντων ἔνωσης.]

ab Objecto sumpta, per respectum scilicet ad Debitum solvendum, quo tendit et in quod fertur Obligatio. Duplex autem est Debitum. Debitum Officii, quod quis ex praecepto Juris tenetur facere; et Debitum Supplicii, quod quis ex sanctione Juris tenetur pati, si officium suum neglexerit. Priori sensu dicimus mutua charitatis officia esse Debita, quia Lex Dei illa praecipit, juxta illud, Rom. xiii. 8. *Nihil cuiquam debete, nisi ut diligatis invicem.* Rom. xiii. 8. Posteriori sensu dicimus Peccata esse Debita, ut in Oratione Dominica, *Dimitte nobis Debita nostra*: S. Matt. vi. et mortem aeternam esse debitam, juxta illud, Rom. vi. 23.^{12.} *Stipendium peccati mors.* Observandum tamen Debitum posterius contrahi ex insoluto priori: ita ut si quis Debitum Officii plenarie dissolveret, faciendo id quod Lex imperat, non teneretur aliquo Debito Supplicii ad patiendum id quod Lex minatur. Respondet duplici huic Debito duplex item Obligatio, ejusdem plane denominationis. Obligatio scilicet ad Officium faciendum, et Obligatio ad Supplicium perferendum; vel quod communiter dicitur et eodem recidit, Obligatio ad Culpam, et Obligatio ad Poenam. Ita tamen ut illa sit prior et potior, sicut natura sua, sic et intentione Juris. Tyrannidis enim est, non Juris, Poenam intendere aliter quam in ordine ad Culpam; et verum est illud Apostoli dictum etiam in hoc sensu, etsi fortassis alio rectius intelligendum, *Lex justo non est posita.* Tim. i. 9. Intendit ergo Lex primario, directe, per se, et ἀπλῶς, obligare ad Officium et Obedientiam; ad Supplicium autem et Poenam non obligat nisi secundo, indirecte, consequenter, et ex hypothese; supposito scilicet Officii aut contemptu aut neglectu. Utramque hanc Obligationem conjunxisse videtur Apostolus, Rom. xiii, ubi agit de subjectione Supremae Potestati debita: *Necesse est, inquit, subjici, non solum propter iram, sed et propter conscientiam.* Rom. xiii. 5. E quibus verbis tria colligo ad praesens institutum pertinentia. Primum, duplici Vinculo posse nos obligari ad idem praestandum; vinculo Officii, et vinculo Supplicii; hoc enim volunt illa, *διὰ τὴν συνείδησιν, et διὰ τὴν ὀργήν.* Alterum, priorem et potiore apud omnes pios esse debere Officii conscientiam, quam Supplicii metum. Tertiam, ex debito Officii praecise exurgere Obligationem Conscientiae. Unde etiam manifestum est, nos, quum de Juramenti Obligatione loquimur, quatenus Conscientiae res est, Obligationem illam intelligere primario et potissimum, qua tenemur Officium prae-

stare ; non eam, qua tenemur poenam Perjurio debitam sustinere.

§. 13.
Juramen-
tum est sua
natura ob-
ligatorium.

13. Positis duabus his Obligationum distinctionibus, illud porro sciendum est, Juramentum omne ex sua natura esse obligatorium. Ita ut si quis juret, non intendens se obligare, immo etiamsi juraret intendens se non obligare, nihilominus tamen suscipiendo Juramentum ipso facto obligetur, ut posthac suo loco, si Deo volente eo pervenero, plenius ostendam. Recte Cicero, ‘Nullum vinculum ad astringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt.’^m Sed quid dilucidius hanc in rem dici potuit, quam quod est a Mose dictum in ipso Textu? *Quum vir voverit votum, vel juraverit Juramentum, לאסר אסר על נפשו*, *ligando ligamen super animam suam*. Ubi geminatio illa ex Hebraeorum idiotismo plurimam habet emphasin, et auget significationem vocis. Ut *multiplicans multiplicabo*, et *benedicens benedicam*, id est, valde multiplicabo, valde benedicam, &c. sic *ligando ligamen*, id est, valde ligando. Quasi diceret, Etsi promissio vel nuda obliget Conscientiam, addita etiam asseveratione aut obtestatione fortius adhuc obliget, omnium tamen fortissime obligat Votum quod ipsi Deo nuncupatur, et Juramentum quod homini, sed Deo tamen teste, praestatur. Obligat ergo omne Juramentum Conscientiam, tam Assertorium quam Promissorium. De Promissorio, quandoquidem tempus futurum respicit, nulli potest esse dubium ; sed de Assertorio fortassis non sine ratione dubitari posset, ex eo quod omnis Obligatio est ad aliquod futurum ; dictum autem sit prius Assertorii Juramenti a Promissorio discrimen in hoc consistere, quod illud rem praesentem vel praeteritam respiceret, hoc futuram. Sed facilis est solutio. Nimirum Juramenti, qua tale, Obligatio non cadit primario super Objectum, sive Materiam Juramenti ; sic enim Assertorium Juramentum, cujus Objectum est res praeterita aut praesens, non posset Obligationem de futuro inducere ; sed Obligatio cadit immediate et directe super Subjectum, hoc est, Conscientiam Jurantis, qui in utraque Juramenti specie tenetur ad aliquod officium de futuro praestandum.

Gen. xxii.
16.

§. 14.
Obligatio-
nis in As-

14. Quod ut manifestius fiat, simulque liquido constet, quod explicandum suscepi, quae sit Juramenti Promissorii Obligatio,

^m Cicero, Offic. iii. 31. III.

ostendam ut potero utrique Juramenti speciei quid sit commune, quantum ad Obligationis effectum, et quid sit Promissorio Juramento peculiare. Concedendum autem est imprimis, quod est ex se ita evidens ut ejus contradictorium manifestam implicet contradictionem. Obligationem omnem ad officium respicere officium de futuro praestandum, hoc est, aliquanto saltem tempore, etsi fortassis minutissimo, post contractam Obligationem. Neque est observatu difficile, rem attentius paulo consideranti, hoc in omni Juramento tam Assertorio quam Promissorio contingere. Obligat enim se quisquis jurat ipso facto *πρὸς τὸ ἀληθεύειν*, hoc est, ad manifestandam veritatem in eo quod dicturus est, sive illud sit de re praeterita aut praesenti in Assertorio, sive de re futura in Promissorio Juramento. Et est ista Obligatio hactenus utrique speciei pariter communis: ita ut in utraque, si Jurantis verba animo non congruant, violati officii Culpae reus sit, et inde per necessariam consequentiam etiam et Poenae. Sed in Juramento Promissorio, praeter hanc Obligationem quae cadit super Conscientiam Jurantis, et est ipsi cum Assertorio communis, quatenus est Juramentum, est et alia ulterior Obligatio, ipsi propria et peculiaris, quatenus Promissorium est, quae cadit super Materiam Juramenti; cujus virtute tenetur promissorie Jurans, non solum intendere de praesenti id facere quod juravit, quod est *τὸ ἀληθεύειν*, ut scilicet verba animo congruant, sed etiam conari de futuro, quantum in ipso est, id implere quod juravit, ut facta verbis congruant. Hoc est, non modo obligat se ad id solum promittendum quod revera intendit, sed etiam ultra obligat se ad id omne faciendum quod jurando promisit. Quod vel ipsa verba Mosis in hoc versu clare ostendunt: *Vir, inquit, qui juraverit juramentum ligando ligamen super animam suam, secundum omne quod egressum est ex ore suo faciet*. Atque ita quam debui plene, et quam potui dilucide, exposui vobis sensum meum de primo capite hujus Tractationis, quid Juramentum, quid Promissorium, et quid Obligatio. Pergam reliqua, quo ordine proposui, proxima Praelectione, Deo volente, persequi.

sertorio et
Promissorio
Discrimen.

PRAELECTIO SECUNDA.

§. 1.
Praemo-
nitio de
stylo.

EXPOSITO superiore Lectione quid Juramentum in genere, quid in specie Promissorium Juramentum, et quid Obligatio, pergendum nunc porro ad proponendum, quod proxime pollicitus sum, quasdam *προλήψεις* sive *Hypotheses* instituto nostro accommodas, velut fundamento, aut, si malitis, canones et *κρίτηρια* totius futurae Disquisitionis, e quibus scilicet petendae sunt, et ad quas exigendae plerorumque Dubiorum determinationes. Sed unum vos interim, antequam id faciam, non jam exoratum eo, quod facerem si aut suspecta mihi esset vestra humanitas aut res ipsa non esset multo justissima, sed praemonitos tantum velim, mihi constitutum esse, dum reperiam quod rei de qua agitur uterunque significandae sufficiat, de verbis non ultra laborare, multo minus de sermonis puritate, nedum elegantia sollicitum esse.* Curent ista scilicet, quibus vacat et cordi est negotium facessere sibi non necessarium. Repetere soleo cum amicis non sine aliquo ‘risuque jocoque,’ quantum sudarit, ut tandem ineptiret magis, vir alias sane non ineruditus, Paulus Cortesius: qui dum, post Thomam et Scotum et complures alios, meditatur in quatuor libros Sententiarum Commentarios, pertaesus scilicet voces in Scholis receptas ut minus Ciceronianas, pro Ecclesia, delicias hominis, maluit ubique Senatum dicere, pro Legibus Ecclesiasticis Senatus-Consulta, pro Praedestinatione Praesignationem, pro Sacerdotum Ordinatione Initiationem, pro Angelis Genios, pro Episcopis Flamines, et alia passim ad eundem modum plurima. Quo eodem morbo laborasse invenio et alios quosdam, ut Petrum Bembum Cardinalem, et Sebastianum Castalionem; sed eos et paucos admodum, et aliquanto temperatius. At nobis non libet, nobis non licet esse tam disertis. Oratori condonabitur, immo laudi erit, si sit verborum paulo deligentior: cujus inter virtutes est, non apte modo et dilucide, sed etiam

* Compare De Conscientia, Praelect. vi. §. 1.

pure et ornate dicere : quemque non dedecebit floridius quandoque et picturatus incedere. Ast Philosophum, aut Theologum, praesertim in Scholasticis meditationibus et nodis Controversiarum, tam decet compta et ornata oratio, quam bovem aratorem bullatae phalerae. Materia in qua operam sumimus, doceri contenta, non postulat ornatum ; sed nec patitur. Nimirum non est idem in Rostris et in Scholis versari ; et aliud longe est uberiore campo frui, in quo cum copia quadam et ubertate exsultare possit oratio ; aliud spinas inter et vepreta impeditum teneri, unde se quovismodo expedire sine sanguine et vulnere opimus est triumphus. Sed quid ego ista tam opereose ? Si vocibus et locutionibus in hoc tractandi genere receptis passim utar, quod est omnino faciendum, quin sit ea res veniam apud vos habitura nullus dubito : verendum magis ut sit habitura haec tam prolixa defensio. Desino itaque orare, et ad Hypotheses festino.

2. Quarum esto Prima, Juramentum ante omnia decet simplicitas. Hoc est, ea est Juramenti Natura et Obligatio, ut quisquis se ad aliquid faciendum tam sacro Vinculo obstrinxerit, Juramenti religione omnino teneatur, et ex animo serio intendere, et, quantum in ipso est, sedulo conari, id omne facere bona fide quod se facturum promisit, sine omni astu, fraude, dolove malo aut simulatione. Recte, ut pleraque omnia, in hoc genere Cicero, ‘ Quod affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est.’^a Secus qui fecerit, nec curaverit id re ipsa praestare ad quod se jurejurando obligavit, eum hic Moses censet *polluisse verbum suum* : hoc est, rem sacram nec temere profanandam foede et indigne conspurcasse, et Perjurii reum esse, aut aperti aut palliati. Quum enim tradantur fere tria Perjuriorum genera, quorum primum est Assertorio Juramentorum generi paene peculiare, viz. quum quis jurat aliquid esse verum, quod aut falsum esse putat, aut saltem sit necne verum dubitat, reliqua duo ad Promissorium hoc genus pertinent ; secundum nimirum, quum quis jurando promittit quod nec intendit implere ; et tertium quum non studet implere quod promiserat et intenderat : non sane multum refert, quod quidem ad Perjurii rationem attinet, maxime in foro Conscientiae, apertene aliquod trium fiat et *γυμνή τῆ κεφαλῆ*, an simulate et

§. 2.
Hypothesis
prima. Ju-
ramentum
debet ante
omnia sim-
plicitas.

^a Offic. iii. 29. 104.

ἐν ὑποκρίσει. Scilicet est illud profani cordis indicium, hoc dolosi; quorum utrumque, nisi sit fraus odio digna majore,^b pariter abominatur Sanctissimus ille Deus,^c qui amat *simplices corde*, et diligit *veritatem in intimis*; *declinantes autem in perversitates suas*, id est, hypocritas et dolosos, *facit ambulare cum operantibus iniquitatem*, id est, pariter habet cum palam impiis et facinorosis.

Ps. li. 6. cxxv. ult. §. 3. Repugnat simplicitati dolus malus, sive simulatio.

3. Pugnat cum hac Juramenti simplicitate duplex Simulationis genus: alterum a parte ante, quod ad actum jurandi aut antecedenter se habet aut concomitanter; a parte post, alterum, quod consequenter: quorum illud etsi deterius sit, neutrum tamen Perjurio vacat. Utrumque complexus videtur David, locis diversis sed propemodum parallelis, Psalmis videlicet decimo quinto et vicesimo quarto. Quorum in altero, illi quaestioni, *Quis ascendet in montem Domini?* inter alia respondetur, *Qui non juravit in dolo* (למרמה): id est, qui non juravit cum animo fallendi: ubi excluditur omnis Simulatio a parte ante, ipso scilicet tempore, et inter ipsum factum jurandi. In altero, consimili quaestioni, *Quis habitabit in tabernaculo Domini, &c.* inter alia respondetur non multum dissimiliter, *Qui juravit in malum* (ולא ימיר) *et non mutavit*: id est, qui postquam se Juramento obligavit, maluit vel cum magno suo damno praestare quod incommode juravit, quam alicujus temporalis commodi intuitu datam fidem violare: ubi excluditur omnis Simulatio a parte post. Ista mihi aut non cogitare videntur, aut non serio, eorum qui nunc sunt hominum pleraque pars, qui in omne illud quodcumque demum fuerit, quod est ab his quibus nocendi potestas est propositum, sine ulla ambage prolixè et conceptis verbis jurare non verentur: quin sibi potius solis sapere videntur, ridentque non sine aliquo fastu eorum simplicitatem et inanem metum, qui ne Conscientiam laedant, nodum in scirpo quaerunt scilicet, et perscriptas ab iis qui praescribere* possunt formulas sollicitant. Securi interim se ab omni Perjurii crimine metuque liberant, sibi et Conscientiae suae egregie consultum existimant, si vel inter jurandum, Jesuitarum more, tacitae alicujus aequivocationis aut mentalis reservationis, aut subtilis coactive et a verbis prorsus alieni

^b Cicero Offic. i. [13. 41.]

^c Ψεῦδος μηδὲς μηδὲν, μηδ' ἀπάτην, μηδέ τι κίβδηλον, γένος ἐπικαλούμενος Θεῶν, μήτε λόγῳ μήτε ἔργῳ πραξείεν,

ὁ μὴ θεομισέστατος ἔσεσθαι μέλλων. Plato de Legib. xi. [§. 3.]

* The First and Second Editions have 'proscribere.'

interpretamenti adminiculo se quoquo modo tueri utcumque possint; vel etiam postquam juraverint, rimam qua elabantur, artificiosam aliquam evasionem reperire queant, velut *σοφὸν φάρμακον*,* quo Juramento sic fraus fiat, ut salvis verbis sententia tamen sophismate aliquo eludatur, et vis ejus omnis penitus enervetur. Non agnoverunt hanc Theologiam veteres Christiani: non hanc Morum Philosophiam saniores Ethnici. Multo aliter ex illis Augustinus,† ‘Perjuri sunt, qui, servatis verbis, expectationem eorum quibus juratum est deceperunt.’ Aliter et ex his Cicero, ‘Quod ita juratum est, ut mens defrentis conciperet fieri oportere, id servandum est.’^d

4. Sed ne aut declamare videar, aut auctoritate sola pugnare, confirmabo aliquot rationibus, neutra Simulatione tolli Perjurium. Ratio prima. Ex permultis illis Scripturae locis, in quibus cordis simplicitas, quum in omni cultu Dei et officiis vitae communis, tum vel maxime in Contractibus, Promissis, Votis, et Juramentis exigitur. Ut alia mittam, in Textu proposito disertis verbis requiritur ab homine jurante, ut omnino faciat secundum id quod egressum est ex ore suo, ut omnino faciat, id est, ut et tunc temporis bona fide intendat facere, et postea bona fide quantum in ipso est conetur facere: secundum id quod egressum est ex ore suo, id est, secundum eum sensum quem verba ab ipso prolata juxta communem et receptum morem loquendi apta sunt ingenerare in mente audientium, et non secundum eum sensum, quem ipse fortassis inter jurandum intra semetipsum tacita mentis cogitatione reservatum dolose intendit. Quo facit illud quod ex Isidoro solet afferri ‘Quaecunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit.’^e Neque etiam secundum eum sensum, quem juratus, postquam coepit eum facti poenitere, de novo tandem commiscitur ἀφοσιώσεως χάριτι, seu ‘dicis causa,’ ut loquuntur: non ut integre et sincere exsolvat sicut debet Sacramenti fidem, sed ut sibi aliisque videatur quoquo modo officio functum esse, et Perjurii crimen isthoc artificio caute et provide admodum declinasse.

§§. 4-7.
Simulatione non vitatur Perjurium.

* Compare Sermon v. ad Magistr. §. 28.

† Epist. 125. §. 4. tom. ii. 366 E. ed. Ben. Paris.

^d De Offic. iii. 29. 104.

^e Lib. ii. Sent. [cap. 31. p. 445 F. ed. Du Breul, 1617] et habetur 21. qu. 5. c. quaecunque. [Decret. Gratian. Pars ii. Caus. xxii. Quaest. v. §. 10.]

§. 5. 5. Ratio secunda. Ab exemplo ipsius Dei, quem scribit Apostolus, Heb. vi, ea ipsa de causa promissiones suas fidelibus factas jurejurando confirmatas esse voluisse, ut *περισσότερον*, *abundantius*, id est, quam fieri potest cumulatissime, et ita ut nullus posset esse ultra dubitandi locus, testatum ipsis faceret τὸ ἀμετάβλητον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, quam immutabile esset consilium ipsius, in eo praestando quod se juravisset praestitutum; atque hoc omne eo fine, ut haberent credituri in ipsum *ἰσχυρὰν παράκλησιν*, *validam consolationem*, spem firmam. Quam tamen non haberent, si in his quae jurando promisit, possibile esset *ψεύσασθαι Θεόν*, id est, ut docti^f vim ejus vocis expriment, si fallere posset Deus eos quibus juravit, frustrando ipsorum expectationem. Falleret autem, et frustraret crediturum spem, et ex spe consolationem, si, aut quum juraret non intenderet facere quod promisit, aut mutato postmodum consilio idipsum debito tempore non praestaret, idque eo ipso sensu quo ab eis promissiones illas par erat juxta verborum tenorem intelligi. *Juravit Deus, et non poenitebit eum. Juravit Dominus Davidi veritatem, nec discedet ab ea.*

§. 6. 6. Ratio tertia. Ex natura Veritatis, quae prima est et potissima e tribus illis decantatissimis Juramenti conditionibus quae exstant apud Jeremiam Prophetam, et ab omnibus inculantur, et a Scholasticis ‘tres Juramenti comites’ appellantur, Veritas scilicet, Judicium, et Justitia. Cui Veritati repugnat, non modo quod falsum est, sed et quod fictum est; nec mendacium solum apertum et nudum, sed opertum quoque et qualitercunque palliatum. Polluit certe verbum suum mendacio, quicumque falsum dixerit proximo suo; et falsum is dixisse putandus est proximo suo, per quem stetit ut falsus esset proximus suus ea spe, quam ex dictis ipsius rationabiliter conceperat. Quum ergo per istiusmodi utriusve generis Simulationem non evitatur mendacium, dummodo id nostra culpa fiat ut decipiatur proximus adhibendo fidem dictis nostris, certe nec Perjurium evitatur, si nostra culpa decipiatur adhibendo fidem Juramento nostro: siquidem nihil aliud est Perjurium, quam Mendacium Juramento firmatum. Ita ut omnino idem sit accedente Juramento Perjurium, quod est in nuda pollicitatione Mendacium.

§. 7. 7. Ratio quarta. A fine Juramenti proprio, qui, ut ex

^f Vid. Grotius de Jure Belli, II. xiii. 3.

antedictis quum explicaremus Juramenti Definitionem satis patuit, est 'rei dubiae confirmatio':^g nempe ut habeatur, de rebus alias incertis et ex humana fide pendentibus, certitudo quantum expedit rebus humanis. Est enim Juramentum a Deo institutum vi Luminis Naturalis, in remedium defectuum humanorum circa Veritatem, ut esset tuendae Veritatis ultimum inter mortales praesidium, quoties omnia alia probationum genera deficiunt. Everteretur autem omnino hic finis, nec possit ulla esse apud homines certa fides, si liberum esset Juranti pro suo arbitrio, quod verbis enunciat ad fidem faciendam, id aut tacita aliqua ambiguitate inter jurandum, aut postquam juraverit exquisito aliquo novo et quasi posthumo commento ita subnervare, ut vim suam omnem amittat et effectum penitus careat. Horum alterum si liceret, non esset Juramentum *ἀντιλογίας πέρας*, sed *ἀρχή*; et ansam novis contradictionibus et litibus praeberet, potius quam sedaret veteres. Heb. vi. 16. Hac aperta semel fenestra, quid cogitari possit tam falsum, pro quo tuendo non possit excogitari aliquid saltem effugium aut diverticulum, quo a mendacio liberaretur? Interim quantae perversitatis est, ut quod est a sapientissimo Deo in subsidium fidei institutum, id ab improbis hominibus verteretur in instrumentum fallendi: *πρὸς ἀπάτην ὄρκος σοφίστης ἐστὶν ἀξιόχρεως*.^h Profecto, nisi quis sacro Dei instituto aliorum uti maluerit quam in eum in quem institutum est finem, (quod non facile commiserit vir pius) qui Juramenti finis est, idem debet esse et Jurantis; is autem est, ita audienti fidem facere, ut de rei prius dubiae veritate certior fiat et securior. At qui simulat, falsam fidem audientibus ingenerare studet; atque ita non solum alterum falli permittit, (quod tamen est contra charitatem, quum potest et debet impedire) sed etiam fallere intendit, quod, praeterquam quod est contra omnem justitiam et honestatem, est etiam cum summa Dei injuria et Nominis Divini contemptu conjunctum.ⁱ Et mihi sane vix aliud Perjurii genus Tertii Decalogi Praecepti aut scopo, aut ipsis etiam verbis, de non assumendo in vanum Dei Nomine, magis ex

^g Vid. Praelect. i. §. 6.

^h Erasmus, II Chil. ex Simocat. Epist. [Epist. Graecan. Cujac. p. 406. Junii Adag. Cent. v. 43. col. 1282, at the end of Erasmi Adagia,

Colon. Allobr. 1612.]

ⁱ Perjurium est nequiter decipere credentem, 22. qu. 2. cap. In dolo. [Gratian. Decret. Pars ii. Caus. xxii. Quaest. 2. §. In dolo.]

diametro adversari videtur, quam quod ex ista simulatione exsurgit. Vanitatis enim vox ut proprie et adaequate omne id quod quovismodo falsum est complectitur, sic peculiari quodam modo et propriissime id significat, quod ita falsum est ut tamen veri speciem aliquam prae se ferat. Adeo ut si quis Vanitatis, quum sit Ens rationis tantum, nec habeat veram essentiam, per analogiam tamen quandam ad Ens reale, naturam et essentiam definiendo exprimere conaretur, non posset id commodius facere quam si mentis imaginatione ideam quandam sibi fingat rei compositae ex nihilo, velut Materia, et mendacio, velut Forma. Nimirum spes quae se alit interim mendacio, et tandem frustra est, nec invenit quidquam, ea vana spes est. Et in praesenti negotio, qui promittit aliquid quasi revera futurum, assumpto in Veritatis confirmationem Dei Nomine, quod tamen totum abit in nihil, aut non intento aut non praestito quod promissum est, is directe et ad literam *assumit Dei Nomen in vanum*, violat praeceptum Dei, et gravissimi criminis, Perjurii, reus est. Atque ita sat confirmatam habetis primam Hypothesin, de Juramenti Simplicitate.

§. 8.
Hypothesis
Secunda.
Juramen-
tum est
stricti Ju-
ris.

8. Secunda sequitur, huic cognata, quae ad Juramenti justam interpretationem pertinet; estque breviter haec, Juramenti Obligatio est stricti Juris. Jus strictum hic intelligo, non ea significatione qua saepissime occurrit apud Jurisconsultos, pro illo rigore Juris quod ἀκριβοδίκαιον vocant, et opponitur τῷ ἐπιεικεῖ sive Aequitati: quo scilicet convertitur *judicium in absinthium*,^k quodque est ita cum injuria fere conjunctum, ut paene in proverbium abierit illud, ‘Summum jus summa injuria.’ Sed mitius aliquanto, pro interpretatione Juris ita justa et suis cancellis circumscripta, ut non trahantur verba Juris ultra quam par est in alicujus partis gratiam et favorem, aut cujusquam facto vel commodo inservire cogantur. Ut verbo dicam, Strictum Jus hic ita accipitur, non ut excludat Juris interpretationem aequitate temperatam, sed ut excludat Juris interpretationem gratia corruptam. Quum autem sit *interpretari* nihil aliud quam rem cui subest aliquid aut obscuri aut ambigui exponere, sciendum est dari posse ejusdem rei triplicem expositionem sive interpretationem, rigidam, favorabilem, justam. Extremae sunt rigida et favorabilis; et est

^k Amos vi. 12. [quoniam fructum justitiae in absinthium. titis in amaritudinem judicium, et Vulg.]

utraque, ut pleraeque res extremae, in vitio. Et ut est plerumque extremorum coincidentia quaedam, sed adeo infelix dum utrimque a medio recessum est, ut semper conveniant in eo quod malum est, et ut plurimum in eo quod pessimum, ita rigida nimis et nimium favorabilis interpretatio Juris in eo conveniunt, quod utraque per iniquam *προσωποληψίαν* vim quodammodo faciat Legi, torquendo eam nimium subtili expositione, in compendium unius partis et gravamen alterius, sed cum hoc discrimine, ut rigidior premat interpretationem qui agitur odio partium, favorabiliorem sectetur qui studio ducitur. Justa autem et inter utramque media interpretatio ea est, quae citra respectum omnem ad personas, ex naturali aequitate et justitia, et ex verbis ipsis quatenus congrua sunt aequitati et justitiae, verum et genuinum sensum Legis venatur. Et haec, si possit aperte satis ex verbis constare, est in omni re simpliciter retinenda. Verum quoniam fieri potest, et saepe numero fit, ut de Legum aliorumque quae indigent interpretatione proprio et naturali sensu oriantur controversia, ubi justa interpretatio ob rei dubietatem haberi non potest, concedenda est ex necessitate huic mediocritati sua quaedam, ut ita dicam, latitudo prudentialis.¹ Quemadmodum Ethici negant Virtutis mediocritatem in puncto indivisibili positam esse, aut constare Proportione Arithmetica, sed Geometrica. In Jure ergo dubio supplet vicem justae interpretationis, pro rei natura de qua agitur, nunc strictior, nunc benignior interpretatio; quarum stricta, a favorabili remotior, vergit magis ad rigidam; benigna vero, favorabili propior, a rigida magis declinat. Perinde atque in Moralibus, Virtus ea, quae Avaritiam inter et Prodigalitatem media est, prout remotior est ab alterutra extremarum, aut Liberalitatis nomine censetur, aut Frugalitatis. Sunt ergo res aliquae ita natura comparatae ut benignam sibi interpretationem suo quodam jure concedi postulent, quae scilicet non sit interclusa verborum angustiis, sed cum quodam, ut Ciceronis verbo utar, laxamento liberior: ^m qualis habetur, exempli gratia, in Jure nostrati Res Testamentaria. Sic ex Lege charitatis aliena dicta et facta, praesertim Principum, Parentum, aliorumque Rectorum, scripta item hominum pio-

¹ ὡς ὁ φρόνιμος ἀν ὀρίσειε. Aristot. Ethic. ii. 6.

^m Cicero pro Cluentio. [89. Non

modo causae, sed ne Legi quidem quidquam per Tribunal Plebis laxamenti datum est.]

rum et eruditorum, nisi ubi justa admodum subest suspicionis causa in contrarium, lenienda sunt benigna interpretatione, juxta id quod dici solet, 'Dubia esse interpretanda in meliorem partem.' At sunt aliae res permultae, ut Privilegia, Contractuum ex debito Syngraphae, et pleraque eorum quae inducunt Obligationem Juris, inque his Juramentum, in quibus, ubi de justo sensu ambigitur, longe satius est et naturae rei accommodatius, strictiore quam benigniore uti interpretatione.

§. 9.
Juramen-
tum non
nimis laxè
interpre-
tandum.

9. Quum ergo dico Juramentum esse stricti Juris, id ita intelligendum est, Juramenti sententiam, ubi ea ex verbis satis manifesta est, omnino tenendam esse; ast ubi sententia dubia est, unicuique sedulo cavendum, ne nobis nostrisque affectibus nimium indulgeamus, aut nimis liberam laxamque interpretandi licentiam nobismetipsis concedamus, quo facilius nos Vinculo Juramenti quo obligati sumus eximamus; neve sensum aliquem Juramento a nobis praestito aut ejus alicui parti affingamus, proprii commodi aut utilitatis causa, quem non quivis vir alius pius et prudens, qui est liberioris judicii, utpote cuja nihil interest, ex ipsis verbis facile eliceret. Ratio duplex. Altera respectu aliorum, ob metum scilicet Scandali: ne quis alius infirmior, nostro exemplo adductus, quod a nobis factum videt id sibi quoque licere putet, etsi ignaro illarum subtilitatum, quibus tamen solis nosmetipsos a Perjurii crimine tueri solemus. Altera respectu nostri ipsorum, ob metum scilicet Perjurii, quod gravissimum crimen sine dubio in nos admittimus, si nos forte fallat benignior illa interpretatio, quae nobis jurandi fecit audaciam. Nititur autem haec ratio generali illa et utilissima Regula, quae jubet in dubiis partem sequi tutiorem.* Tutius autem est non jurare, ubi verba Juramenti propositi secundum communem et obvium sensum verborum videntur aliquid illiciti in se continere, quam laxa interpretatione ita ea lenire in rem nostram, ut securius possimus in ea jurare. Quatenus istiusmodi Juramentum sine Perjurii periculo constat recusari posse: non constat sine aliquo aut periculo aut metu posse suscipi.

§. 10.
In Jura-
mento Con-
ditiones

10. Sed tamen et ex altera parte cavendum, ne stricta haec, de qua loquimur, interpretatio abeat in rigidam. Quod enim de Privilegiis dicunt Jurisconsulti, id et in aliis universim ob-

* Compare Sermon iv. ad Clerum, §. 30.

tinet quae sunt ejusdem rationis, et speciatim in Juramentis: communi-
ter subin-
telligendae. neque ea nimis stricte, neque nimis large esse interpretanda. Quum ergo dicimus Juramentum esse stricti Juris, non est id ita intelligendum quin ut in omni Juramento, utcumque simpliciter enunciato et sine exceptione, subintelligi tamen possint et debeant omnes illae sive exceptiones, sive conditiones, quae de Jure communi subintelligi solent ad hoc ut Juramentum obliget. Quarum sunt praecipuae, et ad quas fortassis reliquarum pleraeque reduci possunt, istae quae sequuntur. Subintelligendum, primo, Si Deus permiserit: secundum illud Jacobi, *Si Dominus voluerit et vixerimus, faciemus hoc vel illud.* S. Jac. iv. Unde si Caius Titio juret se ad Kal. Januarias Londini affu-¹⁵ turum, et pecunias quas ei debet allaturum; si ad id tempus gravi morbo correptus decubuerit, aut in itinere a latronibus exspoliatus nummos amiserit, in hoc casu non tenetur Perjurii. Ratio est, quia quum omnia Divinae Providentiae et Voluntati subsint, nec sit in cujusvis hominis potestate omnes futuros casus praestare, qui fecit quod in se fuit ut adimpleret quod promiserat, Juramenti fidem exsolvit. Nam quum rei impossibilis nulla sit obligatio, ut mox audietis, omne Juramentum ex Lege communi debet intelligi cum clausula, 'Nisi Deo aliter visum fuerit,'ⁿ aut alia simili. Subintelligendum, secundo, Quod licet: quia nec rei illicitae ulla obligatio est. Ut si quis juret indefinite observare omnia statuta et consuetudines alicujus Communitatis, non obligatur ad observandam nisi ea tantum quae sunt licita et honesta. Subintelligendum, tertio, Salva Potestate Superioris.^o Unde si filius-familias juret se facturum aliquid in se licitum, * pater autem rei ignarus aliud ei faciendum imperet quod impediatur id fieri quod juratum est, filius non tenetur Juramento, quia Lege Divina^o naturali tenetur parere imperio patris. Et qui juravit non exire domo, citatus a legitimo iudice ad comparandum, non obstante Jura-

ⁿ In omni Voto vel Sacramento intelliguntur hujusmodi generales conditiones, Si Deus voluerit, Si vixero, Si potero. Gloss. ad 22. qu. 2. c. B. Paulus. [Gratian. Decret. Pars ii. Caus. 22. Quaest. 2. Gloss Margin.]

^o In Juramento semper jus superioris intelligitur exceptum. 2 De-

cret. 24. 19. [Gregor. IX. Decretal. Lib. ii. Tit. 24. cap. 19.]

* This illustration is quoted by Nathaniel Johnston, M. D. 'The King's Visitatorial Power asserted, being an impartial Relation of the late Visitation of St. Mary Magdalene College in Oxford.' 4^o. Lond. 1688. p. 294.

mento tenetur exire. Ratio est, quia actus unius non debet praejudicare juri alterius. Subintelligendum quarto, Rebus sic stantibus: id est, si res in eodem statu permanserint quo nunc sunt. Unde, qui juravit reddere gladium, non tenetur reddere furioso. Et qui juravit ducere aliquam uxorem, non tenetur ducere, si deprehendat eam esse ex alio viro gravidam. Has et istiusmodi conditiones, quarum est perspicua ratio, in omni Juramento subintelligi fas est, etsi non exprimantur; et rigidus nimis esset Juramenti interpres, qui istarum aliquam exclusum iret. Sed si quis exceptiones admiserit magis dubias, et non a verbis Juramenti solum sed et ob omni recta Ratione alienas, nec Jure communi et consensu populorum approbatas, nae is ausu temerario fines Juramenti a Deo praestitutos loco moverit, et omni Perjuriorum generi latam portam aperuerit. Maneat ergo secunda haec nostra Hypothesis, de stricta Juramenti interpretatione.

§. II.
Hypothesis
Tertia. Ju-
ramentum
non tollit
Obligatio-
nem pri-
orem.

II. Cujus, ut et superioris de Juramenti Simplicitate, propterea fusio-rem institui tractationem, (etsi plurima alia meditantur mihi in mentem venerint, scitu non indigna, quae tamen brevitatis causa praetermittenda judicavi:) tum quod rerum istarum clarior explicatio visa est mihi his dissolutissimis maxime temporibus admodum necessaria, in quibus viri passim ludunt Juramentis, ut pueri astragalus;^p tum quod utriusque Hypotheseos permagnus erit usus, in his quae, Deo volente, futuris Praelectionibus a me dicenda sunt. Reliquas absolvam brevius. Hypothesis tertia. Juramentum non tollit Obligationem priorem. Habet quidem Juramentum ex natura sua vim obligatoriam, sed constructivam tantum, non item destructivam. Hoc est, potest inducere novam Obligationem ubi nulla fuit, vel etiam confirmare eam quae praefuit; sed non potest tollere eam quam invenit, aut aliam ei repugnantem superinducere. Cujus ratio est, quia per omnem Obligationem Jus alteri accrescit; quisquis enim obligatur, alteri obligatur; et iniquissimum videtur, ut per merum actum unius laedatur Jus alterius sine ipsius consensu. Neque vero intererit quidquam hac in re, fueritne prior illa quam supponimus Obligatio, Naturalis an Adquisita. Obligatio Naturalis et Necessaria est qua

^p Lysandri Dictum, apud Plu- tamen lib. de Fort. Alexan. id tri-
tarch. in Apophth. [ii. 229 B.] Idem buit Dionysio tyranno.

astringimur ad aliquod officium alteri praestandum, quod ei debemus ratione personae nostrae, vi Legis Naturae: ut dicitur quibusdam, ut superiore Lectione monui, Obligatio Aequitatis, quia ex Lege Naturali, quae et aequissima est et omnis Aequitatis norma, originem ducit. Talis est mutua Obligatio quae est inter virum et uxorem, inter patrem et filium, inter dominum et famulum, inter principem et subditos. Obligatio Adquisita et Voluntaria, quae et Civilis per Synecdochen Speciei dicitur, et Justitiae, quia justum est ut quod quis voluntate sua fecit eo teneatur, est qua astringimur ad aliquod officium alteri praestandum, quod ei debemus ex conducto, virtute alicujus voluntarii actus proprii. Talis est illa Obligatio, quae ex Promissis, Votis, Juramentis, Foederibus, aliisque humanis contractibus et conventionibus oritur. Si cui ergo Juramentum suscipiendum deferatur continens aliquod quod Obligatiōni priori, sive naturali sive adquisite, adversatur, ut si adversetur officio quod parenti debetur aut principi, vel si repugnet ei quod ante licite juratum fuit vel promissum, ejusmodi Juramentum non potest a quoquam salva Conscientia vel praestari, vel praestitum adimpleri. Qui utrumvis fecerit, pejeraverit.

12. Sequitur Hypothesis quarta, quae est ita ex se evidens ut sit Regula Juris, nec probatione indigeat. ‘Rei impossibilis nulla est obligatio.’^q Extenditur autem ad omne genus impossibilitatis, quae in materia Juramenti potest contingere. Contingit autem rem aliquam esse impossibilem, aut per se, aut ex accidente. Per se autem tripliciter. Primo, impossibilitate Naturae:^r quo modo impossibile est hominem volare, pisces loqui. Secundo, impossibilitas Facti: quo modo impossibile est Caium hodie Londini commorantem cras convenire Titium Venetiis. Tertio, impossibilitate Juris:^s quo modo illud dicitur impossibile alicui ad quod non habet potestatem legitimam; de quo etiam illud intelligendum est, quod dici solet, ‘Id tantum

§. 12.
Hypothesis
Quarta.
Rei impos-
sibilis nulla
Obligatio.

^q L. 185. F. de Divers. Reg. [Digest. Lib. 1. Tit. xvii. Lex 185.]

^r Si stipulor ut id fiat, quod natura fieri non concedit, Obligatio non consistit. l. 35. F. de Verb. Obligat. [Digest. Lib. xlv. Tit. i. Lex 35. §. 1.]

^s Ubi conditio jure impleri non

potest, nullius momenti est stipulatio. l. 137. s. 6. F. de Verb. Obligat. [ibid. Lex 137. §. 7.] . . . generaliter quoties pactum a Jure communi remotum est, servari hoc non oportet. l. 7. s. 16. F. de pactis. [Digest. Lib. ii. Tit. xiii. Lex 7. §. 13.]

possumus, quod jure possumus.' Sic impossibile est Praetorem istius Urbis conferre alicui gradum Doctoratus. Si quis aliquod in aliquo istorum trium generum impossibile se facturum juraret, vanum esset Juramentum et ab initio nullum, et per consequens non eum omnino obligaret, non modo ad faciendum quod juravit, sed ne ad conandum quidem. Sed Rei Impossibilis ex accidente tantum aliquantum diversa est ratio. Ut si quis juratus solvere centum infra mensem, quod non est per se impossibile, casu aliquo inopino interim impediatur, ut non possit tantam pecuniae summam tempore praefinito conficere, etsi non obligetur in foro Conscientiae ad faciendum id quod promisit, scilicet ad solvendum totum debitum debito tempore, quod jam redditum est ei impossibile, obligatur tamen ad faciendum quod in se est, viz. ad solvendum quantum potest, et quam cito potest. Ratio utriusque est, quia cum in hoc casu sola impossibilitas impediatur Obligationem, Obligatio tollitur quoad id solum quod est factu impossibile;^t quoad reliquum vero manet.^u Et qui non potest omne quod debet, debet tamen omne quod potest.

§. 13.
Hypothesis
Quinta.
Rei illicitae
nulla Obligatio.

13. Hypothesis Quinta. Rei illicitae nulla est Obligatio. Est autem illicitum, quidquid est contra aliquod Dei Praeceptum in Decalogo, aut contra bonos mores; quidquid repugnat pietati erga Deum, aut charitati erga proximum; quidquid bono publico adversatur, aut paci Ecclesiasticae, Politicae, Domesticae: ut semel dicam, quidquid in se continet aliquam rationem peccati. Huc illa pertinent vulgatissima, Juramentum non est Vinculum iniquitatis, In malis Promissis rescinde fidem, &c.^x Ratio est, quia omne illicitum est contra officium. Obligatio autem omnis est ad officium. Praeterea, quidquid est illicitum, est aliquo modo a Deo prohibitum, aut immediate, aut per consequentiam; prohibitio autem Dei obligat ad non faciendum id quod prohibitum est; quam obligationem ex tertia Hypothesi subsequens Juramentum tollere non potest. Immo qui juravit facere id quod sine peccato fieri nequit, tantum abest ut obligetur ad id faciendum, ut potius obligetur omnino ad non faciendum. At juratum non adimplere

^t *Tum liber eris a Juramento.* xiv. Lex 27. §. 6.]
Gen. xxiv. 8.

^x Vide Can. 22. Qu. 4. [Gratian.
Decret. Pars ii. Caus. xxii. Quaest.
^u Vid. 97. et l. 126. s. 9. F. de
Verb. Obligat. [Digest. Lib. ii. Tit. iv. §. 6.]

Perjurium est, inquires. Immo vero si res sit illicita in quam juratum est, tunc pejerasti quum jurasti: non pejeras, quum contra facis. Et rem illicitam ideo adimplere quia juravisti, nihil aliud est, quam Perjurio flagitium adjicere, velut ‘Pelion Ossae’ et *siti ebrietatem*,^y quam Juramenti vice Perjurii potius Deut. xxix. mensuram implere, quam in Perjurio obdurate et sine poenitentia perseverare.¹⁹

14. Est tamen advertendum circa hanc Hypothesin, multum §. 14. distare Quaestionem hanc, An hoc vel illud Juramentum sit Juramenti illiciti, et Juramenti de re illicita discrimen. licitum? ab ista, An hoc vel illud Juramentum obliget? Etsi enim certum est, quod constat praestari non debere, ne jurari quidem debere, potest tamen fieri, et fit saepissime, ut quod jurari non debuit debet tamen praestari. Exemplum clarissimum, foedus a Josue cum Gabaonitis pactum. Discriminis autem ratio haec est. Ubi Juramentum ideo est illicitum, quia id in quod* juratur est res illicita, ibi utrobique peccatur, et jurando et adimplendo; ut si quis juraret occidere innocentem, et idipsum faceret, et Perjurii reus esset et homicidii. Et revera tale Juramentum nullatenus obligat, quae ultimae istius Hypothesis ipsissima mens est. Verum ubi Juramentum de re non illicita fit aliunde illicitum, ex aliquo externo defectu et propter aliquam indebitam circumstantiam, obligare potest Jurantem ad implendum quod promisit, nisi appareat aliud impedimentum. In quo casu locum habet quod vulgo dicitur, ‘Fieri non debet, factum valet.’ Possumus ergo distinguere, Juramentum dici posse illicitum duobus modis, vel respectu rei juratae, vel respectu actus jurandi. Juramentum illicitum respectu rei juratae nullatenus obligat: Juramentum illicitum respectu actus jurandi obligat, nisi aliunde impediatur. Sed de his hactenus. Istae sunt illae *προλήψεις* sive Hypotheses quas praeponendas duxi insecuturae Tractationi, quibus velut pedamentis et tibicinibus suffulcianatur quae posthac de Juramenti Vinculo et ejus Vinculi Solutione dicturus sum. Quae, quamvis sit materia valde diffusa, ex his tamen duabus praemissis par-

^y Προστίθεται ἵπαιρία ἵπαιτίοις. Philo. [de Specialibus, Legibus, προστίθησι. ii. p. 272. ed. Mangey.]

* The First Edition had ‘id in quo,’ which, in the Errata given at

the end of the Volume, was directed to be altered to ‘id in quod.’ All the Editions subsequent to the First, which I have seen, exhibit ‘in id quod.’

tibus confido tertiae parti tantum et luminis et roboris accessurum, ut non desperem posse hoc Termino universam de re proposita Dissertationem absolvi. Conabor certe, si Deus permiserit, omnem illam Casuum varietatem ita compingere et in arctum cogere, ut quinque Praelectionibus, quatuor scilicet de Vinculo juxta totidem Causarum genera, et quinta de ejus Vinculi Solutione, totam quae superest partem, si potero, complectar.

PRAELECTIO TERTIA.

CONTINENS CASUS SEDECIM.

IMMENSUM jam tandem pelagus ingredior, de Dubiis ^{§§. 1, 2.} Conscientiae Casibus, quod ad Juramenti Vinculum attinet, ^{Methodi ratio, et ordo} idque quoad quatuor Causarum genera, prout pollicitus sum ^{dicendorum de Juramenti materia.} dicturus. Sed antequam e portu solvam, illud vos adhuc prae-moneo, non me fore de Methodo eorum quae sunt dicenda nimis sollicitum.* Est quidem Ordinis in omni genere studii et tractationis plurimus et necessarius usus; quo sine poterit fortasse quis vasta et assidua lectione comparare sibi variae eruditionis molem, sed eam confusam et indigestam, nec multum utilem. Ast illam ex altera parte *διχοτομομανίαν*, et nimiam Methodi accurationem, quam video nonnullos nimis anxie sectari, ut molestam quandam superstitionem, et non levem studiorum remoram, vitandam semper judicavi. Mihi sat erit, omnia dicenda ad certas classes ita revocare, ut aliqua saltem cognationis vel analogiae ratio appareat cur id factum sit, parum sollicito, ne quis excipiat Juramenti sensum et interpretationem, ad Formalem, aut effectum aliquem ad Finalem Causam, non satis concinne reduci. Quum autem, ubi omnes Causae concurrunt ad effectum producendum, Materia imprimis requiratur, ut primum Subjectum generationis, proxime Efficiens Causa, quae agendo Formam producat, tertio, Forma, quae in Materiam per actionem efficientis introducatur, Finis denique, cujus gratia Efficiens operatur, nos, hunc quasi naturae ordinem sequuti, a Materia ordiemur, hinc ad reliquas suo ordine progrediemur.

2. Materiam Juramenti intelligo rem illam circa quam versatur, et in cujus confirmationem adhibetur Juramentum, sive ea res spectetur ut juranda, sive ut jurata. Ad rem jurandam pertinet illa quaestio, Liceatne hoc vel illo modo jurare? ad rem juratam ista, Posito quod juratum sit, Juramentum illud,

§. 2.

* Compare De Obligatione Conscientiae, Praelect, vi. §. 1.

sive licitum sive illicitum, an et quatenus obliget in Conscientia? quum ex facto etiam illicito possit oriri Obligatio. Et est haec quaestio sola instituti nostri propria. Exponam tamen plerumque obiter et ὡς ἐν τῷ παρόδῳ, saltem ubi eadem fidelia utrumque parietem dealbari posse arbitrabor, quid de illa etiam quaestione sentiam: maxime quum id et a quibusdam exspectari, et plerisque vestrum gratum fore, ab amicis admonitus nuper intellexerim. Est ergo Juramenti Materia, ut tandem rem ipsam aggrediar, aut definita aut indefinita. Quae certa et definita est, considerari potest, vel quoad suum Esse Naturale sive ratione Existentiae, utrum scilicet res factu possibilis sit an impossibilis; vel quoad Esse Morale sive ratione Qualitatis, utrum scilicet res sit factu necessaria, illicita, an libera?

§. 3.
Juramentum de re simpliciter impossibili.

Casus I.

3. Primum ergo Dubium est, qualis sit Obligatio Juramenti de re impossibili: hoc est, si quis juraverit id se facturum quod adimplere non poterit, an et quatenus obligetur? ubi tres potissimum occurrunt Casus. Primus, ubi res juranda fuit ab initio et in ipso tempore jurandi palam et simpliciter impossibilis. Sive impossibilitate Naturae: quum res ipsa in se et nude considerata, citra respectum ad circumstantias, implicat apertam contradictionem, aut repugnat naturae alicujus speciei Entium; ut si quis promitteret se asinum docturum literas. Sive impossibilitate Facti: quum res est in potentia, ut loquuntur, remota ad fieri, hoc est quum nulla est repugnantia ex parte naturae rei ipsius quin ut possit fieri, tamen propter defectum in aliqua circumstantia, ut, verbi gratia, ob nimiam loci distantiam, aut prae angustia temporis, aut a quavis alia causa, illa potentia ita impeditur ut non possit exire in actum: ut si Caius hodie Oxonii existens promitteret se cras cum Titio una coenaturum Parisiis. Sive denique impossibilitate Juris: quum quis aliquid se recipit facturum quod est ei a Jure prohibitum, et ad quod non habet legitimam potestatem: ut si Caius non haeres promitteret de Titii defuncti bonis daturum se Julio trientem. Pro responsione ad Dubium in hoc primo Casu, dico breviter, Juramentum de re simpliciter impossibili, nec licitum esse, nec obligare. Non est licitum, quia et judicio destituitur et veritate. Quis enim homo, aut sani judicii sperare, aut bonae fidei intendere posset id facere, quod ipse sciret fieri non posse? Nec etiam obligat, non modo ad

faciendum, sed ne ad conandum quidem. Rei enim impossibilis, in quantum impossibilis, nullam esse Obligationem, ante dictum est; et stultum est conari, quod nequeas efficere.

4. Casus secundus est, quum res in se non impossibilis, sed tamen ipso tempore Juramenti praestiti ita improbabilis visa, ut eam multo verisimilius esset non posse quam posse postea praestari, ex aliquo objecto impedimento evadit tandem impossibilis. Ubi enim ad efficiendum aliquod intentum ita necessario requiritur complurium rerum concursus, ut si ex multis unum defuerit, reliquas necesse sit frustra esse universas: velut si subtraheretur horologiae machinae rotula aut clavicula quantumvis exigua, inutilis esset reliqua compages, fieri vix potest quin ut inanis futura sit omnis in eam rem opera collocata. Ut si Caius Titium, hominem novum et obscurum, sua opera futuris Comitibus Consulem creandum reciperet, versus competitores natalibus, gloria, virtute, auctoritate totius urbis praestantissimos. Respondeo, tale Juramentum non esse licitum, nisi disertim additur istiusmodi clausula, 'Si potero,' 'Quantum in me est,' aut alia similis. Si dicas, non opus esse addi clausulam, quae de Lege communi subintelligi debet, respondeo, subintelligi licere ejusmodi clausulas ex interpretatione Juris, ubi praesumitur Jurans non potuisse praevidere aliquid quod impediret ad impletionem promissi; verum ubi id praesumi non potest, sed contrarium magis, nempe eum ignorare non potuisse multa contingere posse quae impedirent, non concedi de Lege communi tam benignam interpretationem. Obligat tamen hoc genus Juramenti, non ad effectum quem supponimus esse impossibilem, sed ad conatum, quamdiu superat spes ulla, quantumvis debilis, rem fieri posse. Immo, quo plures et majores objiciuntur difficultates, eo obnixius conandum, et fortioribus animis obnitendum. At postquam palam desperata est, et constat fieri non posse, cessat Obligatio, ex jam dicto fundamento quod nemo teneatur ad impossibile.

5. Casus tertius est, quum Jurans ex animi sententia, rem probabilem ratus et bona fide intendens facere, nec dubitat, Deo volente, quin possit efficere quod promisit, postea tamen emergente aliquo insperato casu, qui nullis rationibus humanis aut praevideri potuit aut praecaveri, sentit tandem rem factu esse impossibilem. Ut si Callias, Thebis habitans, juratus solvere Socrati Athenis quinque talenta die condicto, pecunias

§. 4.
Casus II.
Juramentum de re impossibili et ab initio improbabili.

§. 5.
Casus III.
Juramentum de re impossibili, sed ab initio probabili.

diligenter comparatas, furto, rapina, aut aliquo dolo malo amiserit, aut in via captivus alio abducatur, ita ut aes alienum debito tempore dissolvere non poterit. Tale Juramentum est licitum, etiamsi non addatur illa clausula, 'Si potero,' &c. quae tamen ex communi Juris interpretatione intelligi censenda est. Qua ex parte, discriminis inter hunc Casum et eum qui praecessit haec mihi videtur idonea ratio. Quum Juramenti finis sit ut fiat ei cui juratur Promissi fides, expedit ut id omne inter jurandum diserte exprimatur quod videtur conducere ad hoc, ut firmior sit apud alterum fides nostra,^a illud vero e contra reticeatur quod fidem nostram reddere posset suspectiorem. In re utique parum probabili Juranti non facile crederetur, ut homini praecipiti, temerario, et nimium praesidenti, si nulla adjecta exceptione, aut difficultatis significatione, rem plenam aleae simpliciter se facturum sponderet. E contra, addita exceptio ubi nullus appareret periculi metus, suspectum redderet Jurantem, quasi nihil aliud tam importuna diligentia quaeretur, quam fidei violandae *πρόφασις* quaedam et *περικάλυμμα*. Obligat autem Jurantem hoc Juramenti genus ad faciendum quantum potest,^b siquidem non poterit totum; et, si grave damnum alteri ex non praestito Juramento acciderit, ad sarcinendum illud aliqua saltem ex parte aliquo alio beneficio pro oblata sibi opportunitate, praesertim si impedimentum illud aliqua sua negligentia, imprudentia, aliave lata culpa contigerit. Et haec de Dubio primo.

§. 6.
Casus IV.
Juramentum de re
necessaria.

6. Secundum sequitur, de Juramento rei necessariae. Rem necessariam intelligo, quae nobis ex officio incumbit vi Praecepti Divini etiam citra Juramentum, ita ut si eam debitis loco et tempore etiam injurati non faceremus, omnino peccaremus: ut alere parentes egenos, depositum reddere, et similia. Quo pertinent illa Juramenta quae a subditis exigi solent de fidelitate Regi servanda, et de Suprematu Regio agnoscendo tuendoque, quaeque conceptis verbis ab iis praestantur qui ad Magistratum aut munus aliquod publicum admittuntur, ut quae sui sunt muneris fideliter faciant. De Obligatione hoc genus Juramentorum nulla potest esse controversia. Ad quae enim

^a *σύμβολον πίστεως*. Philo. [De Plantatione Noe. i. 341. ed. Man-gey. τὸ πίστεως βεβαίωτατον σύμβολον.]

^b Videtur excusatus esse a faciendo quod juravit, licet teneatur facere quod in se est. Aquinas, Sec. Sec. Quaest. lxxxix. Art. 7.

praestanda vel injurati tenemur, jurati certe multo tenemur magis: ^c accedente scilicet ei quae praefuit ex Praecepto, nova Obligatione ex Jurejurando. Non ergo isti Dubio ulterius immorabimur.

7. Dubium tertium, de Juramento rei illicitae. Rem illicitam dico quae sine peccato fieri non potest, in quantum obviat, ut loquuntur, alicui Praecepto Divino, quum sit peccatum omne *ἀνομία*, et Legi Dei adversetur. Est autem hoc genus Juramenti adeo illicitum, ut non solum is peccet qui sic jurat, sed et is quoque qui alium ad sic jurandum auctoritate, consilio, aut alio quocunque modo impellit inducitve. Sed de impellente fortassis alias. Peccat interim qui sic jurat, sive intendat facere quod juravit, sive non intendat. Si intendat, peccat volendo rem illicitam, et sic non jurat *in justitia*: si non intendat, peccat mentiendo, et sic non jurat *in veritate*. Sed sive intendat sive non, certum est nullatenus obligari. Fit quidem saepissime, qui est apud homines Divinae Majestatis contemptus, ut aut irae impatientia, aut metu periculi, aut spe commodi, aut amicorum impulsu, aut verecundia quadam et obsequio, aut alia quavis causa inducti plurimi, dum affectibus suis nimium indulgent, ea se facturos, Deo adhibito Teste, confirmant, quae ipsi aut jam tum certo sciunt esse illicita, aut saltem postea, quum sunt a pravis affectibus liberiores, facile intelligunt, non posse a se sine peccato praestari. Et tamen, quae est humani judicii perversitas, peritissimi istiusmodi technarum artificis Satanae officiiis et praestigiis effascinati, plurimos videas quos nulla officii conscientia ad recte agendum compuleris, Juramenti tamen religione ad prava agendum ita constrictos teneri, ^d ut quod malo consilio juratum est ad id ipsum adimplendum pessimo errore se putent ex Juramenti Vinculo obligatos. ^e Atqui dictum est jam ante in quinta nostra Hypothesi, et apertis rationibus confirmatum, nec rei illicitae,

§. 7.
Juramentum de re
illicita.

^c ὄρκου δὲ προστεθέντος, ἐπιμελεστέρα ψυχὴ κατέστη. Sophocles, in Hippodam. [Fragm. 419. ed. Dindorf. Oxon. 1832.]

^d Saepè plerique constringunt se ipsos jurisjurandi sacramento; et quum ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spo-

sponderunt. Ambros. de Offic. iii. 12. [Opp. ii. col. 127 A. ed. Ben.]

^e ... et juravit illicite et perseveravit injuste. Verum id non voluntate, sed verecundia. Nam probro ducitur ... apud Francigenas Juramentum solvere, quamlibet malo publico juratum fit. Bernard. Epist. 219. [Opp. i. col. 203 A. ed. Ben.]

quatenus illicita est, ullam esse Obligationem, nec rem malam ullam vim accipere a Juramento.

§. 8.
Juramen-
tum de re
simpliciter
illicita.

8. Quod ut rectius intelligatur, et accommodatius ad Casus particulares, quum non sint omnes res illicitae ejusdem generis et gradus, distinctius mihi paulo hac in re agendum esse sentio. Quidquid ergo illicitum est, aut ex se illicitum est, aut ex accidente: ex se rursus dupliciter, primario et secundario. Illud dicitur illicitum ex se primario, et, ut ita dicam, in summo gradu, quod est ita illicitum ex natura ipsius rei ut sit universo humano generi a Deo prohibitum. Sic illicitum est, quidquid est contra sacram Dei Legem duabus Decalogi Tabulis comprehensam, quidquid aut pietati in Cultu Dei, aut charitati fraternae in operibus justitiae et misericordiae adversatur.

Casus V.

Et de re hoc primo modo illicita, sit primus Casus. Ut si quis juraret se sacrificaturum Idolis, aut B. Virginis imaginem adoraturum, quae sunt Peccata Admissionis; vel si juraret nunquam se Divinis Officiis interfuturum, aut Sacras Conciones auditurum, aut Coenae Dominicae participaturum, aut sanctificaturum Diem Dominicum, quae sunt peccata Omissionis, adversus Praecepta Primae Tabulae. Aut si quis juraret occidere patrem, natum infantem exponere, adulteram dictis loco et hora convenire, aut cum aliis conjuraret in societatem furti, latrocinii, fraudis, aut alterius cujusvis criminis, quae sunt peccata Admissionis; vel si juraret patrem senem et egenum non alere, pauperibus eleemosynam non erogare, depositum non reddere, &c, quae sunt peccata Omissionis, adversus Praecepta Secundae Tabulae. In his et istiusmodi rebus simpliciter et universim illicitis, ex omnium consensu etiam simpliciter et universim obtinet Hypothesis antedicta, nullam esse posse ex Voto, Promisso, Juramento vel aliunde Obligationem. Pacta quae turpem causam continent, non sunt observanda,^f inquit Jurisconsulti.* Immo etsi graviter peccatum fuerit vovendo, paciscendo, jurando, aliasve promittendo rem in genere illicitam, multo tamen gravius peccatur adimplendo Promissum.^g Quod qui facit duplicis peccati se reum constituit, unius, ejus

^f Si unus ff. de Pact. [Digest. Lib. ii. Tit. xiv. Lex 27. §. 6.]

* In the first Edition, 'inquit J.Cti.' In all the subsequent Editions, 'inquit Jesu Christi.'

^g Impia est Promissio quae scelerere adimpletur. 22. qu. 4. c. In malis. [Decret. Pars ii. Caus. xxii. Quaest. 4. §. 6.]

speciei cujus est factum in se consideratum, puta homicidii aut furti; alterius, violatae Religionis ex irreverentia et abusu Nominis Divini, quatenus res mala ejus auctoritate quantum in ipso est confirmatur.

9. Secundus Casus est de re ex se illicita secundo, id est, non ex natura ipsius rei omnibus illicita, sed quibusdam tantum pro conditione suarum personarum, prout sunt membra alicujus Communitatis, aut in certo aliquo vitae genere versantur. Illicitum enim est, idque ex se, non ex accidente tantum, his qui sunt membra alicujus Communitatis, quicquid Legibus illius Communitatis repugnat; ^{§. 9.} ^{Casus VI.} ^{Juramentum de re illicita ex circumstantia.} quod tamen illicitum est aut a Deo prohibitum, non primario, immediate, et in specie, sed secundo, mediate, et in genere, vi illius generalis Mandati Divini quod praecipit obedientiam Rectoribus in omnibus licitis et honestis. Illicitum item est eodem fere gradu, et ex eodem fundamento, his qui aliquo munere aut officio funguntur, aut in certo aliquo vitae statu aut conditione constituti sunt, (quam nostrates vocabulo minus proprio fortassis, sed tamen usu recepto, particularem Vocationem appellant) quicquid naturae aut rationi illius muneris sive Vocationis non est consentaneum. Potest enim id licere Magistrato politico, quod non licet Verbi Ministro, aut e contra; itemque mercatori, quod non agricolae; domino, quod non servo; conjugii, quod non coelibis; et sic de caeteris. Quibus omnibus Deus in genere Legem hanc fixit, ut quisque quod suae Vocationis est fideliter faciat, intraque fines ejus modeste se contineat. Si quis ergo Mercator Anglus juraret se lanas, aut alias merces extra regnum Angliae Lege deportari prohibitas Hamburgum mittere; aut si Magistratus aliquis juraret se non puniturum furtum aut adulterium; aut Episcopus vel Presbyter se nunquam concionaturum, aut Sacramenta administraturum; aut servus rusticus se, domino jubenti boves jungere vel fruges demetere, non pariturum; quorum primum illud Legibus Regni, reliqua conditionibus propriae Vocationis adversantur, essent ista omnia Juramenta rei eo quo jam dixi gradu illicitae; et ipsa etiam propterea Juramenta illicita, et ordinarie non obligarent. Dico ordinarie, quia fortassis possunt dari casus, in quibus Jura-

^h Jus jurandum contra vim legum et auctoritatem Juris nullius est momenti. 1. si quis ff. de legat. et fidei c. [Digest. Lib. xxx. Tit. i. Lex 112. §. 4.]

mentum quod videtur alicui Legi Communitatis aut Vocationis adversari, etsi non debuerit suscipi, susceptum tamen potest obligare. Ut, exempli causa, in Lege Poenali disjunctiva. Sit Lex Civitatis, Nemo civis Praetoris munus, ad id electus, detrectato: qui faxit, centum aureorum mulcta esto. Caius civis, quod se imparem putet muneri, aut ut caveat sibi ab aliquo quod inde metuit incommodo, jurat se nunquam urbana Praetura functurum. Eligitur a civibus: jurejurando se tuetur: ab illis poscitur tamen ad gerendam Praeturam, posthabito jurejurando. In hac specie facti quaeritur, in foro Conscientiae quid juris? Respondeo, debuit non jurasse, nulla praesertim cogente necessitate; potuit enim vel injuratus recusasse. Juratus tamen videtur obligari, nec posse sine Perjurio poscentibus civibus morem gerere: tenetur itaque mulctam solvere, Praeturam recusare. Intelligi velim praecise quantum spectat ad id de quo nunc agitur, Materiam scilicet Juramenti, atque etiam praecise in quantum adversatur Legi Civitatis. Nam respectu Finis, aut alterius causae, immo respectu ipsius etiam Materiae quatenus est impeditiva majoris boni publici, aut aliunde, potest justa subesse ratio quae Obligationem tollat. Ordinarie tamen, ut dixi, Juramentum praestitum contra Leges totius Communitatis aut propriae Vocationis non obligat. Atque haec de rebus ex se illicitis dicta sunt.

§. 10.
Juramentum de re
quae juranti videtur
illicita.
Casus VII.

10. Sequuntur quae ex se non illicitae, sunt tamen illicitae ex accidente. Accidit autem rei licitae ut fiat illicita, aut ex errore personae jurantis, aut ex effectu malo rei juratae. Tertius ergo Casus est, quum quis Juramento pollicetur se facturum aliquid in se fortassis licitum, quod tamen ipse putat esse illicitum, aut certe veretur ne non sit licitum. Ut si quis ante haec tempora admittendus ad Beneficium, ut vocant, Ecclesiasticum, promisisset in Publicis Sacris observare omnes ritus Legibus Ecclesiasticis imperatos, vestem scilicet lineam, Crucis signum ad Sacrum Fontem, ingeniculationem in percipiendis Symbolis in Sacra Coena, et id genus alios, quos ipse tamen ex aliquo levi praesudicio putaret esse superstitiosos et papisticos. Quaeritur in hoc casu quae sit Obligatio? Pro responsione dico tria. Dico, primo, non posse tale Juramentum, durante tali errore, sine gravi peccato suscipi. Peccat enim graviter, qui contra Conscientiam peccat, etsi erroneam.*

* Compare Sermon iv. ad Clerum, §. 24.

Judicium enim intellectus quum sit unicuique proxima agendi regula: voluntas, si iudicium illud non sequatur, deficiens a regula sua necesse est ut in obliquum feratur. Tritum est illud: 'Qui facit* contra Conscientiam, aedificat ad gehennam.' Sane qui jurat in id quod putat esse illicitum, nihilo minus juraturus esset, si esset revera illicitum; atque ita res illa, ut alii licita, est tamen ipsi illicita, sententiam ferente Apostolo, Rom. xiv. 14. Ubi distinguit inter *κοινὸν δι' ἑαυτοῦ*, et *ἐκέλευε κοινόν*, et aperte docet, posse id quod non est *κοινὸν δι' ἑαυτοῦ*, impurum et illicitum in se, esse tamen *ἐκέλευε κοινόν*, impurum et illicitum homini, *τῷ λογιζομένῳ τί κοινὸν εἶναι*, nempe illi homini qui aestimat aliquid esse impurum aut illicitum. Dico, secundo, tale Juramentum non obligare. Ratio manifesta, ex tertia Hypothesi, quia Juramentum non potest tollere Obligationem priorem, nec inducere Obligationem aliam ei contrariam. Ast illi Juramento quod suscipitur contra dictamen Conscientiae, praefuit alia prior ex illo dictamine orta. Conscientiae enim dictamen, sive rectae sive erroneae, semper obligat, saltem ad non faciendum contra eam. Istam autem Obligationem Juramentum subsequens remove non potest. Quin ipsum potius invalidum fit, et vim obligandi amittit. Dico, tertio, si Jurans postea melius edoctus errorem suum agnoscat et corrigat, Juramentum quod prius non obligabat exinde incipere de novo obligare. Juramento enim inest obligandi potentia quasi naturalis et inseparabilis, sicut lapidi naturaliter et inseparabiliter inest potentia movendi deorsum: quae potentia semper nata est exserere vires suas et prodire in actum, nisi ab aliquo impediendo prohibeatur. Quemadmodum ergo lapis, ut moveatur postquam aliquamdiu quievit, non indiget nova aliqua potentia sibi aliunde indita, sed, remoto prohibente, statim suapte vi deorsum fertur, sic Juramentum, remota illa errantis Conscientiae Obligatione quae ipsius vim prius impediabat, sine omni mora aut alterius rei ope, ex vi sua obligat.

II. Alii sunt Casus de re illicita ex accidente, ratione mali effectus ipsius rei, quatenus scilicet potest esse impeditiva boni, aut causativa, vel saltem, sic enim loquendum est, occasionativa mali. Impediri autem bonum supponitur aut antecedens, aut futurum. Quartus ergo Casus est, ubi res jurata videtur illi-

§. II.
Juramen-
tum repug-
nans priori
Obliga-
tioni.

Casus VIII.

* 'Omne quod fit,' &c. See Sermon ii. ad Clerum, §. 26.

cita, eo quod impediatur effectum alicujus boni antecedentis, puta Voti aut Promissi prius facti: ut si is qui Voto se prius obstrinxerat ad aliquod opus pietatis aut charitatis, postea Juramentum susciperet, quod impediret adimpletionem prioris Voti. Veluti si Voto obstrictus dimidiam lucri partem hebdomatim pauperibus dare, juraret postea totum lucrum in usus belli conferre; vel si Caius pollicitus Titio fundum vendere certo pretio, Julio postea se venditurum juret majori pretio. Hic Casus nihil habet difficultatis. Clare enim respondetur, et fundatur responsio in tertia Hypothesi, ejusmodi Juramentum nec licitum esse nec obligatorium. Quia Obligatio illa prior, undecunque contracta, sive ex pacto, sive ex voto, sive ex nuda promissione, sive ex officio mero, valida manet, et ponit obicem omni actui contrario subsequenti.

§. 12.
Casus IX.
Juramentum impeditivum alicujus boni.

12. Quintus Casus est, quum id quod juratur videtur esse impeditivum alicujus boni futuri. Ut si quis juraret se nunquam futurum fidejussorem alieni debiti, aut Verbi ministrum, quum sit tamen ad illud munus valde idoneus, aut artem utilem quam solus novit nemini communicaturum, et similia. Ratio Dubii est, quia minus bonum respectu majoris boni habet quodammodo rationem mali: ergo Juramentum, etsi alias honestum, si sit impeditivum majoris boni, videtur esse malum. Solutio Dubii in hoc Casu non potest aliqua afferri generalis et certa, quae factis singularibus universis conveniat, quia versatur in comparatione magis et minus boni, quae plurimum pendet ex circumstantiarum collatione, quae, quum sint infinitae varietatis, non possunt omnes certis et definitis regulis ita comprehendi, quin ut viri prudentis arbitrio res plurima ex parte sit permittenda, ut id demum faciat quod, expensis qua licet fide et diligentia utrimque rationibus, sibi videbitur tandem pro hic et nunc magis expedire. Interim tamen, quum non sit simpliciter verum, nisi caute intelligatur, unumquemque semper obligari ad id faciendum quod est melius, pro solutione Dubii in hoc Casu dici potest, Juramentum non esse illicitum, aut obligandi vim amittere, praecise ob hoc quod videatur esse impeditivum majoris boni, nisi concurrant aliae etiam circumstantiae, ut quidem fere fit, quae illud evincant aut non licere aut non obligare. Exemplo res erit illustrior. Caius pharmacum eximiae virtutis aut aliud artificium insigne a Titio inventore edoctus, sed ea conditione, ut cum nemine alio, ipso superstitute

et inconsulto, juret se communicaturum. Non-communicatio tanti arcani videtur esse contra bonum publicum, et tamen ratio dictat Caium obligari, et teneri bona fide observare quod promisit. Alias Titio fieret injuria, cujus interest arcanum non communicari, quod nec ipsi Caio ab initio, nisi tali interposito Juramento, communicatum fuisset.

13. Restat proxime ut de re agamus per accidens illicita ex eo quod videatur esse causativa, vel saltem occasionativa alicujus mali, idque vel ipsi Juranti vel alteri. Sextus ergo Casus est, ubi quod juratur incommodum est ipsi Juranti, vel inferendo ei certum damnum temporale, vel exponendo eum periculo tentationis. Ut si Caius juraret se Titio decoctori mutuo daturum centum aureos, nunquam fortassis recepturus; quod ei cederet in damnum. Aut si Fabius, petente id uxore jam morti vicina, ex qua liberos aliquot sustulisset, ne induceretur eis noverca, juraret ad secundas nuptias se non transiturum; unde se fortassis periculo exponeret ustionis. Pro responsione dico, primum, istiusmodi Promissionem non esse temere aut sine magna deliberatione faciendam, nec nisi gravis causa subsit: non tamen simpliciter esse illicitam. Etsi enim omnis mali occasio sit diligenter vitanda, tamen quum nihil quod non est ex se et alia ratione illicitum, sit necessario et universaliter mali occasio; nec sit aliquid simpliciter, et de sua specie illicitum, ob hoc solum quod possit esse occasio mali, non videtur simpliciter damnanda omnis istiusmodi Promissio: praesertim si Juranti quo tempore juravit, debita adhibita diligentia, non appareret alicujus magni incommodi periculum probabile. Dico, secundo, si cedat Juramentum in damnum temporale ipsius Jurantis solum, citra injuriam tertiae personae, Jurantem obligari, etsi cum gravi suo damno, ni is cui juratum est velit remittere. Verba diserta sunt, Psal. xv. *נשבע להרע ולא ימיר* *Juravit in malum, et non mutabit.* Ubi in Hebraeo prius verbum praeteriti temporis est, *juravit in malum*, posterius futuri, *et non mutabit*: quasi diceret, viri pii officium est, postquam juravit proximo suo quod sine magno suo malo praestari nequit, constare tamen sibi, et quod promisit ratum esse jubere, et, ut est in hoc Textu, *secundum omne quod egressum est ex ore suo* facere. Dico, tertio, Juramentum obligare, etiamsi videatur exponere periculo tentationis, nisi sit aliunde vitiosum. Quia si id sufficeret tollendae Obligationi, vix

§. 13.
Juramentum cedens in incommodum ipsius Jurantis. Casus X.

remaneret quidquam quod posset obligare: quum ex astu Satanae et corruptione cordis humani nihil sit a mali periculo tam immune, quin ut inde necti possit in perniciem nostram, nisi nos Dei gratia praestaret incolumes, laqueus tentationis. Quin potius ex adiutorio Divinae Gratiae poterit ista Obligatio, velut clypeus repellendae tentationi idoneus, ex adversum objici: nempe tentationi non credendum, sed animosius obtinendum: quia Juramenti religione teneris, ne id facias ad quod tentaris.

§. 14.
Casus XI.
Juramentum alteri Scandalum praebens.

14. Casus Septimus est, ubi id quod juratur videtur ex eo illicitum, quod alteri possit inde creari periculum Scandali, praebendo scilicet ei ex facto nostro occasionem ruinae. Plurima exstant eaque gravissima in Epistolis Paulinis de vitando Scandalo monita, praesertim Rom. xiv, et 1 Cor. viii. Et sane viro vere Christiano summopere cavendum est, ut in omni conversatione sua non propriae tantum Conscientiae consulat, sed et aedificationi alienae, nec quaerat quod sibi utile est, *sed quod multis*, videatque tam quid illis expediat, quam quid sibi liceat, ne libertate sua abutatur in perniciem fratris. Sed quatenus a rebus licitis abstinendum sit ob Scandalum vitandum, nec paucis expedire potest, neque est praesentis instituti dispicere. Dicendum videtur, quod ad praesens negotium attinget, unius Scandali periculum, si nulla adsit alia ratio cur res illicita censeatur, non sufficere ad impediendam Juramenti praestiti Obligationem, sicut in praecedente Casu de periculo tentationis jam dictum est, quum utriusque periculi videatur esse eadem per omnia ratio.

§. 15.
Casus XII.
Juramentum de re adiaphora.

15. Emensus jam tandem de Materia Impossibili, Necessaria, et Illicita praecipuos Casus, ad reliqua Dubia pergo. Dubium quartum est, de Juramento rei liberae, hoc est, rei neque necessariae neque illicitae, sed mediae et indifferentis. Quae ἀδιαφορία quum ex duplici causa oriatur, scilicet ex voluntate Legislatoris nec praecipientis nec prohibentis, et ex levitate rei, occurrunt proinde in hac materia duo Casus. Casus prior est, quum res nullo aut praecepto aut interdicto Divino vel humano legitimo ita determinata est, quin ut possit quisque pro hic et nunc, secundum exigentiam circumstantiarum, pro suo arbitrio facere vel non facere, prout ipsi visum fuerit expedire. Ὁ θέλει ποιείτω, *Quod vult faciat, non peccat*, 1 Cor. vii. 36. Ut si Caius juret se Titio fundum venditurum,

aut daturum mutuo centum. Respondendum breviter, Juramentum in hoc casu et licitum esse, et obligare. Casus posterior est, quum res aut ob sui levitatem indigna est viri prudentis deliberatione, nec cassa nuce interest fecerisne an non feceris, ut levare festucam de terra, fricare barbam, &c. Aut, ob parvitatem materiae non est multum aestimabilis, ut dare pomum puero, aciculam commodare, &c. Juramentum de re, isto sensu adiaphora, omnino est illicitum. Arguit enim Sancti Nominis Dei aut nimiam irreverentiam, si, ut fere fit, ex quodam habitu jurandi longo usu contracto, imprudenti forte exciderit; aut apertum contemptum, si quis id sciens prudensque admiserit. Scilicet, non est Deus advocandus testis, nisi ubi 'dignus vindice nodus inciderit,' ubi causa exigit, non justa modo sed et gravis. Et in hoc omnes consentiunt. Caeterum de Obligatione quid statuendum? Video quidem plerosque Casuistas Pontificios in ea esse sententia, Juramentum de re exigua et parvi momenti esse sua natura nullum, et non obligare, quia scilicet res¹ levis non est idonea materia Juramenti, et Lex non curat de minimis. Sed miror potuisse eos, qui alias videri volunt esse tam Lyncei, in re tam aperta caecutire: nisi quod putidae illi distinctioni Peccati Mortalis et Venialis, quo velut fermento totam Theologiae Moralis massam foede corruperunt, locum relictum cupiant. Sed obligare Juramentum in re vel levissimi momenti constat, primo, quia in re gravi et levi eadem est veritatis et falsitatis ratio. Secundo, quia in Assertorio Juramento qui aliter dicit quam res est, etsi in re levissima, pejerat: ergo a simili et in Promissorio, qui aliter facit quam juravit. Tertio, quia aliter, quantum in se esset, Deum falsae rei testem faceret. Quarto, quia omnis Jurans tenetur facere totum quod promisit, quatenus potest et licet; sed dare puero pomum et possibile est et licitum; ergo tenetur praestare. Non debuit ergo sic jurari; sed ubi juratum est debet impleri.

16. Reliquum est Dubium quintum, ubi juratur in Materiam Indefinitam et Incertam; et continet tres potissimum Casus. Primus Casus est, quum quis se tradit quodammodo in alienam potestatem, promittendo se facturum quidquid ille alter voluerit. Ut si Princeps juraret se daturum aulico amico ob praestitum sibi fidele officium quidquid is petierit, aut si servus cujusquam vel amicus juraret se omnia heri jussa vel amici

§. 16.
Casus XIV.
Juramentum de faciendo quod alius voluerit.

mandata facturum. In isto casu dico, primo, Juramentum istiusmodi, si simpliciter intelligatur ut verba sonant, esse illicitum. Injuriam facit Deo, cujus unius servus est omnis homo, quisquis se facit servum hominis, et alienae temeritatis mancipium. Dico, secundo, ut licitum esse possit, aliud aliquid necessario subintelligi. Ut, exempli gratia, Juro me facturum quod voles: subintellige, si rem voles honestam, possibilem, aequam. Atque eatenus, et in eo sensu obligat. Videntur hac quasi solenni formula jurasse soliti olim Reges Persarum et Judaeorum, idque indefinite, ad ampliolem magnificentiae suae et gratiae ostentationem: *Pete quod vis: et dabitur tibi usque ad dimidium Regni*. Hac forma Rex Persarum Assuerus Reginae conjugii juravit; et quum haec rem aequam et necessariam peteret, ille pro fide data rem fieri jussit. Eadem paene forma quum Salomon Reginae matri promississet daturum se ei quidquid peteret, et ipsa Adoniae nomine rem peteret quae Salomoni, cui comperta erat jamdiu hominis ambitio, visa est iniquior, Salomon, non obstante Juramento, postulatum matris non fecit. Quo facto satis indicavit, non se alia mente promississe quam si res justa postularetur, suoque exemplo nos docuit, ubi indefinite in alienam voluntatem juratur, subintelligi semper oportere hanc conditionem, si is id voluerit, quod ex aequi boni jure ab illo modeste expectari, a nobis honeste concedi fas est. Suppetit et tertium exemplum ejus formae Juramenti, quod narratur Matth. xiv. Herodis scilicet Tetrarchae, qui saltatriculae ex fratre nepti gratiam facturum, juravit se ei daturum quidquid peteret.ⁱ Petiit illa rem iniquissimam, hominis innocentis et indemnati amputatum in patina caput. Rex fieri jussit *διὰ τοὺς ὄρκους καὶ τοὺς συνανακειμένους*. Religiosum, scilicet, et verecundum hominem puduit praesentibus tot convivis non adimplere id, nefario licet facinore, ad quod se Juramenti sacramento obstrinxerat. Esto hoc nobis exemplum in cautelam, ast illud Salomonis in imitationem. Et meminerimus Juramentum sic indefinite prolatum cum sua justa exceptione^k tantum esse semper intelligendum,

1 Cor. vii.
22.

Est. v. 3, 6.
et vii. 2.

3 Reg. ii.
20, &c.

ⁱ Ἀκούσατε ὅσοι ἐπ' ἀδῆλοις ὄρκους προτείνετε. Chrysost. in S. Matth. Hom. 48. [vii. 499 A. ed. Ben.]

^k Conditio intelligitur. Si ae-

quum sit. l. Jus publicum. ff. de Pact. [This seems to refer to Digest. Lib. ii. Tit. xiv. Lex 38; but I have not been able to find the words there.]

et extendendum ad ea solum quae sunt verisimiliter cogitata quum juraretur: non ad ea, quae si tunc cogitata fuissent, non fuisset juratum.

17. Casus secundus est, quum a subdito exigitur Juramentum conservandi et tuendi jura, privilegia, praerogativas, et praeeminentias superioris alicujus potestatis, ut Regis, Civitatis, aut Domini alicujus feudi, qualia sunt apud nos Juramenta homagii, Juramentum Suprematus Regii, et similia. Licita esse hoc genus Juramenta nemo non agnoscit, atque etiam obligare; sed ob illorum jurium plerumque incertitudinem, merito dubitari potest quatenus obligent. Dicendum est, obligari subditum indubie ad conservandum quantum in ipso est omnia jura quae νόμος aut θέσμις, legibus aut moribus, constat esse legitima: id est quae aut Jure scripto definita sunt, aut longo temporis usu, et diuturna, ut vocant, praescriptione, invaluerunt, quatenus scilicet sibi nota sunt, vel etiam posthac moraliter innotescere poterint. Non tamen pariter obligari ad omnia ea conservanda quae sunt dubii aut controversi Juris, praesertim quum soleant fere qui potestate praediti sunt funiculos agrorum extendere, et ultra lapides clientium salire, nec jurium suorum finibus contenti esse. Debet tamen subditus animo esse semper parato, et illa quae sunt dubia, ubi justa esse constiterit, agnoscere et tueri.

§§. 17, 18.
Casus XV.
Juramentum de conservandis Juribus, et de observandis Statutis.

18. Ultimus Casus est, ubi exigitur Juramentum a membro alicujus Communitatis, puta Civitatis, Academiae, Collegii, aut Societatis Mercatorum vel Artificum, ad observanda statuta, privilegia, consuetudines, et libertates illius Communitatis. Quaeritur, Qualis est Obligatio? Respondeo, imprimis, Juratus obligatur ad omnia statuta fundamentalia, quantum in ipso est, simpliciter observanda. Fundamentalibus autem dico, quae necessario et proxime tendunt ad conservandum publicum statum, ordinem, et honorem totius corporis sive communitatis. Sed id, secundo, non semper et necessario ad rigorem literae; sed prout in more posita sunt, et usu communi recepta, et prout approbata consuetudine ab aliis observantur. Tertio, ad minorum gentium statuta quod attinet, quae pertinent ad externam tantum formam et decus; vel quae aut ex conditione materiae, aut ex forma sanctionis, aut alio probabili indicio vir prudens judicaret non fuisse condita cum intentione rigidae

§. 18.
Casus XVI.

Obligationis,¹ obligatur ea ordinarie observare, sic tamen ut liceat ei quandoque justa de causa sine scrupulo Conscientiae id praetermittere quod statuto aliquo faciendum praescribitur, modo id fiat citra scandalum aut contemptum. Quarto, Obligatio extenditur et ad statuta de futuro sancienda, modo sint possibilia, justa, et honesta. Quinto, si aliquod statutum post Juramentum praestitum abrogetur, vel in desuetudinem abeat, Obligatio Juramenti quoad illum statutum cessat ita ut non teneatur illud ultra observare, nisi juratum fuerit verbis specialibus in ipsam rem statuto decretam; in eo enim casu sublato statuto manet tamen Obligatio. Sexto, quum statuta Communitatum fere plurima sint, et multa multis ignota, et difficillimum sit, immo vix possibile, omnia et singula exacte et examussim observare, qui bona fide ita se comparaverit ut nihil quod est officii sui lubens praeterierit, debitamque adhibuerit moralem diligentiam ut ea omnia sciret quae ad ipsius officium pertinent, statueritque statui, honori, paci suae Communitatis, quantum humana patitur infirmitas, fideliter et sine scandalo inservire, hunc ego non dubitarim fidem de statutis observandis a se datam bona Conscientia hactenus liberasse, et debitum ad quod se obligavit aequi boni Lege exsolvisse. Quod item et de publicis Regni Legibus intelligendum est.

§. 19.
Supradicta
omnia cau-
te esse in-
telligenda,
submoni-
tio.

19. Atque haec de prima Casuum classe dicta sufficiant. Ne quis autem me existimet nimiam propterea jurandi licentiam voluisse permittere, quod toties dixerim hoc vel illud Juramenti genus non esse illicitum, illud necessarium duxi me vos mature submonere, non id ea mente aut hodie dictum, aut posthac dicendum, quasi cuivis licere putarem pro suo arbitrio quum voluerit sic jurare, quum sciam Juramentum rem esse sacram, nec nisi magna cogente necessitate, idque rarissime, et summa cum reverentia adhibendum. Sed id ita ubique intelligendum, non esse Juramentum ex illa vel illa causa simpliciter et de toto genere illicitum. Exempli gratia, quum dixi Juramentum impeditivum majoris boni non esse

¹ Juramentum non plus debet obligare quam voluerit aut rationaliter velle debuerit obligare ordinator talis Juramenti. Gerson. de

Vita Spirit. Animae. Lect. iv. [Croll. 13. tom. iii. col. 210 C. Paris. 1606.]

illicitum, vel Juramentum de re adiaphora non esse illicitum, sensus fuit, non debere concludi Juramentum aliquod esse simpliciter et de toto genere illicitum, modo habeat alias omnes debitas conditiones, ex eo solum quod sit impeditivum majoris boni, aut ex eo solum quod sit de re adiaphora; sive, quod eodem recidit, non esse ex hac parte aliquod impedimentum quin ut possit esse licitum, si sit alias necessarium et omnia alia ex parte debite conditionatum.

PRAELECTIO QUARTA.

CONTINENS CASUS QUINDECIM.

§. 1.
Juramenti
Causa Effi-
ciens, et
Propositio
dicendo-
rum.

ABSOLUTIS superiore Lectione praecipuis difficultatibus quae ad Juramenti Materiam propius pertinebant, pergendum nunc porro ad ea Dubia solvenda quae ad Causam ejus Efficientem quoquo modo reduci posse videbuntur. Est autem Juramenti Causa Efficiens, quod ad nostrum institutum attinet, duplex. Altera, quam Agentem dicimus, cujus propria est effectio: altera, quae Agentem ad operandum impellit, quam *προκαταρκτικήν* seu Impulsivam Causam solemus appellare. Agens rursus aut est proxima et principalis, aut minus principalis et ab effectu remotior. Quum enim ad Juramenti Obligationem duas minimum personas concurrere necesse sit, velut terminos istius relationis, personam scilicet Jurantis, qui fidem suam alteri jurejurando confirmat, et personam ejus cui juratur, qui fidem alterius sibi Juramento interposito firmari postulat, quem plerique, Ciceronem secuti, Deferentem vocant, utriusque personae suae sunt quasi partes in hoc negotio; sed Jurantis primae et potiores, secundae Deferentis. Possunt autem spectari in utroque Agente, imprimis conditio, sive, ut ita dicam, idoneitas Personae; deinde et extensio Obligationis. Sunt ergo in hoc genere Causae Efficientis illa Dubia primo loco consideranda, quae oriuntur ex defectu alicujus conditionis requisitae ex parte Agentis principalis ad hoc, ut sit idoneus ad suscipiendum Juramentum. Duo autem potissimum requiruntur ut quis ad jurandum idoneus sit, Judicium scilicet Rationis, et legitima Potestas. Oportet enim ad jurandum accedere animo, et deliberato, et ad implendum Promissum parato. At neque deliberare potest qui non est praeditus judicio Rationis, nec fidenter aliquid polliceri et cum effectu, qui sub aliena potestate est, et non sui juris.

§. 2.
Casus
XVII.
Juramen-

2. Dubium itaque primum est, Quatenus obligat Juramentum ejus, cui deest judicandi facultas? Qui defectus quum possit a variis causis oriri, varii propterea in hoc capite occur-

runt Casus. Primus est de pueris, quoad pervenerint ad usum ^{tum Pue-}rationis; quod qua demum aetate fiat, nec a quoquam defini-^{rorum.}tum est, nec definiri posse puto, quum alii celerius maturescant, alii tardius. Jura quidem cum civilia Romanorum, tum plerarumque gentium municipalia certos annos constituerunt, ad quos antequam perventum sit, pueri nec ad Juramentum Assertorium praestandum sunt admittendi, nec cogendi ad Promissorium. Qualis est apud nos annus aetatis decimus sextus, quo minor qui sit nec admittitur testis in judiciis, nec exigitur ab eo Juramentum aliquod fidelitatis: immo omne Juramentum ab eo praestitum est in Jure nullum. Obtinet haec in foro externo; caeterum in foro Conscientiae interno non eadem est ratio. Instituendi quidem sunt a prima pueritia liberi et pupilli a parentibus et tutoribus, ut Juramenti vim et religionem, Perjuriique gravitatem et debitas ei poenas mature intelligant et serio expendant, quo diligentius sibi caveant ne se temere tam foedo crimine polluant, sed a prava jurandi consuetudine discant ab initio abstinere linguam suam. Vix enim cogitari potest, quis possit esse puerilis Juramenti necessarius et legitimus usus, tum ob judicandi imperitiam, tum ob illud quoque quod sub potestate aliena sunt; nisi forte a parentibus in quorum potestate sunt pro jure suo ad aliquod mandatum suum fideliter exsequendum exigatur. Quemadmodum Annibalem fama est novem ferme annorum puerum a patre Amilcare^a inter sacrificandum aris admotum, et jurejurando adactum, ut Romani nominis perpetuus hostis esset. Sed heu, proh pudor! ex collapsa dudum ubique apud homines Christianos disciplina domestica, audias passim in vicis et in triviis pariter pueros atque puellas, ubi vix dum articulate loqui didicerint, sacrum et verendum Dei Nomen ore profano et intrepide et impune temerantes: cujus vitii teterrimum foetorem, quo pueruli velut recentes testae penitus imbuti sunt, vix tandem senes facti deponunt. Sed nolo me aliorum rapiat doloris et indignationis aestus: redeo protinus ad rem. Dico ergo Juramentum puerorum, antequam pervenerint ad annos, ut nostri loquuntur, discretionis, vel sint doli capaces, ob defectum judicii, nec licitum esse nec obligare. At quamprimum sunt doli capaces, ut possint quae sit Juramenti natura et vis,

^a Vid. Liv. xxi. 1.

etsi tenuiter, aliquatenus tamen intelligere, quod ordinarie et ut plurimum contingit completo jam fere primo aetatis septennio, in multis etiam maturius, aut qui sunt praecocioris ingenii, aut in quibus malitia supplet aetatem, Juramentum puerile, etsi sit (nisi fortasse excipi debeat is unicus casus, si a parente exigatur) alias penitus illicitum, praestitum tamen obligat, nisi aliunde impediatur. Ratio est, quia actus ex sua natura obligatorius, qualis est ille jurandi actus, processit ab animo judicandi facultate aliquatenus praedito.

§. 3.
Casus
XVIII et
XIX.
Juramen-
tum amen-
tium et mo-
rionum.

3. Secundus Casus est de amentibus et furiosis; et Tertius itidem de stultis et morionibus. Quorum utrique generi hominum familiare vitium est, ex ore impuro etiam incogitantes Juramenta importune eructare. Quod, etsi est illis a nobis condonandum, et fortassis a Deo qui summe misericors est, nec messem exspectat ubi sementem non fecit, non imputabitur eis in peccatum, quia ex invincibili mentis errore promanat, certum tamen est, quod de omni Juramento pronunciavit Servator, ἐκ τοῦ πονηροῦ εἶναι, ex instigatione Diaboli et communi pravitate cordis humani provenire, qua sumus omnes Adae filii inflexibiles ad bonum, ad omne mali genus cerei. De ejusmodi Juramentis vana quaestio est et nulli usui, Sint ne licita an illicita? quia expansio rei licitae et illicitae ad eos tantum pertinet qui possunt aliquatenus judicare de rebus actis aut agendis, utrum sint suae Regulae, id est, Lege Dei et rectae Rationi, conformes vel non. Qua facultate quum destituantur qui sunt impotes mentis, frustra illis Legem dixeris. Nae is cum ratione sua vel magis insanit, qui ab insano rationem factorum exposcit. Interim constat ejusmodi Juramenta, in quantum sunt actus amentium, nullatenus obligare. Quod si quis alias furiosus et amens, lucidis tamen animi intervallis per certa tempora ita fruatur ut sit per illa intervalla mentis suae compos, Juramenta ab illo tunc praestita non minus obligant ad sui impletionem, quamdiu contigerit eum recto Rationis usu frui, quam si ab homine sanae et sedatae mentis praestita fuissent.

S. Matt. v.
37.

§. 4.
Casus XX.
et XXI.
Juramen-
tum homi-
nis ebrii,
aut irati.

4. Casus Quartus et Quintus sunt de Obligatione Juramenti, quo quis aut ebrius pollicetur aut iratus minatur se aliquid facturum, quod sobrius et pacatus fieri nollet. Ratio dubitandi est, quod quum ad hoc, ut Juramentum aliquod obliget, requiratur aliquod saltem animi deliberati judicium, ebrietas et ira-

cundia, quarum utraque est amentia quaedam brevis, sic iudicium perturbant, et rationis usum tollunt pro tempore, ut quoad alter crapulam edormierit, alteri nonnihil deferbuerit aestuantis animi dolor, neuter sane a furioso multum distare videatur. Caeterum de istiusmodi Juramentis illud imprimis certum est, neutrum genus excusari posse a peccato; sed utrum ebrietas aut irae impetus peccatum quod est in illo jurandi actu aggravet an extenuet potius, non satis inter omnes convenit; neque profecto videtur isti problemati una affirmatione simpliciter et sufficienter responderi posse, quum iudicium hac in parte pendeat plurimum ex circumstantiis. Sed utcumque, est ea quaestio non hujus instituti. Evincit ratio dubitationis expedire ne quis aut ebrius aut iratus quidquam omnino juret, quia in illa mentis intemperie non potest jurare *in iudicio*, sed Jer. iv. 2. necesse est ut id temere effutiat, quidquid demum id sit, quod suaserint (quae nil moderabile suadent) vinum et dolor, quodque sanus et siccus indictum injuratumque magno redemptum cuperet. Sed tamen de Obligatione distinguendum est. Nam, primo, aut res illicita est in quam juravit, aut licita et honesta. Si illicita fuerit (ut plerumque fit in his praesertim Juramentis quae iratis nimia vindictae cupiditate obcaecatis ex animi quodam impetu excidunt) manifestum est non obligare; rei enim illicitae nullam esse Obligationem ante demonstratum est satis. Idecirco et prudenter ab Abigaile admonitus est, et momenti pie obsequutus est David, postquam indigna hominis I Sam. xxv. ingrati contumelia paulo commotior, in interneccionem Nabalis et universae domus ejus jurasset, quum, posthabito jurejurando, manum abstinuit a sanguine. Quod si res jurata sit licita, ut saepe sunt ea quae ebrii magnifice pollicentur, tum dispiciendum est, secundo, qualis quantusque fuerit ebrietatis excessus: num in eo gradu ut impediret tantum aut perturbaret usum rationis, an in eo ut ipsam mentem penitus auferret, hominemque summotam ratione quasi in bestiam aut feram converteret. Rationis usu penitus sublato, qui juravit tenetur, ubi ad sanam mentem redierit, et ebrietatis et temerarii etiam Juramenti seriam agere poenitentiam; non tamen obligatur ad faciendum quod se facturum juravit, quia quo tempore juravit non habuit eum usum rationis qui necessarius esset ad iudicandum de rebus agendis cum aliqua animi deliberatione. At rationis usu praepedito tantum, non autem ita sublato quin ut posset quan-

tumvis ebrius de rebus agendis aliquo modo judicare et statuere, videtur etiam aliquo modo obligari ad Juramentum aliqua saltem ex parte adimplendum, si fieri possit sine suo admodum gravi incommodo, tum ratione antecedentis deliberationis ad obligandum sufficientis, tum in aliquam temeritatis suae poenam, ut discat in posterum sapere et sobriam vitam agere, ne id in se temere admittat ebrius quod eum sobrium ringat. Sed si adimpletio Promissi cedat Juranti in grave damnum aut incommodum, ut si quis ebrius juraret fundum unde familiam alit venditurum vili pretio, videtur non obligari. Ob eam scilicet rationem, quod vix ullum potest esse certius indicium emotae sede sua mentis, quam quum quis vino saucius id se facturum magnifice pollicetur, quod est cum suo magno malo conjunctum. Quum ergo animus inter jurandum non fuit plene liber, propterea nec erit Obligatio plena. Is itaque fortassis in hoc casu erit rei non bonae exitus non pessimus, si utraque pars, Jurans scilicet et is cui juratur, viri boni et prudentis arbitrio rem totam permittat, qui statuatur scilicet ex circumstantiis quotam partem par sit Jurantem ejus quod promisit in ebrietatis et ex ebrietate temeritatis poenam persolvere.

§§. 5, 6.
Casus
XXII.
Juramentum ejus
qui est sub
alterius
potestate.

5. Dubium Secundum est, de Juramento ejus qui non est sui juris, sed sub potestate alterius: ut si filius-familias aut pupillus qui sunt sub potestate parentum et tutorum, vel servus qui est in domini potestate, vel uxor sub mariti potestate, vel subditus alicujus Principis, vel miles sub imperio Ducis, vel alius quivis qui alterius potestati ita subjicitur at non sit plenarie sui juris, Juramentum aliquod praestet sine permissu Superiorum: quaeritur an et quatenus valeat ejusmodi Juramentum? Respondeo, Non licet ei qui alterius potestati subest, de his rebus in quibus subest aliquid jurando statuere, sine consensu sui superioris, vel expresso si commode haberi potest, vel saltem tacito, id est, ubi Jurans potest verisimiliter praesumere Superiorem, si consuleretur, non contradicturum. Si secus fecerit, peccat jurando; nec obligatur ad faciendum quod juravit: immo obligatur ad non faciendum, nisi accedat Superioris, ubi rem rescierit, licentia.* Id quod fuse explicatum est a Mose toto hoc capite,

* This passage is quoted by Johnston. 'The King's Visitatorial Power asserted,' &c. p. 293. See above, Prael. ii. §. 10.

in casu Voti vel Juramenti, (nam, quantum ad vim obligandi, ex hoc ipso versu videtur esse eadem utriusque ratio,) a virgine praestiti, dum est in domo patris sui, vel a muliere, in domo mariti sui. Summa est, Votum virginis, si pater resciverit nec contradixerit, ratum esse, quia tacendo consensisse videtur; sin contradixerit, irritum. Quod idem per analogiam de aliis omnibus statuendum est qui alienae potestati subsunt, quatenus subsunt, ut ex antedictis manifestum est, his duabus rationibus: primo, quia injuriam alteri facit qui quasi jure suo statuit de iis quae sunt juris alieni; nemo autem tenetur alteri injuriam facere, ex quinta nostra Hypothesi, quum nulla sit rei illicitae Obligatio. Secundo, tenetur quisque ex officio superiori, in his quibus superior est, subjici, atque ipsius voluntati parere: quam Obligationem ex tertia nostra Hypothesi subsequens Juramentum tollere non potest. Proinde omnino dicendum est, Juramentum ejus qui sub alterius potestate est, absque ipsius consensu nec licitum esse nec obligatorium.

6. Quod tamen non est ita absolute intelligendum, quin ut duplicem admittat exceptionem, quarum altera personam respicit Jurantis, altera consensum Superioris. Quod ad Jurantem attinet, sciendum est vix quemquam qui gaudet usu rationis ita plene sub alterius esse potestate, quin ut sit, quantum ad aliqua saltem, sui juris. Et de his ita licet unicuique statuere pro suo arbitrio, etiam inconsulto Superiore, ut possit aliquo actu suo sine ejus licentia inducere sibi Obligationem. Non debet Caii servus Titio operam suam locare aut herilium bonorum partem aliquam ei donare vel commodare, sine consensu ipsius Caii, quia in his quae ad obsequium praestandum, ad disponendum de bonis, vel ad quameunque familiae administrationem spectant, habet pater-familias merum imperium. Potest tamen Caii servus de peculio suo,^b vel Caii filius de peculio, quod vocant, castrensi vel quasi castrensi, aliquid Titio donare vel promittere, Caio inconsulto; et si Promissionem Juramento firmaverint, tenentur vel eo invito Promissis stare, quia habet uterque peculii sui liberam potestatem et dispositionem, estque, quoad hoc, sui juris. Secundo, quod ad consensum Superioris attinet, sciendum ad ratihabitionem Jura-

§. 6.

^b Servus quod juravit servetur, si 20. ff. de Jurejur. [Digest. Lib. xii. peculii administrationem habuit. 1. Tit. ii. Lex 20.]

menti a subdito praestiti, non necessario requiri consensum praecedaneum expressum, sed sufficere consensum tacitum, sive antecedentem sive subsequentem. Consensum tacitum antecedentem intelligo, quum ex rei aequitate vel levitate, vel alia probabili causa, verisimiliter praesumi potest Superiorem facto consensurum, vel saltem non contradicturum, si consuleretur. Ut si, Caio absente vel inconsulto, uxor ejus pauperem nudum trita veste donaret, aut stipem mendico erogaret, aut filius ejus vel servus Titio vicino petenti bovem, aut plaustrum, aut aliud quid rusticae domesticaeve supellectilis utendum commodaret, aut ad aedes exstruendas, fruges comportandas, aut aliud opus necessarium perficiendum operam ei suam collocaret. Consensum tacitum subsequentem intelligo, quum Superior, cujus in potestate est quamlibet Promissionem a subdito temere factum, si sibi commodum visum fuerit, rescindere, postquam promissum rescivit, non statim et palam contradicit, nec ullo certo indicio prodit, quod hactenus factum est ita sibi improbari ut impleri porro nolit. Juxta id quod a Mose praescriptum est hujus capituli versibus sexto, octavo, aliisque, ubi ad irritandum a patre vel marito filiae conjugisve Votum, requiritur dissensus sui et aperta et matura significatio. Nec enim satis est patri ad irritandum, sic in Scholis loquuntur, filiae Votum dixisse id sibi displicere; sed oportet ut aperte contradicat, *ἐὰν ἀνανεύων ἀνανεύσῃ*, vers. 6 et 9. *ἐὰν περιαιρῶν περίελη*, vers. 13 et 16. *si renuendo renuat, et tollendo tollat*. Quasi diceret, oportet ut facto constanter abnuat, et interposita omni auctoritate sua prohibeat quod promissum est fieri. Requiritur etiam ut id statim fiat, *ἢ ἂν ἡμέρα ἀκούσῃ*, vers. 6, 8, 9, 13, 15. *quo primum die aliquid ea de re inaudiverit*. Quasi diceret, si dissensum suum vel uno die dissimulet, Votum in perpetuum stabilivit; qui enim sero se nolle significat, putandus est aliquamdiu voluisse.

§. 7.
Auctoritas
deferentis
Juramentum.

7. Post considerationem personae Jurantis, ut Agentis principalis, consideranda proxime venit persona Deferentis Juramentum, sive ejus cui Juratur, cujus post ipsum Jurantem sunt hac in re partes secundae. De qua est Dubium Tertium, ubi duo occurrunt Casus, prout ejus spectari potest vel Auctoritas vel Fides. Casus ergo primus est, ubi de ejus auctoritate ambigitur qui exigit a nobis Juramentum. Si enim sit legitimus Superior, atque ita a nobis agnoscat, neque aliud a nobis

Casus
XXIII.

Juramentum exigit quam quod est Lege sancitum, aut diuturna et approbata consuetudine stabilitum, nemini potest esse dubium ejusmodi Juramentum et licite praestari posse, et debere fideliter adimpleri. Ast ubi videtur is qui Juramentum exigit, id nullo suo jure facere, sed jus et potestatem sibi indebitam usurpare, dubitari potest non immerito, liceatne Jusjurandum ab eo sic delatum suscipere; et, si susceperimus, an et quatenus obligemur. Dicendum, primo, debere hominem pium et fortem Juramenta omnia ab eo qui non habet legitimam potestatem imposita, quantum in ipso est omnino declinare. Non modo quia solenne est τοῖς ἐξουσιάζουσιν ad iniqua promittenda eos in quos tyrannidem exercent compellere; sed etiam quia tenetur quisque jus suum libertatemque pro virili tueri, nec se facile alienae tyrannidi in servitutem tradere. At, secundo, si praeter imperium vis insuper adhibeatur, cui resistere non poterit, ita ut nullus jam sit sine summo discrimine recusandi locus, dicendum posse virum pium tale Juramentum ob vitandum grave incommodum in se admittere, sed aegre tamen et gravate et cum aliqua reluctantis animi significatione; dummodo tamen ipsa Juramenti verba, quod in hoc genere rarissimum est, nihil contineant aut ex se illicitum, aut Legibus publicis contrarium, aut juri alicujus tertiae personae derogatorium: alias recusare debere, etiam cum vitae discrimine, et ultima quaeque pati potius quam inhonesto vinculo obligare caput. Dicendum, tertio, qui Juramentum susceperit a persona justam auctoritatem non habente delatam, sed nulla alia ex parte vitiosam, omnino teneri ad implendum quod juravit.

8. Casus secundus est, si sit is cui jurandum est infidelis, vel haereticus, vel qui nobiscum antea egit non bona fide. ^{§. 8.} Dico, primo, licitum esse homini infideli aut haeretico aut per- ^{Casus} XXIV. juro fidem dare. Factum id ab Isaaco et Jacobo Patriarchis, ^{Fides hosti,} itemque a Josue et primoribus populi Israelitici, qui foedera ^{haeretico,} cum Allophylis et Infidelibus pepigerunt, fidemque mutuum ^{perjuro,} datis ultro citroque solennibus Juramentis confirmarunt. Dico, ^{servanda.} 28. et xxxi. secundo, fidem his datam esse omnino servandam. Solent ^{Gen. xxvi.} 44, &c. nostri Pontificiis objectare, quod doceant fidem cum haereticis ^{Jos. ix. 15,} non esse servandam: in quo fieri sibi clamant summam injuriam nostri saeculi Jesuitae.^c Pudet scilicet eos in tam clara

^c Becan. Manual. v. 15.

luce dogma tam alienum ab omni sana ratione, tam humanae societati perniciosum, palam profiteri. Sed enim evicerunt nostri, idque 'prolatis tabulis,' defendi illam conclusionem a nonnullis ejus Ecclesiae doctoribus,^d sine ullo librorum aut prohibitione aut expurgatione. Sed ut omnes verbo tenus negarent, illud saltem constat, si de eorum hac in re sententia, aut ex doctrinae suae principiis, aut ex factis factorumque ratione, prout a suarum partium nec suspectae fidei historicis narratur, judicare licet, non esse cur sibi calumniam a nostris fieri tam fidenter clamitent. Interim sententiam illam, dum nolunt videri suam, aut falsam aut impiam tacite agnoscunt. Increpant aliquoties Prophetae Reges Judae, et prae caeteris Ezekiel toto fere capite decimo septimo, quod fidem Babyloniae regibus juratam non servassent. Locus est insignis, et quem memini alicubi Chrysostomum et fuse et pulchre admodum explicare. Quin et Gentilium Historiis nobilitata est Reguli, aliorumque hac in parte fides, qui et hostibus et Poenis, perfidissimae Genti, quod Jurejurando intercedente promiserant, vel cum certo capitis periculo censuerunt oportere praestari. Regulum hoc elogio ornat Silius, compellans eum quasi per apostrophen,

Qui longum semper fama gliscente per aevum.

Infidis servasse fidem memorabere Poenis. [vi. 63.]

Objicies fortasse vulgaria illa, 'fallere fallentem' pro fraude non habendum, et cum 'Cretensibus Cretizandum.' Quibus addi possunt quae adducuntur a Grotio duo illa: alterum Bruti dictum ex Appiano, *Οὐδὲν πίστον ἔστι Πωμαίοις πρὸς τυράννους οὐδ' ἔνορκον,*^e Cum tyranno nulla Romanis fides est, aut Jurisjurandi religio: alterum e veteri Tragico, 'Fregisti fidem,' inquit ille quidam: respondet alter, 'Quam neque dedi, neque do infideli cuiquam.'^f Respondeo, ista e communi vita sumpta ostendere magis quid facere soleat vulgus hominum, quam quid fieri debeat. Vel si sint pro veris admittenda, ibi solum probari, ubi juratum est sub conditione: vel expressa, ut si dicam,

^d Nullo, nullo modo fides servanda haereticis, etiam Juramento firmata. Simanca. [De Catholicis Institutionibus. Tit. xlvi. 53. Accedit, quod cum haereticis nullum commercium, nec pax ulla Catholicis esse debet: quamobrem fides

illis data, etiam juramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra Jura Divina et humana, nullo modo servanda est.]

^e De Jure Belli, II. xiii. 15.

^f ibid. 16.

‘Juro me daturum tibi centum, si tu mihi fundum pignori datum intra mensem redemeris;’ vel saltem tacita, ut quum duo homines mutuis Juramentis se obligant ad mutua Promissa praestanda per respectum mutuuum. Exempli gratia, si Chremes herus juraret Sosiae servo se daturum ei annuatim decem aureos, Sosia vicissim Chremeti juraret se ei servituum octo annis, qui horum utervis promissam fidem prior violaret, alterum fidei religione protinus liberaret. § At si duo homines mutuo se obligent Promissis diversi generis, aut non eodem tempore, aut alias citra mutuuum respectum, violata ab uno fides non liberat alterum Obligatione; sed uterque tenetur id servare quod ipse juravit, etiamsi alter quod suarum erat partium non effecerit. Exempli gratia, Rex aliquis simpliciter et citra respectum ad fidelitatem subditorum jurat se Regnum administraturum juste et secundum Leges. Subditi alio tempore simpliciter et citra respectum ad Principis officium jurant se ei debitam fidelitatem et obedientiam praestituros. Utrique obligantur quod sui est officii fideliter facere, etsi defecerit altera pars a suo officio: ita ut neque Rex solutus sit suo Juramento, si subditi debitum obsequium non praestiterint; nec subditi suo, si Rex a justitiae tramite deflexerit.

9. Hactenus de conditione utriusque personae agentis, Jurantis scilicet ut principalis, et Juramentum deferentis ut minus principalis. Dubium quartum sequitur, de Extensione Obligationis, respectu utriusque personae: ubi duo occurrunt Casus. Prior Casus respicit personam Jurantis: An et quatenus Juramentum obligat Jurantis haeredes et successores? Exempli gratia, Caius, empto Titii fundo, jurat simpliciter se soluturum ei intra sex menses centum libras. Interea temporis moritur Caius: quaeritur an vi Juramenti a Caio praestiti teneatur Caii haeres solvere promissas pecunias? Respondetur, teneri quidem Caii haerodem ad solvendum, ratione rei quae causam dedit Juramento, in quantum fruitur commodo illius fundi pro quo promissae sunt pecuniae; haeres enim de jure tenetur solvere justa debita defuncti in cujus bona succedit; et aequissimum est ut haereditas transeat cum onere suo. Non tamen tenetur haeres vi Juramenti a defuncto praestiti, ita ut si non

§. 9.
Juramentum, an et quatenus obligat jurantis haeredes.
Casus XXV.

§ Frustra quis fidem postulat sibi in sexto. [Bonifac. VIII. Sentent. servari ab eo, cui fidem a se praestitam servare recusat. Reg. Juris Decretal. De Regulis Juris. Lex 75.]

solverit, injustus tantum sit, non item perjurus. Cujus ratio est, quia Juramentum est Vinculum personale, et inducit Obligationem spiritualem tantum in Conscientiae foro interiori, non autem civilem sive temporalem in foro externo. At in personalibus nemo ligatur sine proprio consensu. Si dicatur Caium per actum suum personalem obligare posse se et haeredes suos ad aliquid faciendum, ut quotidie fieri videmus in syngraphis obligatoriis; ergo videri a pari posse eum et Sacramento obligare haeredes, praesertim si expressis verbis dicat se jurare pro se et haeredibus suis, respondeo, non esse parem utrobique rationem, quia Obligationem spiritualem, quae est in Conscientia, necesse est esse personalem, sicut est sua cuique Conscientia propria, et quae non possit transire in aliam personam; ast Obligatio temporalis sequitur rem temporalem, quae, quum possit transire ad aliam personam, potest consequenter alteri personae Obligationem inducere. Tenetur ergo haeres ex aequitate rei, non vi Juramenti.

§. 10.
Casus
XXVI.
Fides data
haeredi et
successori
praestanda.

10. Casus posterior respicit personam ejus cui juratur. An qui juravit aliquid alicui facturum, eo defuncto obligetur id facere haeredi ejus vel successori? Respondeo, ordinarie obligari. Certum est Jurantem obligari, si expresserit id se facturum ipsi aut haeredi. Obligari etiam censendus est, etsi non sit expressum, ubi Juramentum suscipitur ratione alicujus dignitatis, quia dignitas non variatur ex varietate personarum. Unde si quis subditus aut miles jurat fidelitatem Regi, vel Imperatori exercitus, censebitur Juramentum factum etiam quoad successores in eadem dignitate. Idem dicendum est in materia debiti, et plerisque aliis rebus, in quibus ratio aliqua officii aut contractus causam praebuit Juramento. Si quaeras, unde fiat ut Juramenti vinculum, quum sit personale ex parte Jurantis, non sit etiam personale ex parte ejus cui juratur, sed transeat ad haeredes et successores; sive, quod idem est, quare potest quis se obligare alicui et successoribus ejus, etsi successores in Juramento non exprimantur, non potest autem obligare se et successores suos, etsi diserte exprimantur, respondeo, discriminis rationem in hoc positam esse, quod in altero casu agatur de Obligatione propria, in altero de Obligatione aliena. Obligare potest quis se ipsum spiritualiter prout ipse voluerit et intenderit, et proinde potest per actum proprium obligare se tam successoribus alterius, quam personae

ipsius; at non potest quis alteri inducere Obligationem, nisi ipse quoque voluerit, et proinde non potest actu suo obligare spiritualiter nisi seipsum tantum. Quod autem dixi in responsione ad Dubium in hoc Casu, Jurantem ordinarie obligari, id propterea dixi, quia fieri potest ut interdum non obligetur. Nam quum de Jurantis intentione ex natura rei et materiae subjectae praecipue judicari debeat, ubi ex natura rei promissae et aliis circumstantiis verisimiliter praesumi potest Jurantem intendisse Promissionem tantum personalem ei cui juravit, et non successoribus ejus, Obligatio Juramenti non transit ad successores.

II. Sed de Causis Agentibus haec dicta sufficiant. Ad Impulsivas transeo, quae partim internae sunt, partim externae. Internas dico, quum quis ex mero motu propriae voluntatis, sine alterius impulsu, sponte se ad jurandum offert; vel ex impetu quodam irae, amoris, alteriusve perturbati animi passionis, vel etiam ex sola peccandi libidine et impia quadam jurandi consuetudine, inter loquendum temere et sine judicio Juramenta subinde spargit. Quod vitium, ob peccati cum gravitatem tum frequentiam, optarim ut in sacris concionibus et saepius et vehementius reprehenderetur; quod video suis temporibus a sanctissimo viro Johanne Chrysostomo diligenter et acerrime factum: * ne justissimo Dei judicio propter Juramenta terra lugeat, et Dominus juret in ira sua, non se habiturum innoxios, qui verendum ipsius Nomen ita contemptui habent, ut non vereantur sine necessitate sacrosanctam Dei majestatem testem et arbitrum adducere. Sed de toto isto Juramentorum genere non est quod multa dicam. Omnino prohibitum est omne Juramentum spontaneum, nisi causa subsit gravis et necessaria. Audire est operae pretium, quid de se Augustinus: ‘Juro,’ inquit, ‘sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus, quum videro non mihi credi nisi faciam, et ei qui mihi non credit non expedire quod non credit.’ † Quasi diceret, tunc solum jurandum est, quum expedit ut nobis credatur, et injuratis non crederetur. Et in hoc casu, in quo solo licitum est, Juramentum ultro praestitum vel maxime

§. II.
Casus
XXVII.
Juramentum spontaneum.

Jer. xxiii.
10.

* e. g. ad Pop. Antioch. Hom. xiii. xvii. §§. 6, 7. vii. 230-233.
§. 4. xx. §§. 8, 9. ii. 139, 211-213. † Serm. clxxx. §. 10. tom. v. ed. Ben. and in S. Matth. Hom. 864 C. ed. Ben. Paris.

obligat, quum nullum vinculum arctius obliget quam quod sponte susceptum est.

§§. 12, 13.
Casus
XXVIII.
Juramen-
tum dolo
elicitum.

12. His itaque missis pergo ad Causas Impulsivas externas, quae duae sunt potissimum, dolus et vis. Dubium ergo quintum est de Obligatione Juramenti quod dolo et astu elicatum est: id est, quum quis, alieno verbo vel facto in errorem inductus, jurat se aliquid facturum, quod, nisi ab alio deceptus, non fuisset juraturus. Cujus rei illustre habemus exemplum de Josue et Principibus populi Israelitici, qui a Gibeonitis simulantibus se peregrinos esse, qui e longinqua regione venissent ut foederis conjunctionem cum populo Dei quaerent, decepti admiserunt eos in foedus, pacemque illis interposito Jurejurando dederunt. Qui tamen postquam se deceptos senserunt, non ausi sunt rescindere Juramentum, cujus religione se obstrictos sciebant, sed vitam ipsis et pacem prout pacti essent concesserunt: rationem tantum inierunt, imposita eis conditione, ut ad vilissima quaeque ministeria adhiberentur, qua Gibeonitae et praesentis doli poenas aliquas darent, et in officio continerentur, neque Israelitis in posterum nocere possent. De quo facto sic Ambrosius,^h ‘ Josue [Jesus tamen] pacem quam dederat revocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione: ne, dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solveret.’ Quo uno exemplo satis constat Juramentum dolo elicatum habere vim obligandi. Et ne quis existimet Josue cum suis fuisse hac in re plus aequo superstitiosos, non ipsi solum populo qui Gibeonitas putabat Jurejurando non obstante occidendos esse, restiterunt, hac reddita consilii sui

Jos. ix. 19.

ratione, *Juravimus iis in Nomine Dei Israel, et ideo non possumus eos contingere*; sed et Deus ipse duplici postea signo rem comprobavit. Altero, dum depugnanti Josue pro Gibeonitis adversus conjuratos in eorum perniciem Reges, victoriam insignem, edito etiam illustri miraculo, concessit. Altero, quum

Jos. x. 8,
13.

post centum superque annos, Saul Regis injusta pacti cum Gibeonitis foederis violatio trienni fame publica vindicata, septemque e liberis ejus publico suspendio, ex Dei ipsius mandato, tandem expiata est.

2 Sam. xxi.
1.

§. 13.

13. Est tamen in hoc Casu aliqua distinctio admittenda. Nam error ille in quem inductus est alterius dolo cui juravit,

^h De Offic. iii. 10.

si sit circa aliquam circumstantiam tantum, aut circa causam rei aliquo modo extrinsecam et quasi accidentariam, non tollit Obligationem, ut ex errore Israelitarum circa Gibeonitas jam patuit. Quod idem dicendum est, si Caius Titii viduam juraret se ducturum uxorem, putans eam esse divitem quum esset pauper, teneretur eam ducere, nec iste error tolleret Obligationem; et sic de aliis Juramentis ejusdem rationis. At, si error sit circa substantiam ipsius rei aut propriam ejus causam, ut si Caius juraret matrimonium contrahere cum hac foemina particulari sub nomine Titiae, putans eam esse Titiam quae non est, et postea errorem suum deprehenderet, non teneretur Juramento. Error enim circa substantiam rei, quae fuit propria jurandi causa, irritam facit promissionem, et Obligationem tollit.

14. Dubium Sextum et ultimum est, de Vi, sive de Juramento per metum extorto contra voluntatem Jurantis, ita ut ^{§. 14.}metus ille si abesset nollet jurare. Et est quaestio sane difficilis et intricata: conabor tamen summam rei expedire, qua ^{Juramentum ex metu levi susceptum.}potero et brevitate et perspicuitate. Casus ergo primus est, ^{Casus XXIX.}ubi metus est levis, et qui non facile cadit in constantem virum: ut si quis metu iniquae censurae, vel irrisionis, vel irae et offensionis alicujus viri potentis, Juramento se promitteret facturum aliquid quod sibi esset inconveniens, quodque, ni metus ille esset, nec facere vellet nec promittere. Pro responsione illud imprimis repetendum est, quod in tota hac materia juramentaria est sanctissime observandum: si quid proponatur jurandum, quod est contra Legem Dei, contra officium hominis Christiani, contra bonos mores, contra Leges Reipublicae, contra antecedentem Obligationem, aut alio quocunque respectu illicitum, non debere ullo aut commodi intuitu, aut periculi metu, ejusmodi Juramentum aut praestari, aut praestitum adimpleri. Hoc supposito, dico, viro forti, id est pio, pius enim esse nequit qui non est fortis, simpliciter contemnendum esse inanem et levem metum, et omne ejusmodi Juramentum constanter et intrepide recusandum. Nimirum est *vir justus fortis ut leo*; ^{Prov.}qua fortitudine qui destitutus est, vix fieri potest ut faciat ^{xxviii. 1.}insigne aliquid viro bono dignum. *Qui enim observat ventum* ^{Eccl. xi. 4.}*non seminabit, et qui speculatur nubes non metet*, inquit Solomon. Immo vix fieri potest quin ut multa sane faciat viro ^{Prov. xxix.}bono indigna; *timor enim hominis*, eodem Solomone teste, *ad-* 25.

ducit laqueum. At si quis forte prae animi angustia incautior laqueo se implicari passus fuerit, *ligavit ligamen super animam suam*, et tenetur id quod promisit adimplere.

§. 15.
Casus
XXX.
Juramen-
tum vi et
metu ex-
tortum. La-
troni pacta
pecunia
solvenda.

15. Casus Secundus est ubi gravis et justus est metus, et qui cadere potest in constantem virum, qualis est metus captivitatis, amissionis omnium bonorum, infamiae, cruciatus, et, quod est τῶν φοβερῶν φοβερῶταρον, ipsius mortis. Dico, primum, ut supra, si Juramentum contineat in se quid illiciti, ne vel mortis vitandae causa a viro honesto suscipi debere, nec susceptum posse sine peccato servari. Audite, Christiani, auream hominis Ethnici hac de re sententiam :

Justum, et tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.ⁱ

Dico, secundo, si res exigatur intentata vi aliqua aut gravi metu, quae nec illicita est, nec cuiquam injuria, sed ipsi tantum Juranti plus minusve incommoda, ut si quis iter faciens incideret in latrones, qui mortem ei strictis gladiis minarentur, nisi promissa sub Juramento certa pecuniae summa vitam redimat, licitum esse in hoc casu pecuniam promittere, et promissionem Jurejurando firmare. Ratio est, quia e duobus propositis malis licet, et prudentem decet, minus eligere;* et minus malum est pecuniae jactura quam vitae. Dico, tertio, Juramentum istiusmodi obligare, et pactum cum praedonibus pretium omnino esse persolvendum. Quod etsi videatur ex antedictis esse satis manifestum, tamen quum habeat haec assertio magni nominis adversarios, inque his Ciceronem,† singularis judicii virum, et de Jurisjurandi religione, quoad licuit homini Gentili, hoc uno dempto caetera fere rectissime sentientem, non abs re erit assertionem hanc aliquot rationibus confirmare. Primo ergo, qui jurat rem licitam et possibilem, tenetur id praestare; atqui pactam praedoni pecuniam solvere nec illicitum est nec impossibile: ergo tenetur. Secundo, elegit id quod tunc visum est ipsi melius, quodque, si e duobus alterum ipsi esset jam nunc necessario eligendum, denuo eligeret; et videtur non posse honeste recusari, quod fuit prudenter electum. Tertio, quod

ⁱ Horat. III. Od. iii.

* Compare Sermon ii. ad Clerum, §§. 14, 25.

† De Offic. iii. 29. 107.

ob certum finem promissum est, a promittente debet praestari, postquam consecutus est suum finem ; quia omne sub conditione pactum, conditione illa praestita debet et ipsum praestari : quo maxime fundamento nititur Voti conditionalis Obligatio. Sed pactus cum latrone pretium, eo fine id fecit, ut vitam suam redimeret : ergo postquam vitam redemit, assecutus finem quem intendebat, debet exsolvere quod promisit. Quarto, suspecta debet esse semper prudentia carnis, ut inimica cordis puritati, et tranquillitati Conscientiae insidiosa. Prudentia autem carnis, quae demum est, si haec non sit, ubi videtur honestas cum utilitate certare, honesto postposito, id quod utile est amplecti ? Vix poterit de pecunia pacta solvenda multum deliberare, cui potiores sunt divitiis religio et fides, et qui posthabendum statuit tranquillitati mentis commodum temporale. Quinto, demum, laudantur Ethnicis Regulus aliique, ut dictum est superius, qui fidem hostibus servarunt, etsi iniquissimis conditionibus pactam. Laudatur et ipsi Ciceroni* Pomponius Tribunus, qui servavit quod terrore coactus juraverat, idque hoc adjecto epiphonemate, 'Tantum temporibus illis Jusjurandum valebat.'

16. Ast excipiunt qui contra sentiunt, imprimis, non esse hostis et latronis vel piratae eandem rationem : cum hoste, perinde ac cum litis adversario, jure agendum, Gentium hic, ut illic civili, et proinde fidem ei servandam ; at cum praedone, velut humani generis communi hoste, nullam esse juris, ergo nec et fidei societatem. Respondeo, primo, peritos Juris interpretes affirmare, esse aliquam vel cum latrone juris societatem, ut cui ex jure gentium depositum sit reddendum : ergo a pari et promissum solvendum. Secundo, etsi latroni nihil deberetur, ut personae indignae, qua ratione nudae Promissionis exsolutio posset fortassis excusatus evitari, at Deo saltem praestandam esse fidem. Objiciunt, secundo, isto pacto honestum civem a sceleratis hominibus spoliari, quod cedit in malum publicum. Respondeo, immo vero honesti civis vitam servari, quod cedit in bonum publicum. Ast latrocinia, inquiunt, tertio, et rapinae hac ratione stabilientur, si latronibus non modo impune erit, sed et laute. Respondeo, id si fiat, per accidens fieri, ipsorum vitio, non illius, qui nec jovit ullo modo latrones, nec vel pro-

§. 16.
Solvuntur
Objecta.

* De Offic. iii. 31.

bavit promittendo vel probat promissum servando ipsorum factum; quin potius dum consulit sibi, ipsorum quoque scelera ita impedivit ut latrones essent solum, non item homicidae. Objiciunt, quarto, Obligationem Juramenti oriri ex actu iudicii et voluntatis deliberato: ergo ubi voluntas non est libera, ita ut non tam actio dicenda sit quam coactio, nullam videri sequi Obligationem.^k Respondeo, voluntatem cogi non posse, et hoc ab omnibus agnosci. Potest quidem esse coactio ex parte principii actionis externi et remoti, sed ex parte principii proximi, quae est in omnibus actibus humanis voluntas, nulla potest esse coactio. Juramentum ergo qui facit latroni, ut vitam servet, volens facit, *ἔκων ἀεκουτὶ γε θυμῷ*. Non est ergo ejusmodi Juramentum *ἀπλῶς ἀκούσιον*, simpliciter involuntarium, sed mixtum; quod Aristoteli *μὴ ἐκούσιον* dicitur: actio scilicet partim invita, quia fit non libenter; partim voluntaria, quia fit cum electione, etsi non liberrima, libera tamen satis ad hoc, ut dici mereatur potius voluntaria quam involuntaria, quia agens, data sibi duorum optione, potestatem habet eligendi utrum ex his malit. Et vult, qui mavult.* Non ergo recte dicitur eum coactum jurasse, qui quum poterat non jurasse maluit jurare. Morte enim interminata ni juraret, permissum est ipsius arbitrio, malletne damnum interminatum pati, an Juramenti Obligatione ab illo damno liberari. Deliberavit, elegit obligari: ergo obligari voluit; et qui se voluisse obligari fatetur, absurde dixerit se coactum esse,¹ et propterea non obligari. Objiciunt, quinto, latroni nihil deberi, et proinde viatorem non obligari, quum omnis Obligatio dicat relationem ad debitum, ut ante dictum est. Latroni autem nil deberi probatur, quia nullum jus fundatur in injuria; et iniquissimum videtur ut quis ex facto suo injurioso jus aliquod sibi adquirat: ergo latroni, qui metum viatori incussit et contra bonos mores extorsit ab eo Juramentum iniquum, jus nullum accrescit: proinde nec qui juravit obligatur. Respondeo, exurgere posse a Juramento duplicem Obligationem: unam homini cui juratur, ut parti; Deo per quam juratur alteram, ut testi et vindici. Multa possunt impedire priorem illam

^k An nemo jurejurando teneatur, quo per necessitatem adactus est. Seneca, Controv. i. 6.

* In Sermon xvi. ad Aulam, §. 20. Qui mavult, vult.

¹ Οὐ μὴν οὐδὲ τὸ βεβιάσθαι φάσκειν ἰκανὸν εἰς παραίτησιν. Gregor. Nazian. Epist. 219. [tom. i. p. 908 C. ed. Bill.]

Obligationem, ita ut jus nullum consequatur is cui juratur, nec ei quidquam in foro Conscientiae ex aequo bono a Jurante debeatur; et de istoc Obligationis et debiti genere procedit objectio. Verum cessante Obligatione respectu hominis injuriam aut vim inferentis, manet tamen Deo facta Obligatio: cui et irreverentia fit, si quis Juramentum admittat non intendens implere, et injuria, si admissum insuper habeatur.

17. Restat unus adhuc Casus, huic loco peculiaris: si quis incidens in latrones cogatur, ne ab eis occidatur, Juramento silentium promittere, scilicet nunquam se ipsorum latrocinia cuiquam revelaturum, aut nomina Magistratui proditurum. 'Difficile est hoc in genere aliquid statuere,'* inquit Fredericus Baldwinus, Professor non ita pridem Wittenbergensis; sed addit tutius sibi videri si silentium non praestet, sed Magistratui indicet, etsi juraverit se non indicaturum. Censet itaque istiusmodi Juramentum non obligare; et affert suae sententiae tres rationes, quarum nulla mihi satisfacit, ut sunt ab eo propositae, breviter et nude sine ulteriore confirmatione. Primo, ait Juramentum hoc esse de re illicita. Si id constaret, confecta res esset, nec opus esset aliis argumentis. Sed hoc ab eo sumitur, non probatur. Si eo putetur esse illicitum, quia officium est boni civis homines facinorosos ad Magistratum deferre, ut supplicio quod commeriti sunt afficiantur, conceditur id quidem, sed non propterea sequitur semper peccatum esse non deferre: quum praecepta officiorum affirmativa obligent ad ea praestanda non simpliciter, sed quum possumus et expedit pro exigentia circumstantiarum. Dicit, secundo, tale Juramentum videri habere speciem quandam collusionis cum latronibus. Quod est ab eo ita timide pronunciatum, ut non debeat putari multum fiduciae posuisse in hoc argumento, '*Speciem collusionis,*' '*speciem quandam,*' et '*videtur habere.*' Quod sive sit verum, sive non, quis interim probaverit non licere homini viatori, si inciderit in latrones, in aperto vitae periculo, aliquid facere quod videtur habere cum eis speciem quandam collusionis? Quod tertio loco affert,—hoc silentio justitiam impediri, improbos in impietate sua confirmari, alios hac occasione induci posse in discrimen vitae,—valeret quidem, si ex eorum

§. 17.

Causa
XXXI.Pactus cum
latrone si-
lentium an
teneatur?

* 'Certi quid statuere.' De Casibus Conscientiae, II. ix. 12. A posthumous work published in 1628.

manibus salvus et injuratus evasisset. Atqui supponimus, ni jurasset, occidendum. Quaero ergo, licuitne ei in tam certo vitae discrimine jurare silentium, vel non licuit? Si non licuit, et sane duo priora argumenta aut id efficiunt, aut nihili sunt, certo pereundum ei fuit; et quis tum superesset qui Magistratui latrones indicaret? Quae ex ipsius silentio incommoda sequi objiciuntur, ex ipsius morte, quum mortuis indictum sit perpetuum silentium, non essent eadem insecutura? At si licuit jurare, licebit et Juramentum observare, nisi forte, quod fieri potest, casus aliquis insperato emergens rem quo tempore jurabatur licitam reddiderit postea ex accidente illicitam. Stet ergo, donec contrarium firmioribus rationibus probetur, et in hoc Casu et in caeteris ubi vigent dolus, metus, tyrannis et similia, virum bonum aut non debuisse jurare, quod durum videtur summo in vitae discrimine, si res ipsa non sit illicita, aut debere quod juravit religiose observare. Atque hactenus de Juramenti Causa Efficiente. In qua pertractanda volueram esse brevior, sed res non tulit. Exerevit stylus dum ista meditor longius quam exspectabam; et tamen non pauca quae possent utiliter dici, quum brevitati consulo, prudens praetermisi.

PRAELECTIO QUINTA.

DE JURAMENTI FORMA EXTERNA, CONTINENS CASUS DECEM.

DE Juramenti Causis Materiali et Efficiente, in superioribus §. 1.
actum est: de Causa Formali nunc agendum. Quum autem Juramen-
duplex sit rei alicujus Forma, Externa et Interna, quae hujus tum per
sola signa
sine verbis.

sunt classis ad duo capita ita revocanda sunt, ut quae ad Jura-
menti verba aut signa pertinent, eo quod sensibus exterioribus
percipiantur, Externae Formae nomine veniant; quae vero ad
ejusdem sensum et interpretationem, quod interioris mentis est
opus, Formae Internae. Respectu Externae Formae, Jura-
mentum aut signis solum constat, aut verbis solum, aut utrisque.
Dubium itaque primum est de eo Juramento, quod signo solum ^{Casus}
fit sine verbis. ^{XXXII.} Fuerunt qui existimarent, nisi expresse adhi-
bito aut verbo 'Juro,' aut Dei Nomine, dicendo 'Juro me fac-
turum,' vel 'per Deum faciam,' 'Deum testor,' 'Ita me Deus
adjuvet,' vel quid simile, nudam esse promissionem, non item
Juramentum; et proinde obligare quidem sub poena mendacii,
sed non sub poena perjurii: ita ut qui non fecerit quod pollicitus
est, reus sit violatae fidei, quae et in promissionibus est ser-
vanda, non autem ejus religionis quae in Juramento est. Di-
citur et Bartolus a Casuistis in ea fuisse sententia, ut putaret
verba saltem aliqua ad Juramenti rationem sic esse necessaria,
ut nisi verbis prolatis fiat testificatio, non sit formaliter Jura-
mentum, nec eo nomine obliget. Sed merito ab omnibus reji-
citur utraque sententia. Quum enim verborum praecipuus usus
sit *εἰς τὴν ἐρμηνείαν*, ut scilicet interpretes sint *τῶν ἐν τῇ ψυχῇ
νοημάτων*, eorum conceptuum qui in mente sunt, et quorum
sunt signa, si fieri posset ut illi mentis conceptus, etsi minus
fortassis commode, sufficienter tamen aliqua alia ratione, ut
scripto, nutibus, aliisve indiciis, ita significantur, ut ab aliis
intelligantur, nulla cogit necessitas ut verbis prolatis opus siet.
Sic muti, et quibus exsecta est lingua, et qui ex gravi morbo,
vel jam morituri sermonis usum amiserunt, si debeant aut

matrimonium contrahere, aut testamentum condere, aut aliud quodvis praestare, quod sine clara et indubitata assensus sui significatione fieri non potest, quum viva voce non possunt, solent nutu, manu sublevata, aut alio id genus indicio mentem suam interrogantibus significare. Quae significatio non minus valida est ad omnem Juris effectum, quam ea quae viva voce fit. Eadem prorsus et Juramenti ratio est, in quo, modo Deus quoquo modo testis invocetur, sive id ab aliquo expresse fiat verbis prolatis, sive tacite signis quibusque sufficientibus ad hoc, ut hi quorum interest manifeste intelligant velle eum, interposito Deo teste, fidem suam obligare; ejusmodi actus et formaliter Juramentum est, et omnino sufficit ad inducendam Obligationem in Conscientia. Quo facit quem adducit e vetere Comico senarium Johannes Stobaeus, "Ὁρκος βέβαιός ἐστι, καὶ νεύσω μόνον,"^a Firmum est juramentum, si vel annuero solum. Frustra ergo est, et egregius sui impostor,^b si quis se Juramenti vinculo aut penitus solutum, aut saltem laxius obligatum eo putet, quod verbum nullum juratorium emiseric. Si alteri quasi Deo teste et arbitro interroganti ita se gesserit ut omnino assensisse videretur; ^c vel, si ubi utile ei esset, respectu alicujus temporalis commodi, videri in aliena verba jurasse, amici alicujus opera sciens lubens usus fuerit, qui falso licet, testaretur tamen ipsum ita jurasse; *ligavit* eo facto *ligamen super animam suam*; et secundum omne quod egressum est ex interrogantis vel exigentis ore, facere tenetur non minus quam si egressum esset ex ore suo, si res sit licita et praestari debeat: sin illicitam sciverit, non poterit isthoc artificio Perjurii crimen devitare.

§. 2.
Juramentum per
creaturam.

2. Porro, ut signo solo potest sine verbis, ita solis verbis potest et saepissime solet sine signis jurari, quum in aliis, tum vel maxime in iis Juramentis quae incautis in sermone communi excidunt. Verba autem Juramenti duobus adhuc modis considerari possunt, vel quantum ad res per quas juratur, vel quoad exprimendi modum et formulas loquendi quibus juratur. Dubium ergo secundum est de Obligatione Juramenti, ratione

^a Serm. 27. [3. Gaisford. ἐστιν, ἀν]

^b Παίξουσιν οἱ πολλοὶ ἑαυτοὺς, . . . τοὺς ἐγγράφους δίχα τῶν ῥημάτων (Sic, corrigente Montacutio, quod ante *δερμάτων* legebatur) ἀφοσιώσιν

ἀλλ' οὐχ ὄρκον ἵπολαμβάνοντες. Gregor. Nazian. Epist. 219. [tom. i. 900 B. ed. Bill.]

^c "Ὁρκος ἡμῖν ἐστὶν ἢ τοῦ ἐπερωτήσαντος καὶ πεισθέντος πληροφορία. Ibid.

ejus sive rei sive personae per quam juratur : ubi duo occurrunt Casus. Casus prior est, an et quatenus obligetur qui jurat per aliquam creaturam? Certum enim est et ab omnibus conceditur, et licitum esse et obligatorium Juramentum per Deum Creatorem factum ; sed de Juramento per creaturam nonnulla est dubitatio. Pro responsione tamen dico, primo, jurare per creaturam absolute, ultimate, et terminative, ita ut constituatur in aliqua creatura finis et vis Juramenti sine relatione ad Deum, simpliciter illicitum esse. Ratio manifesta, quia exhibetur eo pacto creaturae reverentia soli Deo debita. Juramentum enim, ut ante dictum est, est Cultus Latriae, qui non debet exhiberi ulli creaturae : quatenus Jurans, invocando Deum testem et vindicem, ipso facto agnoscit eum et cordis inspectorem, ut qui sciat an mens consentiat verbis, et justissimum ac potentissimum peccatorum cordis punitorem, quorum neutrum rei cuicumque creatae potest competere. Immo istiusmodi Juramentum esset, vel ex ipsorum Pontificiorum confessione, plane idololatricum. Dico, secundo, jurare per creaturas relative et quasi transitive, ut solent Pontificii per B. Virginem et alios Sanctos Sanctorumve reliquias, hoc est, ut ipsi exponunt, non ultimate et terminative, ita ut Cultus in ipsis terminetur, sed relative et transitive, ita ut ipsos pertranseat et per ipsos deferatur finaliter ad Deum, dico, inquam, hoc esse saltem superstitiosum. Quia nullo aut Rationis lumine, aut Scripturae testimonio constat, ullam creaturam, quantumvis sanctam, habere concreditam sive delegatam sibi a Deo potestatem, vel cognoscendi corda hominum, vel puniendi eorum Perjuria. Dico, tertio, inter jurandum tacito Dei Nomine alicujus creaturae mentionem facere, ut si quis juraret per caput, per animam, per salutem suam, aut per hunc ignem vel panem, &c, etsi propter periculum Scandali, et quod mali speciem aliquam habere videatur, consultius esset ab ejusmodi formulis omnino abstinere, non tamen videri simpliciter illicitum praecise ab hoc, quod per solum Deum sit jurandum. Ratio est, quia per istas formulas aut non juratur omnino, aut per Deum solum juratur. Quod ut clarius intelligatur, ne videar aut aliquid novi et suspecti dogmatis invexisse in Ecclesiam, aut execrandae illi jurandi per creaturas consuetudini, quae passim, proh dolor ! nimium quantum invaluit, veniam indulsisse, sciendum est in istiusmodi formulis, in quibus fit

creaturae alicujus mentio, quasi per modum jurandi, per Deum tamen revera saepe jurari interpretative. Ut in omnibus iis quae ex communi more concipiendi habent in se vim quandam execratoriam, ut ‘per animam,’ ‘per salutem meam, hoc vel illud faciam,’ quae sunt perinde intelligenda ac si diceretur, ‘Ne sit Deus animae meae propitius,’ ‘Ne mihi Deus salutem donet aeternam, ni fecero.’ Itemque in his in quibus res eae nominantur quae sunt aptae, ex sui natura speciatim, nos excitare ad aliquam recordationem Dei, quomodo quum Judaei olim jurabant ‘Per Coelum,’ ‘Per hanc sacram victimam,’ &c, id ita aut intelligebant, aut intelligere debebant, ac si dixissent, ‘Per Deum cujus est in Coelo thronus,’ ‘Per Deum cui haec sacra fiunt,’ &c. Ast ubi ejusmodi rerum nomina adhibentur, quae non habent ex natura sui aliquam specialem vel propinquam aptitudinem excitandi in nobis cogitationem aliquam de Deo, nec videntur implicare aliquid execratorium, ut si quis ad mensam vel ante focum juraret, ‘Per hunc panem,’ ‘Per hunc ignem,’ &c, etsi propter modum exprimendi videantur istiusmodi formulae Juramenti speciem habere, revera tamen et interpretative non sunt Juramenta, sed merae potius Obtestationes, ut in Dubio tertio mox plenius explicabitur. Dico, quarto, omne Juramentum quod per creaturas fieri videtur, sive licite, sive illicite, hoc est, sive terminetur in creatura, sicut est Cultus Imaginum apud vulgus Pontificiorum, quod est idololatricum; sive juretur per creaturam transitive, ut inde mediate et ultimate deferatur ad Deum, qua argutiola doctiores Pontificii suam *εικονολατρείαν* tueri conantur, quod tamen est superstitiosum; sive implicite et interpretative per Deum fiat, adhibito tamen creaturae nomine, si modo fiat revera et formaliter Juramentum et non tantum Obtestatio, non minus obligare Jurantem ad faciendum id quod promisit, quam si per Deum ipsum disertis verbis juratum fuisset. Cujus ratio est, quia in omni Juramento, quod revera et formaliter est tale, Deus aliquo modo testis advocatur. Dico, quinto, ut possit fortassis ex his quae jam dicta sunt aliquo modo defendi Juramenta istiusmodi non esse simpliciter et de toto genere illicita, si saltem eo etiam quo dictum est modo intelligantur; tamen quum certum sit ea nihilo esse minus obligatoria quam alia, nec ulla cogat necessitas ut iis utamur, quia possumus, ubi Juramento est opus, aliis uti formulis, et ubi non est opus,

oportet omnino non jurare, videri esse officium hominis Christiani, quisquis Conscientiae suae tranquillitati serio consultum cupit, ab ejusmodi formulis prorsus abstinere. Id quod iis omnibus non aegre persuasum fore existimo, qui earum aut originem aut exitum penitus fuerint contemplati. Originem debent, partim Chaldaeorum, Aegyptiorum, aliarumque superstitionum gentium Idolomaniae, qui per solem, ignem, et alias creaturas, quas pro Diis habuerunt, velut per Numina jurarunt; partim reverentiae Nominis et Majestatis Divinae apud populum Dei, quae, initio fortassis pia et justa, decursu temporis paulatim abiit in eam superstitionem, aucta praesertim ex prava consuetudine jurandi libidine, ut ordinarie malent per obvia quaevis jurare, quam ἐπὶ τὸν Ποιητὴν καὶ Πατέρα τῶν ὄλων ἀνατρέχειν, ut loquitur Philo,* ad rerum univrsarum Conditorem et Patrem procurrere. Quod et veteres Graecos, quorum plerosque ritus et mores ab Hebraeorum aemulatione fluxisse quivis potest facile observare, fecisse adnotarunt Graecorum Poetarum Scholiastae, qui eos non solitos scribunt προπετῶς κατὰ τῶν Θεῶν ὀμνύειν,^d facile per Deos jurare, ἀλλὰ κατὰ τῶν προστυχαίνοντων, per ea quae praesto erant ad manum aut ante oculos, ut panem, ignem, aquam, avem, sceptrum, aut quid simile. At quod ex Divini Numinis reverentia quadam ortum videtur, abiit tandem in summam ejus irreverentiam et contemptum: ut fere videre est, astu Diaboli, et justo Dei peccatis peccata punientis judicio, pietatem postquam degenerare coeperit in superstitionem, exire tandem in apertam impietatem. Etenim postquam ex superstitione jurari coeptum est per creaturas, eo tandem increvit licentiae jurandi cacoethes, ut dum a Dei Nomine temperarent, non sibi homines aut jurandi metam ullam figerent, aut ullo pejerandi metu ducerentur. Qui sceptrum non putat esse Deos,^e ut ille loquitur, putat et licere sibi per sceptrum juranti secus facere quam si per Deos juratum fuisset. De Manichaeis ita Augustinus:^f Jurabant saepissime, nulloque mentis scrupulo, per crea-

* De Specialibus Legibus, ad init. ii. 271. ed. Mangey.

^d ὄμνυ τ' οὐδείς τότ' ἂν ἀνθρώπων θεόν, ἀλλ' ὄρνιθας ἅπαντες. Aristoph. in Avib. [520. Dindorf.] ubi Scholiastes docet ex 2. Creticorum Socraticis, id fuisse a Rhadamantho institutum. [Δάμπων δ' ὄμνυσ' ἔτι καὶ

νυτὶ τὸν χῆν', ὅταν ἐξαπατᾷ τι. Aristoph. in Avib. [521.]

^e ὄρκιον σκῆπτρον, καθ' οὗ ὄμνον οἱ βασιλεῖς. Suidas. [Ὀρκίος Ζεὺς].

^f Contra Faust. xix. 22. [not the words, but the substance: De vestro autem ore non tollitur crebra juratio, cum juretis per lumen, . . . et

turas.' Et proculdubio apud Judaeos, ex quo invaluit mos iste jurandi per creaturas, plurimum imminutam fuisse Jurisjurandi reverentiam, e Christi verbis, Matth. v. 33, 34, et xxiii. 16-22, apertissime constat. Quorum verborum ex utriusque loci collatione is videtur esse scopus, ut duplicem, forte an et triplicem ipsorum errorem corrigeret. Primum, quod sibi, modo a Dei Nomine abstinere, in rebus quamvis leviculis, jurandi libertatem et *παρησίαν* quandam concederent. Alterum, quod putarent jurando non peccari, si per Deum juraretur, modo verum esset quod juraretur. Tertium, quod existimarent non esse Perjurium, etsi res falsa juraretur, dum per creaturas id fieret, non autem per Deum. Sic enim illi perperam interpretabantur quod dictum erat, *Non pejerabis, sed reddes Domino Jusjurandum tuum*. Docet itaque Christus Juramenta illa, in quibus rei alicujus creatae, non item Dei Nomen assumitur, non esse propterea aut minus vere Juramenta, aut minus obligatoria, quam illa in quibus per ipsum Deum disertim juratur. Et haec de priore Casu dicta sunt.

§. 3.
Casus
XXXIV.
Juramentum per
Idola.

3. Casus posterior est, quum per idola aut falsos deos juratur. Pro solutione Dubii in hoc Casu, dico, primo, ejusmodi Juramenta esse simpliciter illicita et plane idololatrica, et a Deo expresse prohibita. Deferunt enim Cultum soli vero Deo debitum diis non veris, contra praeceptum Dei, Deut. vi. 13: *Deum tuum timebis, et ipsi soli servies, et jurabis per nomen ejus*. Et graviter Deus ipse, Jer. v. 9, impropereat populo suo hoc peccatum: *Quomodo, inquit, propitius sim tibi? Filii tui dereliquerunt me, et juraverunt per eos qui non sunt dii*. Dico, secundo, Juramentum ejusmodi sub poena Perjurii obligare, et servari debere: f ita ut perjurus sit qui fidem sic datam fefellerit in re licita. Quo facit illud Augustini, 'Quin et juravit per quos non debuit, et contra pollicitam fidem facit quod non debuit, his utique peccavit.' g Et iterum, 'Et qui per lapidem jurat, si falsum jurat, perjurus est.' h Si objicies, non esse hoc Juramentum, quia Deus testis non advocatur, siquidem deus falsus non est Deus, et proinde non obligare; respondeo, etsi deus falsus sit revera non Deus, (quia

per dominum vestrum Manichaeum, &c. &c.

f Jurejurando, quod propria superstitione juratum est, standum. l. 5. s. 1. ff. de Jurejur. [Digest.

Lib. xii. Tit. ii. Lex 5.]

g Epist. 154. [47. 2. tom. ii. 110 D. ed. Ben. Paris.]

h ibid.

ut verum convertitur cum Ente, sic falsum convertitur cum Non-ente) est tamen Deus opinione ipsius qui jurat, quod sufficit ad inducendam Obligationem; et proinde tale Juramentum est ex hypothese verum Juramentum, supposita scilicet erronea Jurantis Conscientia: quatenus tenetur in Conscientia sua id praestare quilibet, quod secundum Conscientiae suae iudicium Juramento firmavit. Deus enim verus, si fides vel per falsum Deum facta violetur, in suam injuriam id factum interpretatur, quia scilicet Jurans, quanquam sub falsis notis, generali tamen complexione Numen Divinum intuetur.ⁱ Unde D. Augustinus, ‘Non te audit lapis loquentem; sed punit Deus fallentem.’^k Respicit, ut opinor, solennem illum ritum Romanorum, quo Jurans lapidem silicem manu tenens haec verba prolocutus, ‘Si sciens fallo, ita me Jupiter bonis omnibus ejiciat ut ego hunc lapidem,’ protinus lapidem a se projecit: quod qui fecit, Jovem lapidem jurare dicebatur.^l Qui ergo per deum falsum pejerat, vindicem Perjurii sentiet Deum verum, ὧς καταφρο-^{Sap. xiv.} νήσας δσιότητος, ut ait auctor libri Sapientiae, tamquam Numinis^{30.} et Religionis contemptor. Immo ita fidenter pronunciat hac in re D. Augustinus, ut non vereatur affirmare, ‘sine ulla dubitatione minus malum esse jurare per deum falsum veraciter, quam per Deum verum fallaciter.’^m Quod ejus dictum non est ἀπλῶς et omni ex parte intelligendum; sed secundum quid, et praecise quoad rationem mendacii et perjurii, quod solum ibi consideravit. Dico, tertio, ex hac vi obligatoria talis Juramenti pendere solutionem illius quaestionis quae a Publicola quodam proposita fuit B. Augustino, et ab illo fuse tractatur tota Epistola 154. ‘Liceatne ab eo exigere Jusjurandum, quem scimus juraturum per idola?’ Quod ille licere confirmat, quum exemplo Abrahae, qui foedus cum Abimelecho pactum dato acceptoque vicissim Juramento confirmavit, Gen. xxi, quod et ^{Gen. xxi.} a Jacobo itidem postea factum cum Labane, Gen. xxxi; tum ^{31, 32.} ^{xxxii. 51,} etiam ratione, quia alias nulla esset ratio accommoda paciscendi ^{&c.} foedera, aut conservandae fidei et pacis publicae cum homine idololatra; nec sit ulla Dei Lege prohibitum uti illius fide in

ⁱ Grotius de Jure Belli, II. xiii.

12.

^k Epist. 154.

^l Meminit Plutarchus in Sylla; et Polybius, cujus interpres bis *per lapidem vertit pro Jovem lapidem*,

deceptus ut videtur a Graeco exemplari, in quo pro *Δία λίθον* reperit *διὰ λίθον*. Vid. Paul. Leopard. *E-mendat.* vi. 15. [in Gruter's *Fax Artium Liberalium*, iii. p. 117.]

^m Ubi sup. [110 E.]

bonum, qui per falsos deos male jurat. Si dicatur, hoc esse communicare malo alieno, respondet Augustinus, Non per hoc peccato ejus se sociare, quo per daemonia juravit; sed tantum bono pacto ejus qui fidem dedit et servavit. Et de secundo Dubio hactenus.

§. 4.
Utrum juratum sit, necne, ut dignoscatur.

4. Sequitur Dubium Tertium, quod respicit Juramentum, quantum ad modum exprimendi, et jurandi formulas. Ratio dubitandi est, quod quum certum sit omne id quod est vere et formaliter Juramentum obligare sub culpa et poena Perjurii, non item illas formulas quae non sunt Juramenta, opus est, ut ex illis formulis quae Juramenti speciem habere videntur certo aliquo caractere vel nota internoscere valeamus, quatenam sint et quae non sint proprie et formaliter Juramenta. Qua in re fateor Casuistarum, quotquot licuit in hac temporis angustia consulere, mihi neminem satisfacere: qui hanc quaestionem partim leviter attigerunt, partim non satis distincte tractarunt. Ut ergo distinctius aliquid hac de re, quantum ad alia festinanti licebit, proponam, sciendum nudae assertioni vel promissioni superaddi plerumque ad fidem faciendam, aliquam quasi confirmationem, idque aut Asseveratione, aut Obtestatione, aut demum Juramento. Quae tria, etsi videri possunt non multum inter se distare, et gradu potius quam specie differre, revera tamen intrinsece, formaliter, et specificè ad invicem distinguuntur. Verum est illa distinctio, ob affinitatem et finis in quem tendunt et vocum quibus exprimuntur, adeo saepe obscura, ut difficile sit tria ista aut non penitus confundere, aut dextre et perite distinguere. Itaque quo melius isthaec internoscantur, quatuor mihi videntur esse consideranda, ex quibus velut criteriis de qualibet loquendi formula, sitne Juramentum, an Obtestatio, an Asseveratio tantum, poterimus aliquatenus dijudicare. Forma scilicet verborum, eorundem propria et genuina vis, Mos gentis, et Intentio ipsius jurantis.

§. 5.
Casus
XXXV.
Κριτήριον
Primum.
Forma Verborum.

5. Primo, ex ipsa verborum forma quandoque satis constare potest, utrum juratum sit, vel non. 'Jura mihi te daturum centum.' 'Juro;' vel 'Per Deum dabo;' vel 'Deo teste' aut 'coram Deo spondeo me daturum;' vel 'Dabo, ita me Deus adjuvet;' aut aliquid simile si respondeatur, quin juratum sit nemini potest esse dubium. Obligatur proinde, qui istiusmodi aliqua loquendi formula usus fuerit, ipso facto; et si rem promissam non fecerit, Perjurii reus est. Ast illud, 'Dabin' mihi

centum? 'Dabo:' nudam esse Promissionem vel ipsa verba ostendunt, nulla adjecta ulteriore datae fidei confirmatione. 'Dixti mihi te daturum centum: dabisne?' 'Certe dabo: crede mihi non fallam.' Accessit quidem Promissioni aliqua confirmatio; sed ex ipsa verborum forma satis constat hanc esse meram Asseverationem, non autem Juramentum: immo ne Obtestatio quidem, quum nec Deus testis adducatur, nec aliquod aliud fidei velut pignus. 'Quos mihi pollicitus es centum, qui sciam te daturum?' 'Cape hanc dextram;' 'Fide boni viri dabo;' 'Quam certum est solem hunc lucere, faciam;' 'Nulla mihi sit apud te in posterum fides, ni fecero,' &c. Plus quam meram Asseverationem ista continere verba ipsa indicant, nondum tamen juratum esse. Sunt ergo potius Obtestationes dicendae, in quibus scilicet ad rei promissae vel etiam asseveratae, ulteriorem confirmationem, rem aliquam nobis charam, aut omnibus certam et manifestam, quasi fidei nostrae pignus interponimus. Ubi ergo ex ipsa verborum forma liquido satis constare potest, sitne id quod ad confirmandam Promissionem assumitur, proprie Juramentum, vel Asseveratio mera, vel etiam Obtestatio, non opus erit ulteriori disquisitione.

6. Sed quia saepissime contingit, ob formularum similitudinem, vel ambiguum alicujus vocabuli significationem, vel significandi latitudinem, vel alia aliqua de causa, ut non possit ex verbis prolatis sit necne juratum certo dijudicari, attendi debet, secundo loco, verborum propria vis et genuinus sensus, atque inde sumi judicium. Videri enim potest ex forma verborum, illas omnes locutiones, in quibus aut Dei Nomen adhibetur, aut *νῆ* Graecorum cum accusativo casu, aut Latinum *Per*, aut Anglicum *By*, esse formaliter Juramenta. Qua sola ratione adductus Soto* putavit tantum esse discriminis inter has formulas, 'Per fidem,' et 'In fide;' 'Per veritatem' et 'In veritate,' ut illas diceret esse formaliter Juramenta, non item istas. At si verborum vis et genuinus sensus penitus introspeciat, nullum erit discrimen inter praepositiones *Per* et *In*, si ad eandem rem applicentur; sed prout res cui applicantur sacra erit vel civilis, perinde de utraque judicari debet. Illa ergo formula 'Per Deum' est ex vi verborum proprie Juramentum, quia res sacra est Dei Nomen; et qui sic loquitur, Deum inducit testem. Ast

§. 6.
Κριτήριον
Secundum.
Vis Verborum.

Casus
XXXVI.

* De Justitia et Jure. Lib. viii. Quaest. i.

illa ‘Per fidem,’ etsi ex more alicujus gentis aut intentione dicentis poterit esse Juramentum, non est tamen Juramentum ex vi verborum, sed Asseveratio tantum, vel ad plurimum Obtestatio. Quia fides humana non est res sacra, sed civilis; et qui sic loquitur non adducit Deum testem, sed tantum pronunciat secundum fidem suam, sive declarat rem a se cum animi deliberatione serio et sincere dici. Istorum enim verborum ‘Per fidem meam,’ sive in assertoria sive in promissoria materia, haec est genuina expositio: ‘Ex animo loquor, vere id dico quod sentio: pignoro tibi fidem meam rem ita se habere: si sciens fallo, nulla mihi in posterum fides habeatur,’ &c. Non est ergo fidei interpositio ex vi verborum Juramentum, nisi forte ubi nos revocat ad Juramentum aliquod prius a nobis praestitum, ut in hac Academia, quum postulatur quis ad interrogata respondere virtute Juramenti sub hac forma, ‘Tu dices fide tua data huic Universitati,’ et quum indicuntur solenniter Convocationes, quibus interesse jubentur a Bedellis Doctores, Magistri Regentes et non Regentes, ‘Per fidem, per fidem, per fidem.’ Quod idem mihi, etsi sciam multos aliter sentire, dicendum videtur de illo Paulino, *ὡς τὴν καύχησιν, per gloriationem nostram quam habeo in Christo, quotidie morior*: scilicet non esse proprie Juramentum, etsi illud *ὡς* adjunctum habeat, sed seriam tantum asseverationem, se, ut morti semper obnoxium, ita quotidie paratum esse, quum Deus voluerit, mori.

1 Cor. xv.
31.

§. 7.
Obiter de
Josephi illa
Formula,
*Per vitam
Pharaonis.*
Gen. xlii.
15.
Opin. i.

7. De illis autem Josephi verbis ad fratres suos, *Per vitam Pharaonis exploratores estis*, de quibus varie disputant Interpretes, quid sit sentiendum poterit fortassis ex his quae jam dicta sunt haud incommode judicari. Sunt qui Josephum diu jam inter aulicos Pharaonis versatum, quasi ipsi ex quotidiano convictu affricuissent ei aliquid de scabie sua, sic paulatim putant ipsorum moribus hac saltem ex parte assuevisse, ut didicerit tandem ad ipsorum exemplar per vitam Regis jurare, quomodo soliti sunt posterioribus saeculis Romani ex adulatione quadam jurare per genium Imperatoris. Sed non facile me patior de dictis factisque insignium pietate virorum sequius judicare quam res ipsa cogit. Video veterum plerosque ita Sanctorum famae detulisse,* ut ingenio suo nimium indulserunt,

* Compare De Obligatione Conscientiae, Prael. ii. §. 19.

dum eorum apertos lapsus honesto aliquo velamine excusare conantur. Errore saltem aliquanto honestiore, quam est error eorum, qui postremo hoc saeculo amant e diverso in piorum virorum lapsus curiosius inquirere; et ne desit quod calumni-entur, vel recte facta pervertendo sincerum vas incrustare gestiunt. Mitius aliquanto alii Josephi dictum illud interpre-^{Opin. 2.} tantur: eum, scilicet quo rectius rem gereret et ne fratribus alicunde forte suboleret quis esset, ni Aegyptiaci Principis quam induerat personam perite sustineret, formulam hanc jurandi Aulicis Regiis familiarem, illa tantum vice, in compendium simulationis adhibuisse. At mihi non est volupe vel hanc culpam, etsi paulo leviolem, sanctissimo viro impingere sine necessitate. Tertia est eorum sententia, qui Josephum liberant^{Opin. 3.} quidem ab omni culpa; sed ea ratione, quod putent ante interdicta a Christo id genus Juramenta, licuisse cuivis sine peccato per creaturam jurare. Quam sententiam fateor mihi eatenus probari, quod Josephum immunem culpae statuatur; sed rationem illius sententiae non probari. Nam, primo, non constat Christum interdixisse speciatim Juramenta per creaturas, magis quam ea quae per Deum sunt. Prohibuit enim utriusque generis omnia non necessaria. Nec opus fuit ista novo interdicto prohibere quae ex se erant semper illicita. Et quod speciatim dixit de Juramento per creaturas, eo tendit ut ostendat ejusmodi Juramenta, contra quam senserant Judaei, si praestita forent, non minus obligare quam quae expresso Dei Nomine fiunt. Secundo, nec verum est licuisse piis ante Christum, ex quadam dispensatione sive indulgentia Divina, per creaturas jurare, quum is Cultus soli Deo debeatur, ut ex Deut. vi, et Jer. v, ante probatum est. Qui posterior locus, etsi forsitan eos qui per idola seu falsos deos jurabant peculiariter respiciat, vis tamen argumenti quo utitur Propheta, a genere ducti, eos etiam attinet qui per creaturas jurant, quum et de creaturis recte dicatur quod *non sunt dii*. Tertio, ipsius Jura-^{Jer. v. 7.} menti natura, ut ex ejus Definitione constat, quum requirat ut Deus testis advocetur, satis ostendit nunquam licuisse per creaturas jurare, vel ipsis Ethnicis fatentibus, qui *θεῖαν παράληψιν* ad Juramenti essentiam pertinere docuerunt.ⁿ Quae quum ita sint, nec videatur hac ratione satis commode excusari posse ab

ⁿ Arist. lib. ii. Rhetor. [ad Alex. cap. 18. See above, Praelect. i. §. 5.]

Opin. 4.

omni crimine Josephum, restat quarta demum sententia, quae explicando genuinum sensum verborum Jesephi, censet eum non omnino jurasse, et proinde nec male jurando peccasse. Si enim tunc juraretur per vitam Pharaonis, aut vita Pharaonis ut testis adduceretur, quod est valde ineptum; aut aliquid execratorium vel imprecatorium in se contineret, quod quid sit, sine dura et coacta admodum verborum interpretatione, non est facile hariolari; at verborum ejus facilis erit et simplicissimus sensus, si indicativa oratione ita exponantur, *Per vitam Pharaonis exploratores estis*: id est, quam verum et certum est Pharaonem vivere, tam verum et certum est vos esse exploratores: quemadmodum illud, ‘Per hunc solem qui lucet verum tibi dico,’ idem valet ac si diceretur, ‘Tam verum est hoc quod ego tibi dico quam verum est solem hunc lucere.’ Quorum neutrum, ut mihi videtur, est formaliter Juramentum, sed Asseveratio potius vehementiore obtestatione confirmata. Non sum nescius ex adverso adduci posse nonnulla, quae etsi non sint tanti ut propterea mutandam esse putem sententiam meam, sunt tamen tanti ut propterea aequum esse censeam, cuique ut liberum sit sequi sententiam suam, modo non damnet alienam, et hoc mihi interim concedat, ex vi saltem verborum, nisi aliunde constiterit, non posse clare evinci Josephum Jurejurando usum esse, quum ipsa verba nullam contineant aut invocationem testis aut vindictae postulationem.

§. 8.
Causus
XXXVII.
Tertium
Κριτήριον.
Mos Gen-
tis.

8. Tertium dignoscendi Juramenti κριτήριον est Mos alicujus gentis, loci, vel communitatis. Potest enim fieri ut locutiones aliquae, quas nec ex forma, nec vi et germano sensu verborum liquet esse Juramenta, ex usu tamen recepto alicujus populi et communi hominum existimatione pro Juramentis habeantur; et ut illae vicissim, quas ex verbis judicares esse Juramenta, habeantur pro Non-Juramentis. Ratio est, quia verba proinde valent ac nummi. Quae utraque non φύσει valent et natura, sed θέσει, seu instituto magis, at χρήσει, sive usu, vel maxime: hoc est, tanti sunt utraque quanti aestimantur. Cujus rei exemplum non est quod aliunde quaeramus, quam ex formulis quibusdam nostratibus. Quum enim fidei et veritatis, in hoc praesertim negotio, eadem sit omnino ratio, ut qui veritate caret, careat et fide, quique fide, et veritate, ea tamen opinio apud nostrae gentis homines ex longo usu invaluit, ut qui *In faith* dixerit jurasse putetur, qui *In truth* non jurasse; et,

quod non minus est a ratione alienum, ut *In truth* asseveratio mera habeatur, *By my troth* etiam Juramentum. Cujus rei rationem ineptus esset qui quaereret, extra eam quae ab usu est,

Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.^o

Unde sequitur eum, qui, dum ad verborum solum formam aut vim attendit, indulget sibi libertatem ejusmodi locutionibus in communi sermone utendi sine aliquo delectu vel scrupulo, quae longo usu consecutae sint apud nos vim et aestimationem Jurisjurandi, et praeceptum Christi de non jurando violare, et fratri offendiculum praebere, et semet Perjurii periculo exponere.

9. Quartum et ultimum dignoscendi Juramenti *κριτήριον* est §. 9.
 Mens et Intentio Jurantis. Esto enim non constet vel ex ^{Casus} XXXVIII.
 verbis istis, vel ex communi aestimatione hominum, aliquam ^{Quartum}
 sermonis formulam esse Juramentum, si quis tamen ejusmodi ^{Κριτήριον.}
 formula usus, aut mentis suae errore aliquo putet se jurasse, ^{Intentio}
 aut ex aliqua dolosa intentione velit putari jurasse, ea formula, ^{Jurantis.}
 etsi non sit revera et ex se Juramentum, habebit tamen quoad
 ipsum hominem, ad omnem obligandi effectum in Conscientia
 Juramenti instar, ita ut non modo mendacii, sed et perjurii
 reus sit in foro interno, si fidem sic datam violaverit. Ut enim,
 judice Apostolo, qui aestimat aliquid esse *κοινόν*, commune vel
 impurum, quod ex se non est *κοινόν*, est illi tamen *κοινόν*, ita ut ^{Rom. xiv.}
 ab eo teneatur abstinere, sicut a re vere communi et impura, ^{14.}
 sic a lege contrariorum, qui aliquid aestimat esse *ἁγιον*, id est
 sacrum, quod ex se *ἁγιον* non est, illi tamen *ἁγιον*, ita ut ab eo
 abstinere teneatur sicut a re vere sacra. Et si error mentis
 sufficit ad inducendam Obligationem, multo magis mala vo-
 luntas fallendi proximum Obligationem inducet. Quia justum
 est, ut vir impius et dolosus incidat in foveam quam fodit ^{Ps. ix. 15.}
 proximo suo, et ut illi laqueo quem tetendit alteri implicitus sit
 pes suus.

10. Quatuor eorum quae nunc exposui Criteriorum usus est, §. 10.
 si quando quaestio vel scrupulus oriatur in Conscientia, de ali- ^{Dictorum}
 qua loquendi formula quae videtur habere speciem Juramenti, ^{Criteriorum}
 habeatne vere et formaliter rationem, et consequenter vim ^{Usus.}
 Obligatoriam Juramenti, vel non? protinus ut ad haec Criteria
 recurratur, fiatque examen illius formulae ad has velut notas

διαγνωστικὰς, idque eo quo proposui ordine, incipiendo a prima, atque ita percurrendo singulas, si opus fuerit: id est, nisi ante ex jam peracto examine satis constiterit quod sit Juramentum. Potest enim constare affirmatio, scilicet quod sit Juramentum, ex unius alicujus notae examine; at non potest constare negatio, nisi peracto ad singulas notas toto examine. Cujus examinis duplex est finis: alter antequam juretur, ut cogitet quisque an expediat ejusmodi formula uti vel non: alter, postquam in ea verba juratum est, ut intelligat quantum obligetur.

§. 11.
Solennis
Juramenti
Ritus.

Casus
XXXIX.

11. Egimus hactenus de Juramento eo, quod fit signo sine verbis, et de eo quod fit verbis sine signo. Sequitur Juramentum ex utrisque conjunctis. Adhibentur autem cum verbis signa, ob majorem vel solennitatem actus, vel dignitatem personae. Quartum ergo Dubium est de Juramento solenni: ubi Casus primus seu quaestio prima est de ritibus et ceremoniis in solenni Juramento adhibitis. De Ritibus Gentilium multi multa scripsere, quae nec est alias operae pretium, nec est praesentis instituti percensere. Annotavit praecipuos quosdam Alexander Neapolitanus, lib. 5. Genial. Dier. cap. 10. Sanctissima habeantur illa, quae aras Deorum tangentes^p conceptis verbis jurabant: illis proxima, quibus 'Jovem lapidem.'^q Conceptis autem verbis jurare dicuntur, qui verba Juramenti praescripta recitant vel singuli, vel unus aliquis tantum, reliquis in ejus praeuentis verba^r consensum suum uno aut altero verbo signove significantibus.^s Apud veteres Hebraeos duo praecipue Ritus in Sacris Literis memorantur. Quorum alter peculiaris fuit iis Juramentis *ἐπακτοῖς* quae superiores pro auctoritate sua exigebant a suis inferioribus, ut mandata sua fideliter exsequerentur. Cujus primum exemplum habetur, Gen. xxiv, ubi Abraham ab Oecono suo Juramentum exigens fidelitatis, de uxore filio suo deligenda, jubet eum manum femori suo

Gen. xxiv.
2.

^p Is, nisi aram tenens juraret, nemo crederet. Cicero pro Flacco, 90. Et, ut mos Graecorum est, jurandi causa ad aras accederet. Id. pro Balbo, 12.

^q Jovem lapidem, inquit, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare A. Gell. Noct. Att. i. 21.

^r In verba jurabas mea. Horat.

Epod. xv. [4.] . . . jurare in verba Magistri. Idem, Epist. I. i. [14.] . . . Pavidus tribunus adjurat in qua adactus est verba. Liv. vii. 5.

^s Praejurationes facere dicuntur ii, qui ante alios conceptis verbis jurant, post quos in eadem verba jurantes tantummodo dicunt, 'Idem in me.' Festus.

supponere. Quod idem facere jussit Jacobus jam moriturus Josephum filium, Gen. xlvii, quum ei curam demandavit sepul-^{Gen. xlvii.} turae suae in terra Canaanitide. Quem Ritus sive observarint^{29.} in signum fidei qua credebant in semen benedictum egressurum de femore Abrahae, sive in commemorationem foederis quod ante pactum erat cum Abraha quum circumcideretur, sive alia quacunque de causa, non tamen legimus id ullo expresso Dei mandato niti, sed fuisse, quantum nobis quidem constare potest, liberae omnino institutionis. Quo magis miremini illorum hominum perversam non sine superstitione severitatem, qui Ritus omnes in Cultu Dei, decoris et ordinis gratia ab hominibus sine expresso Dei mandato institutos, damnant, ut execranda et in Ecclesiis Christianorum non ferenda idola. Alter populi Dei inter jurandum [Ritus] erat elevatio manus dextrae coelum versus, adhibita et in Juramentis ἐκουσίου quae quis sponte suscepit et non ex alterius imperio. Quem Ritus,^t sive ex Hebraeorum imitatione, ut plurima alia, sive ductu quodam naturae quasi Deum intuentes, quem ὑπέρτερα δώματα valew crediderunt, plerarumque Gentium populi observarunt. Hujus utique ut et superioris primum exemplum habemus in historia ipsius Abrahae, Gen. xiv; sed et hoc nullo quod scimus^{Gen. xiv.} speciali Dei mandato subnixum. Qui Ritus nihilominus ita^{22.} postea invaluit apud ejus posteros, ut per metonymiam adjuncti illa phrasis levandi manum pro ipso actu jurandi frequenter posita reperiatur: immo et vox ipsa ימין quae proprie dextram significat, Hebraeis et Arabicis pro Juramento non raro accipitur. Unde aliqui ipsorum Interpretes illa verba, Ps. cxliv. 8 et 11, de Juramento intelligunt, *Quorum os loquitur vanitatem, et dextra eorum est dextra iniquitatis*, vel potius *mendacii* sive *falsitatis*; id enim proprie significant Hebraea ימין שקר. Quin et ipse Deus, ubi ad modum humanum ἀνθρωποπαθῶς jurans inducitur, eo loquendi genere utitur, *Ego levo ad coelum manum meam, et juro in dextra mea*, Deut. xxxii. 40. ad quem Ritus et alibi in libris Prophetis utriusque Testamenti non raro allusum. Quem proinde Ritus iterum jure miremini, in Christianis Ecclesiis non tolerari modo, sed et approbari ab ipsissimis illis viris, qui ta-

^t Suspiciens coelum, tendetque ad sidera dextram:

Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera, juro.

Virgil. Aen. xii. [196.]

quod et mihi constitutum erat, ut hac Praelectione complecterer et ea quae ad Internam Formam pertinent. Sed continet ea pars Dubia quaedam singularis et momenti et usus, et indigna quae in nimis arctum compingantur: illud praesertim, quoniam sensu Juramentum debeat intelligi. Itaque ne aut vobis aliquam injuriam faciam nimia prolixitate, aut rei ipsi nimia brevitate, dabo operam ut proxima Praelectione, cum Finali Causa, quae nec multa continet Dubia, nec multum difficilia, una etiam expediam ea quae de Interna Forma supersunt dicenda.

PRAELECTIO SEXTA.

DE JURAMENTI FORMA INTERNA ET CAUSA FINALI.
CONTINENS CASUS QUINDECIM.

FORMAM Juramenti tractandam proposuimus duplicem, Ex- §. 1.
ternam et Internam. Externa, signorum et verborum, quae Juramenti
exteriore sensu percipiuntur, rationem continet: quam supe- Forma in-
riore Lectione absolvimus. Internam, quae in verborum sensu terna sive
et interpretatione, quod est interioris mentis opus, consistit, Interpretatio.
nunc aggredimur. Verborum autem sensum hic intelligo, non
respectu Formularum, quibus aliquid jurari significatur; de hac
enim inter dignoscendi Juramenti κριτήρια, dum in Externa
Forma versaretur, ante dictum est; sed respectu ipsius Pro-
missionis, quae Jurejurando confirmatur, et in verbis continetur.
Res sane magni momenti, et multiplicis usus: utroque nomine
digna omni vestra attentione. Etenim et magni interest per-
nosse quo sensu juraveris, quia pejeravit qui quod promissum
est non eo sensu perfecerit quo promisit, aut promittere de-
buit: nec in solis Juramentis, sed in Votis, Promissis, Foede-
ribus, Contractibus, aliisque Conventionibus omnibus, in qui-
bus bona fide agier oportet, omnino videndum ut Promissio eo
prorsus sensu quo facta est adimpleatur. Ad rem ergo. Ju-
ramenti verba, aut clara sint necesse est, aut ambigua.

2. Dubium primum est de Obligatione Juramenti, cujus §. 2.
verba clara sunt, et habent sensum manifestum et indubita- Casus
tum. Ubi quatuor occurrunt Casus. Primus est, quum verba XLII.
Juramenti aut Promissionis ita sunt clara, sive, primo, ex pro- Ubi de sen-
pria sua et communi significatione; sive, secundo, ex recepto su Jura-
loquendi more alicujus gentis vel civitatis; sive, tertio, ex mut- menti inter
tuo consensu partium; ut de eorum sensu inter partes omnino partes con-
constet. Exemplum primi: Caius Titio, Spondeo me fundum stat.
meum Tusculanum tibi daturum, si mihi infra mensem centum
aureos dependeris. Exempla secundi: Si Johannes cum Petro
lingua nostra vernacula sic contraheret, Pro centum marcis
quas tibi debeo, dabo tibi cras de grege meo centum oves

masculas, Anglice *For an hundred marks an hundred weathers*: vel, Pro usu-fructu fundi tui solvam tibi quotannis tres modios frumenti, Anglice *Three bushels of wheat*. Quorum in priori exemplo, etsi vocabulum illud *An hundred* sit ita ambiguum, ut nunc idem significet quod Latinis proprie est centum, hoc est quinquies viginti, nunc majorem summam, scilicet sexies viginti, tamen ex passim recepto per universum Regnum Angliae illius vocis usu, mens ita contrahentium sic esset manifesta ut de sensu verborum nulla posset oriri lis: quandoquidem *An hundred*, quum de pecuniis sermo est, Centum sive quinquies viginti; cum de pecore, sexies viginti denotare, nemo est apud nos qui non intelligat. In posteriore item exemplo, illa vox, *A bushel*, quum apud meridionales Anglos ex usu communi modium Latinorum unicum significet, apud Septentrionales binos modios: usus locorum ambiguitatem ejus vocis ita definiret, ut utrovis loco contractus fieret, de sensu tamen verborum inter bonae fidei viros nulla posset esse dissensio. Exemplum tertii: Caii agrum quendam e multis unum fundo suo vicinum Titius emere cupiens, de pretio cum eo aliquoties ante collocutus, ubi eum die quodam convenit: 'Dabin' mihi,' inquit, 'agrum tuum eo quo dixi pretio?' 'Dabo.' 'Jura mihi te daturum.' 'Juro.' Etsi de eo agro qui Titii fundo vicinus est peculiaris nulla facta sit mentio, certum est tamen ex antecessis sermonibus eundem illum agrum peculiarem intelligi. Et istiusmodi quidem Juramentum obligat Jurantem ad praestandum bona fide id quod promisit eo sensu, in quem manifestum est, si abesset utrimque omnis dolus malus, utrumque contrahentium consensisse. Fidem violaret Caius, si Titio alium aliquem agrum daret, et non eum de quo ante collocuti fuerant: et pactus *an hundred weathers*, si non nisi quinquies viginti tradiderit, Promissi fidem non implevit.

§§. 3, 4.
Caus
XLIII.
An locum
habeat Ae-
quivocatio
Verbalis?

3. Casus secundus est de Juramento, ubi verba secundum communem morem intelligendi satis ex se clara videntur, sed Jurans tamen non habens intentionem se obligandi in eo sensu quem verba aperte prae se ferunt, sensum alium quendam sibi imaginatur, cujus verba ipsa propter alicujus dictionis aut phrasis ambiguitatem possunt esse aliquo modo capacia: quem celare cupit audientes, ita ut ipse verba accipiat in alio sensu quam ab audientibus accipi putet aut cupiat. Haec est illa, quam cum nonnullis Casuistis et Scholasticis Jesuitae potissi-

mum tuentur et exercent, Verbalis Aequivocatio. Cujus exempla in Juramentis Assertoriis fere adducuntur, quia istiusmodi Aequivocationis ex ipsorum doctrina praecipuus usus est, quum quis interrogatus a Judice non competente, vel non secundum ordinem Juris, vel habens alias causam veritatem dissimulandi rationabilem, commutat apertum sensum verborum in alium minus apertum, et ab ea qua de re agitur longius remotum, prout suis rationibus expedire videbitur. Ut si Ludovicus, interrogatus an esset Gallus, juraret se non esse gallum, scilicet gallinaceum: aut si servus cujuspian, interrogatus essetne herus intus, juraret non esse, id est, non comedere: quum mens interrogantis utrobique sit satis aperta. Idem et in Juramento Promissorio contingere potest: ut si quis belli dux, pactus cum hoste decem dierum inducias, castra ejus de nocte diriperet; quod inter paciscendum dierum tantum mentio facta fuisset, non item noctium. Historiam narrant Livius et alii de decem Romanis apud Hannibalem captivis, qui certis conditionibus, postquam redituros se in ipsius castra juraverunt, ab eo dimissi sunt: 'quorum unus minime Romani ingenii homo'^a (inquit ille, alii a duobus id factum narrant^b) Jurisjurandi solvendi causa commentitio consilio regressus eodem die in hostium castra, velut aliquid oblitus, ante noctem comites assequitur. Quae ipsius fraudulenta calliditas tam turpis existimata est, ut non modo contemptus vulgo dispretusque sit,^c et a Censoribus omnium notarum damnis et ignominiiis affectus, sed et a Senatu comprehendendus, et custodibus publicis datis ad Hannibalem deducendus judicaretur. Defendunt tamen acriter hanc Aequivocationem Jesuitae: ita ut Joh. Molanus, Professor Lovaniensis, * caedem Johannis Huss, contra fidem publicam de salvo conductu datam, eo nomine defendat, quod salvum veniendi, non item redeundi veniam habuerit. Eant nunc Jesuitae et fidenter conquerantur magnam sibi injuriam fieri, quod docere dicantur non esse fidem cum haereticis servandam. Nam si isthoc pacto servari possit fides, non est quod de ea, cum quibuscunque demum transigi contigerit, aut servanda aut vio-

^a Liv. xxii. 58.

^b A Gell. Noct. Attic. vii. 18.

^c Ut contempti vulgo dispretique sint. A. Gell. ubi supra: emendante Lipsio, quum ante 'discerpti' perperam legeretur. Vid. Lipsius Elect.

i. 7. [Opera Omnia quae ad Criticam proprie spectant. p. 499. Lugd. Bat. 1596.]

* De Fide Haereticis Servanda. ii. 2, 3. iii. 3.

landa multum sint solliciti. Sed Jesuitismum hunc integris in eam rem editis libris refutarunt, et fuse et solide, Reverendus in Christo Pater, Joh. Mortonus,* Episcopus nunc Dunelmensis, Hen. Masonus, † nostrorumque alii, ab iis qui pleniorum hujus rei tractationem desiderant consulendi. Statuendum est interim isto modo Jurantem et aequivoce jurando peccare, et, tacita illa Aequivocatione non obstante, obligari in Conscientia ad Promissum faciendum in eo sensu quem verba ex se reddunt, et sunt apta ingenerare in mente audientium: ni sic fecerit, Perjurio non vacare.

§. 4.

4. Rationes istius assertionis aliquot dudum attuli, confirmandae primae nostrae Hypothesi: ‡ addo nunc alias, sed breviter. Primo, quia Juramentum debet simplicissime et cum effectu intelligi; quae summa est illius Hypotheseos: cum qua simplicitate pugnat istud quaesitae ambiguitatis artificium. Secundo, quia magna est profanatio Nominis Divini, eum ut cordis inspectorem et testem invocare, in testimonium veritatis eorum verborum, quae cum eo quod Jurans in corde reconditum servat non concordant. Quod quid est aliud quam Deum qui nec illudere scit nec illudi, quantum in ipso est impostorem facere et indignae simulationis patronum? Tertio, quia ejusmodi Aequivocatio ipsi institutioni et naturae Juramenti adversatur, cujus praecipuus usus est ut sit ἀντιλογίας πέρας, ut finem statuatur litibus et controversiis; et ut de rebus alioqui incertis habeatur aliqua certitudo, quantum expedit rebus humanis: quum sit Jurisjurandi religio expediendarum litium maximum remedium.^d Ast Aequivocatione tollitur omnis illa certitudo quae jurando quaeritur; quae enim potest esse certitudo illius responsionis cujus sententia incerta est? Nec expediuntur hac ratione lites, sed augentur magis. Quarto, quia sic Jurans proximum suum decipit et sciens fallit, contra quam exigitur a Jurante, ne juret in dolo; et contra Veterum formulam illam, 'Si sciens fallo.' Quinto, quia ut affirmatio et negatio in Assertorio, sic est sponsio in Promissorio Juramento: quum contineat in se responsionem ad quaestionem seu interrogationem a

Heb. vi. 16.

Ps. xxiv. 3.

* Apologia Catholica. 4^o. Lond. 1605, 6.

† The new Art of Lying, covered by the Jesuits under the Veil of Equivocation, discovered and disproved by Henry Mason, Parson of

S. Andrew's Undershaft, London. Lond. 1634.

‡ See Praelect. ii. §. 2.

^d L. i. ff. de Jurejur. [Digest. Lib. xii. Tit. ii. Lex i.]

Deferente propositam, nisi sit congrua et apta propositae interrogationi, mendacium est et non veritas. Nam ex interrogatione et responsione fit una quasi propositio, quae omnino falsa censenda est, si alio sensu quam quo proposita est interrogatio responsio fiat. Neque vero multum adjuvat hac in re istius simulationis patronos restrictio illa qua uti solent, scilicet non licere nobis passim hac Aequivocatione uti, sed solum apud non-judicem, eumque qui jus non habet exigendi Juramentum, vel qui sine justa causa nos adiget ad jurandum, aut rem indebitam petit, aut ex aliqua simili causa rationabili. Sed praeterquam quod, primo, ista ab eis gratis dicuntur, sine ulla aut Scripturae aut veteris Ecclesiae auctoritate, vel etiam solida et evidenti ratione: nec tollitur, secundo, sed nec minuitur ista restrictione vis eorum argumentorum quae jam adduximus in contrarium, sciendum, tertio, etsi injusta vis concederetur impedire posse Obligationem illam quae homini fit, quia non est aequum ut ex actu injusto jus sibi quis acquirat, nullam tamen injuriam ab hominibus illatam justam nobis causam praebere posse injuriam faciendi Deo, tollendo scilicet illam Obligationem, quae Deo fit ut cordium inspectori; cui, ex omni Juramento nostro, propter Nominis sui invocationem, jus accrescit. Quarto, denique, Jesuitica haec doctrina improbis hominibus, pro sua libidine, mentiendi et pejerandi licentiam facit, etiam illa restrictione non obstante; quum ea manente, adhuc tamen an expediat vel non expediat uti Aequivocatione penes ipsum Jurantem solum sit tota judicandi potestas. Ideo si quis ad jurandum praeter jus et fas adigatur, aut debet Juramentum simpliciter recusare, aut ipsum in eo sensu quo proponitur sine ulla simulatione vel Aequivocatione admittere.

5. Casus Tertius huic affinis est de Mentali, ut vocant, Reservatione, quam eadem prorsus ratione tuentur Jesuitae, et eadem restrictione definiunt, qua et Verbalem Aequivocationem. Ut enim in illa, ex detortis in alienum sensum verbis prolatis, sic in ista, ex assumpto aliquo non exterius prolato, sed intus apud se in mente reservato, Jurans interrogantem ludificatur. Sic sacerdotem aiunt, si a Magistratu haeretico rogetur an sit sacerdos, respondere posse se non esse sacerdotem, nempe Bacchi, aut Apollinis; et uxorem adulteram, si a marito zelotypo de adulterio postuletur, jurare posse se adulterium non commisisse, nempe ut ipsi dicat. Pariter et in Promissorio

§§. 5, 6.
Casus
XLIV.
Aut Mentalis Reservatio?

Juramento, posse viatorem ob vitam redimendam jurare, latroni se certam pecuniae summam daturum, quum tamen in animo habeat nullam ei dare, dummodo sic intelligat, 'Dabo si debeam,' vel 'Dabo si apud Magistratum petieris.' Sed ut iisdem fere fundamentis nititur, sic iisdem argumentis evertitur, Mentalis haec Reservatio, quibus et illa Verbalis Aequivocatio. Tollit enim omnem inter homines fidem et certitudinem, Deum impostorem facit, eos quicum agitur decipit, Jurisjurandi finem et usum pervertit, omne genus mendacis et perjuriis latam fenestram aperit. Quia et Aequivocatione illa tanto perniciosior est ista Reservatio, quanto huic quam illi difficilius occurritur. Praevisa vel suspecta potest praecaveri Aequivocatio, ita explicando verba in quae jurandum est, ut nulla subesse possit ambiguitas, nulla reliqua sit evadendi rimula. Ast ne Reservationibus hisce quis utatur, nulla prorsus arte vel providentia effeceris. Vertumnum hunc quo nodo sic obstrictum teneas, ut non mutata subinde forma elabatur?

Mille adde catenas :

Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.^e

Juramentum apud nos Fidelitatis, ea verborum accuratione et studio perscriptum, ut nullus cavillationi aut effugio locus esse posse videatur, Jesuitae tamen et sacrificuli, dum sibi quidlibet animo reservandi libertatem reservant, magna vultus constantia praestare non verentur. Ipsissimam enim illam clausulam, qua verbis conceptis spondent se omnia antedicta fideliter observaturos, juxta tenorem verborum a se prolatorum, 'et juxta eorum verborum apertum et naturalem sensum et sententiam, sine ulla Aequivocatione, aut Mentali Reservatione,' intelligunt interim cum alia reservatione, scilicet, 'quam tibi dicam.'

§. 6. 6. Habent tamen paratam sibi hanc defensionem, quo se a Perjurio liberent, nempe ex oratione verbali et mentali unam confici integram orationem compositam, in qua tota conjunctim accepta nulla sit falsitas. Ut, exempli gratia, si sacrificulus verbis prolatis juret se non esse sacrificulum, adjectione illa in animo reservata, sed non enunciata, 'Ut tibi dicam,' oratio haec tota, inquit, ex verbali et mentali composita, si integre sumatur, erit vera : scilicet, 'Non sum sacrificulus ut tibi dicam.' Nec videtur ratio aliqua obstare, quin liberum cuique sit ora-

^e Horat. Sat. II. iii. 70.

tionem suam, si libuerit, ex terminis vocalibus et mentalibus componere. Cur enim in Precatione, si quis illa tantum verba *Panem nostrum quotidianum* ore protulerit, reliqua illa *Da nobis hodie* mente solum cogitaverit, poterit illa integra oratio et licita esse et Deo grata; non itidem licebit in Juramento id ipsum facere? Ut huic Jesuitarum argutiolae plene respondeatur, primo, mirandum non animadvertere acutissimos disputandi artifices hac defensione omnem judiciorum, promissionum, contractuumque humanorum fidem penitus labefactari. Quo enim utuntur argumento, si quid haberet ponderis, evinceret sane non minus licere istiusmodi Reservationibus uti apud legitimum Judicem, et in re debita, quod tamen illi dicunt fieri non oportere, quam apud Judicem non competentem, aut in re indebita: quum oratio ex verbali et mentali composita sit omnino ejusdem utrobique aut veritatis aut falsitatis. Et haec responsio sufficit ad hominem. Sed ad rem ipsam dicendum, secundo, orationem ex verbali et mentali eo quo dictum est modo compositam admitti posse, ubi quis secum aliquid solus commentatur, ut in privata meditatione; aut quando cum solo Deo res est, ut in Precatione vel Gratiarum actione; ast ubi cum hominibus negotium est, ut in Juramentis, ubi sic ferendum est testimonium ut ab aliis audiatur et intelligatur, mixtam ex verbali et mentali orationem nullatenus esse admittendam. Hujus discriminis ratio manifesta est, quia tam notum unicuique est quod ipse intus in pectore suo occultum gestat, quam quod verbis palam enunciat. Deo etiam cui nihil occultum est, vel abditissima cordium secreta *τετραχλισμένα* sunt et perspec- Heb. iv. 13.
tissima. Ita ut secum meditantibus, vel Deum precantibus, quod ad veri et falsi rationem attinet perinde est, sive totum id quod in mente enuncient, sive partem tantum, sive nihil. Caeterum apud homines, quibus cogitata cordium ignorari necesse est, nisi quatenus sermone aliove externo indicio significantur, orationis veritas et falsitas ex iis solis aestimanda est, quae audientibus aliquid testari possunt. Quod quum Reservationes illae quae in mente sunt efficere nequeant, in dijudicanda orationis veritate, verborum prolatorum tantum, non autem Reservationum Mentalium, ratio habenda est.

7. Casus Quartus respicit post-factum. Nam ut antequam §. 7.
juretur, et in ipso jurandi actu, oportet esse propositum ad-
implendi Promissum eo sensu quo propositum est, sine aliqua ^{Casus} XLV.
Juramen-

tum non
eludendum
excogitato
effugio.

Aequivocatione aut Mentali Reservatione, ita postquam juratum est, adsit oportet studium et conatus, ut idoneo tempore fideliter idipsum et eodem sensu quo juratum est adimpleatur sine aliqua evasione aut effugio. Atque ut unum Perjurii genus est, inter jurandum detorquere verba in alium sensum quam concipiunt audientes, sic alterum Perjurii genus est, ubi recte juraveris, non sincere agere, sed novo aliquo excogitato commento Juramenti vim, salvis tamen verbis, declinare et eludere. ‘Verbis Jurisjurandi per varias artes mutantibus, quibus flagitii conscientia inerat,’^f inquit de quibusdam Tacitus. Lepidum recitat ex Herodoto Stobaeus^g de Archetimo quodam, qui apud Cydiam amicum nummos aliquot aureos deposuerat. Post aliquod tempus Archetimo depositum repetenti, Cydias prae auri cupidine acceptum negat. Res ad Judices delata: instat actor, negat reus: par utrique confidentia, testes nulli. Placuit Judicibus, quod deessent aliae probationes Jurejurando litem terminari. Dies examini dictus. Cydias interea baculo ferulino scite excavato nummos incluserat, simulans etiam adversam valetudinem. Die condicto adest, baculum, velut qui e recenti morbo vixdum satis convaluerat, manu gestans. Aris admo- vendus, Archetimo baculum tantisper tenendum porrigit, dum ipse Jurisjurandi solennia perageret. Tradito baculo, tum demum summa cum animi vultusque constantia praestito Jura- mento fatetur se ab Archetimo aurum accepisse, sed restituisse fidenter asserit. Archetimus, et offensus damno et hominis con- junctam cum summa impudentia summam perfidiam indignatus, baculum a se projectum tam vehementi ictu pavimento impegit, ut, ferula confracta, effusi nummi et Cydiae fraudem et totius rei veritatem patefecerint. Id Cydiae factum ἐκ τέχνης πε- πλασμένον ψεῦδος appellat Historiae scriptor, ex arte concin- natum mendacium: qui et idem observat Cydiae κακὴν βίον καταστροφὴν, velut justam perfidiae mercedem, miserum vitae exitum. Exstant id genus exempla in Historiis et in vita quotidiana compluria, unde pauca quaedam quae nobis ex usu sient colligo. Primum, homines vel improbos aliqua saltem Juramenti religione et conscientia duci, adeo ut quibus justis et

^f Tacit. Hist. iv. [41.]

^g Stobaeus, Serm. 27. [28. 17. Gaisford. This story follows that of Glaucus in Herodotus vi. 86; but

the name of the Writer from whom it was copied is not given by Sto- baeus.]

honesti vel nulla vel perexigua ratio est, ex quodam tamen naturae sensu Juramento putent ad datam firmatamque fidem exsolvendam obligari. Secundum, pravis affectibus ni fortiter resistatur, periculum esse ne scintilla illa quae in nobis reliqua est Luminis Naturalis, ita ab illis aut penitus exstinguatur, aut saltem misere obruatur, ut de Perjurio arte aliqua palliando magis quam sincere evitando solliciti simus. Tertium, qui Perjurii immunis esse cupit, Juramenti a se suscipiendi verba singula, eorumque sensum et vim diligenter expendere debere, ut si non debeat servari, ne quidem suscipiatur: si fas sit suscipi, sine fraude et simulatione servetur. Impium est enim rem sacram praepropere vorare, et intempestivam, Voto jam immisso, ordiri inquisitionem. Et haec de primo Dubio. Cujus summa est, Juramenti verba, ubi sunt ita ex se clara ut de eorum sensu inter bonae fidei viros nullum possit esse dubium, obligari Jurantem in eo sensu quem manifeste reddunt; nec fas esse ipsi, aut inter jurandum, aut postquam juraverit, ea verba, quaesita in compendium suum interpretatione alio detorquere.

8. Dubium Secundum est, ubi de verborum sensu ambigitur. §. 8.
 Casus autem sunt tres. Primus est, de Juramentis Spontaneis: ut in illis Promissionibus, quae fiunt ex mero motu propriae voluntatis, ex animi quadam liberalitate, et non ex debito aliquo justitiae aut obsequii. Respondetur communiter et vere, istiusmodi Juramenta esse ex ipsius Jurantis mente accipienda, quia unusquisque sui optimus interpret est. Exempli gratia, si quis apud nos Voto, Juramento, aut Promissione se obstringeret dare alicui ptochotrophio aut pauperibus alicujus villae quolibet mense decem solidos, siquidem nobis Mensis nomen ambiguum est, si pauperes illi primam pensionem sibi ex Promisso deberi contenderent ad vicesimum octavum diem Januarii, et exinde deinceps reliquas vicesimo octavo quoque die, accipiendo Mensem pro quatuor septimanarum spatio, quae est una ejus nominis significatio: ille contra non deberi diceret ante ultimum diem Januarii, et sic deinceps, accipiendo Mensem pro duodecima fere anni parte, ut in Calendario in duodecim menses totus annus distribuitur, quae est ejusdem vocis altera significatio, aequissimum est, ut vox ambigua ex ipsius potius quam illorum mente accipiatur. Quia illa pensio non est eis debita ex justitia, et ante factam Promissionem; sed ex

Casus
 XLVI.
 Quo sensu
 Juramenta
 Spontanea
 sint intelli-
 genda;

charitate et vi Promissionis liberae, non alicujus pactionis aut contractus. Et de hoc genere Juramenti debent illa verba intelligi, quae citantur in Glossa Juris Canonici, 'Patet quod Deus non accipit sic Juramentum sicut ille cui juratur, sed potius sicut qui jurat intelligit.'^h Sed ut haec responsio rectius intelligatur, duo sunt observanda. Alterum quod hoc in spontaneis Juramentis et Promissionibus potissimum obtinet, quum τῶν ἐπακτῶν diversa sit ratio, ut mox dicitur. Alterum, Jurantem in praesenti casu obligari ad Promissum servandum eo sensu, quem ipse verbis suis, quo tempore juravit, aut bona fide intendebat, aut voluit ab audientibus intelligi; non autem in eo sensu quemcūque ipsi postea libuerit illis verbis affingere. Deus enim qui aspicit cor non luditur verbis: nec debet intentio verbis inservire, sed verba intentioni.ⁱ

§§. 9, 10.
Casus
XLVI.
et quo sensu
delata.

9. Casus Secundus est de Juramentis et Promissionibus ἐπακτοῖς,^k id est, eis quae Juranti ab alio deferuntur, sive quae alius quispiam aliquo aut jure suo aut juris praetextu a Jurante exigit. Qualia sunt ea imprimis, quae a Rectoribus pro auctoritate sua subditis imperantur, aut Legibus sunt constituta: ut apud nos Juramenta Suprematus Regii et Fidelitatis, et ea quae ex Statutis Academiae ab eis exiguntur qui ad gradus promoventur, aliaque similia. Item ea quae ex justa conventionione partium ab alterutro contrahentium postulatur, ut ea quae in pactis, foederibus, aliisque civilibus contractibus ad mutuum fidem confirmandam interveniunt. Pro responsione in hoc Casu dico, istiusmodi Juramenta regulariter intelligi debere in eo sensu, quem probabiliter judicari potest fuisse ab eo cui juratur intentum: ita ut Jurans teneatur sub poena Perjurii implere quod promisit, si sit res licita et honesta, secundum intentionem Deferentis. 'Verba intelliguntur secundum mentem et intentionem ejus cui fit Juramentum,' ait Juriscon-

^h Gloss. ad c. 22. qu. 5. 2. 11. [Gratian. Decret. Pars ii. Caus. 22. Quaest. 5. 11. Gloss. Margin.]

ⁱ Gregor. 26. Moral. 7. et habetur 22. Quaest. 5. [deservire in Gratian. See the last reference: where these words, 'Apud Dominum verba nostra non ex ore, sed ex corde procedunt,' are given as the substance of this passage of Gregory

the Great: 'Humanae aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant. Divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde.']

^k ἐπακτος ὄρκος, ἐφ' ὃν ἕτερος ἄγει, οὐκ αὐθαίρετος. Hesychius. ὁ ἀλλαχόθεν ἐπιφερόμενος. Suidas.

sultus.¹ Ratio est, quia eum ob finem hoc Juramenti genus suscipitur, ut is cui juratur ex interposita fide habeat aliquam certitudinem, id quod sibi a Jurante promissum est impletum iri; de Promissione autem adimplenda nihilo certior esset, si verba ex mente Jurantis, et non ex sua ipsius mente essent intelligenda. Alia enim ratio est Obligationis, ubi debitum fundatur in Promissione; ubi vero Promissio fundatur in debito, longe alia. Ipse Deus, qui nemini ex jure debitor est, ex Promissionibus tamen suis gratuitis, facit se nobis debitorem; et qui Voto, Juramento, vel Promissione spontanea se obligat ad aliquem actum charitatis, contrahit ipso facto debitum. Sed quia hoc debitum non fundatur in jure ejus cui facta est Promissio, sed promanat ex mero actu libero et gratuito ipsius promittentis, omnino aequum est ut ipse sit mentis suae interpres, cuja potissimum interest quantum et quatenus et quo sensu intendebat se obligare. Ast ubi contra Promissio ipsa fundatur in debito aliquo antecedente, debito scilicet aut subjectionis et obsequii ex auctoritate superioris, aut justitiae et pacti ex conventionem partium, quia is cui fit Promissio jus habet eam exigendi, et ipsius maxime interest ut Promissi fides servetur, ratio postulat ut, ex ipsius potius mente et interpretatione quam ex promittentis sensu, de Promissionis Obligatione judicetur.

10. Casus Tertius est, ubi Deferens Juramentum sensus §. 10. ambigui, id tantum postulat ut in ea verba juretur; permittit ^{Casus} XLVIII. interim Jurantis ipsius arbitrio, quocumque voluerit sensu Juramenti verba intelligere. Dico, merito suspectum esse debere latentis alicujus doli mali, et proinde recusandum esset viro pio et prudenti oblatum sub tali conditione Juramentum, quod mihi videtur triplici de causa improbandum. Primo, respectu ipsius Juramenti, in quo requiritur imprimis veritas; oratio autem indefiniti et ambigui sensus ante distinctionem factam non est propositio vera, immo ne propositio quidem, quum debeat propositio, ut ex ejus Definitione vel pueris notum est, verum vel falsum significare sine ambiguitate. Secundo, re-

¹ L. qui interrogatus ff. de inter. ex legit. [Gratian. Decret. Pars ii. Caus. 22. Quaest. 5. §. 12.] Rectissime dici non secundum verbum Jurantis, sed secundum expectationem ejus cui juratur, quam novit

ille qui jurat, fidem jurationis impleri. August. Epist. 224. [125. ed. Ben.] Expectationem eorum quibus juratur quisquis deperit, non potest esse non perjurus. Idem Epist. 225. [126. ed. Ben.]

spectu ejus cui jurandum est; finis enim Juramenti proprius est, ut is cui juratur de re prius incerta habeat aliquam certitudinem; ex verbis autem incerti sensus quae potest haberi certitudo? Tertio, respectu ipsius Jurantis: qui si Juramentum sub ea conditione praestet, aut proximo scandalum aut sibi laqueum parat. Istiusmodi enim collusio, ne cogitari quidem potest quo spectet alio, nisi ut aut nostro exemplo alii ad idem Juramentum suscipiendum, reluctantem licet Conscientia, inducantur; quod est proximo Scandalum praebere; aut ut aliud aliquid postea a nobis virtute illius Juramenti faciendum exigatur, quod aut illicitum sit aut incommodum; quod est nobismetipsis laqueum inducere. Caveat itaque vir prudens, ut sibi his artibus imponi patiatur; alteriusve cujusquam aut gratiam aut metum tanti ducat, ut escam devoret, cui subesse hamum certo sciat. Sane ut inter jurandum omnia recte fiant, expedit ut de verborum sensu inter omnes partes quarum interest liquido constet: id quod liquido jurare veteribus dictum est:*

Scis tamen, et liquido juratus dicere posses.

Et ex veteri formula Juraturo a Deferente Juramentum dici solitum est, 'Qua de re peto liquido jures.'

§. 11.

Casus
XLIX.

Quatenus
Juramenti
sensus pen-
deat ex
scopo.

II. Sed de his satis. Pergo ad Dubium tertium, quod est de sensu Juramenti quoad latitudinem sive extensionem ejus: hoc est, an et quatenus sensus verborum ex scopo metiendus est. Casus primus est, ubi Juramenti alicujus causa fuit particularis, verba tamen sunt generalia. Exempli gratia, Juramento Suprematus Regii causam dedit Usurpatio Papalis, qui supremam in spiritualibus jurisdictionem in hoc Regno sibi vindicabat: verbis tamen Juramenti ita asseritur Suprematus Regius, ut non Papa solum, sed et universim omnes alii quicumque excludantur a suprema potestate in hoc Regno exercenda. Respondeo, tale Juramentum obligare quoad verba ipsa in ultima sua latitudine. Ratio est, quia Legis, licet ex particulari occasione latae, intentio tamen est generalis, omnia ejusdem generis vel rationis incommoda in futurum impedire. Et proinde etsi in prooemio Legis mentio saepe fiat particularis illius mali quod causam dedit Legi ferendae, verba tamen illa quibus Lex ipsa continetur plerumque sunt magis gene-

* Ovid. III. de Ponto, iii. 39.

ralia : id quod consulto et data opera factum est a Legumlatoribus, ut caetera quae sunt consimilis rationis, simul complecterentur. Ut ergo de sensu Legis, non ex prooemio, sed ex corpore statuti, ut loquuntur, responsa petunt Consulti Juris, sic et Juramenti justa interpretatione, non ex praemissa recognitione, aliave ejus praefatione, sed ex ipso quasi corpore Juramenti judicium sumere oportet.

12. Casus Secundus est, quatenus Juramentum sit cum aliqua conditione intelligendum. Respondeo breviter. Primo, si verba contineant conditionem expressam, non obligari Jurantem, nisi praestita prius conditione. Ut si Caius promittat Titio se cras daturum centum, si Titius fundum ipsi hodie dederit, fundo non dato, non tenetur Caius promissione. Secundo, si conditio nulla sit expressa, debere tamen intelligi omnes illas conditiones sive exceptiones quae solent de jure et usu communi subintelligi : nempe, hoc vel illud faciam, ' Si Deus permiserit,' ' Salvo jure alterius,' ' Rebus in eodem statu manentibus,' ' Quoad potero et licebit,' &c. Ut fuit in explicatione secundae Hypotheseos fusius ante dictum.*

13. Casus Tertius est de Intentione remota et proxima. Videtur enim satisfecisse Juramento qui fecerit id quod intendat intentione remota, et ut Finem, etsi non faciat id quod verba ipsa sonant, quae fere continent intentionem proximam solum sive Mediorum. Exempli gratia : si quis Voto, Juramento, vel Promissione reciperet se pauperibus alicujus villae daturum quolibet mense decem solidos, nihil autem daret toto Januario aut Februario, sed Martio demum mense daret triginta solidos. Respondeo, Jurantem, si intenderat obligare se tantum ad substantiam rei, non autem ad ejus rei circumstantiam sive modum, non simpliciter obligari ad illum modum faciendi quem verba insinuare videntur. Unde si exemplo proposito totam trimestrem pensionem exhibuisset primo mense, sine dubio satisfecisset Promissioni. Potest tamen fieri, ut per accidens et ex consequenti obligetur et ad ipsum modum rei : quia unusquisque obligatur, caeteris paribus, et si nihil aliud impediatur, eligere in dubiis id quod est tutius. Ut in exemplo jam allato certe tutius est pensionem eo modo quo promissa est solvere, id est singulis mensibus decem, potius quam tertio mense triginta. Tum ob periculum repentinae mortis et in-

§. 12.
Casus L.
Juramentum sub
conditione.

§. 13.
Casus LI.
De Juramento Intentione remota et proxima.

* See Praelect. ii. §. 10.

certorum eventuum, tum ad vitandum, qui vel ex neglecta circumstantia oriri possent, mentis scrupulos. Suaderem itaque homini pio, ut cujuslibet sui Voti, Juramenti, Pacti, Promissionisque fidem exsolvere studeat, juxta verborum et intentionis suae tenorem, quoad commode fieri potest, etiam in levissimis circumstantiis: ne minutiora ista contemnendo, aut scrupulos sibi creet non necessarios, aut rebus gravioribus contemnendis paulatim et sensim assuescat. Caeterum illud unum utcunque admonitos omnes velim, ut summam et coronidem totius hujus Dissertationis de Juramenti sensu et interpretatione, magnopere ut caveant, ne sibi nimium hac in re indulgeant; neu benigna nimis et laxa interpretatione, dum cupiditatibus suis plus aequo favent, Juramenti religionem minuant, et se Perjurii periculo exponant. Atque haec de Formali Causa dicta sufficiant.

§. 14.
Casus LII.
Quum juratur res licita ob malum finem.

S. Matt. vi.
23.

14. De Finali Causa paucula restant dicenda. Dubium Primum est, quum promittitur res ex se licita, sed aut mala intentione, aut ob malum finem. Dicendum, primo, simpliciter illicitum esse promittere aliquid quantumvis in se licitum, malo fine vel intentione. Ratio est, quia quum quis unus defectus in quolibet actu humano sufficiat ad hoc, ut totus actus sit malus, 'Bonum enim ex causa integra est, malum ex partiali: '* tum praecipue defectus ex parte Finis, ut qui in Moralibus primas tenet partes; quo fere putant id Christi dictum pertinere, *Si oculus tuus fuerit nequam, et totum corpus tenebrosum erit.* Dicendum, secundo, si quis aliquid alteri juraverit ob finem inhonestum, sine conditione tamen turpi ab alio praestanda, obligari ad faciendum Promissum. Ut si quis foeminae polliceretur se ei dono missurum rem aliquam pretiosam, intendens apud se ipsam eo munere ad impudicos amores pellicere, nulla tamen ei palam proposita inhonesta conditione, teneretur Promissionem implere; quod si proponeret ei una conditionem inhonestam, non teneretur Promisso. Ratio utriusque est, quia rem pretiosam licitum est alteri dare, sed dare sub conditione turpi, illicitum. Dicendum, tertio, quod promissum est sub conditione mala, praestita conditione debere adimpleri, si res saltem sit licita. Ut si quis alteri pro adulterio, aut falso testimonio, aut alio quolibet inhonesto vel turpi officio pecuniae summam promiserit, tenetur, ubi alter

* See Sermon ii. ad Clerum, §. 22.

conditionem pactam praestiterit, promissis stare et pactam pecuniam dissolvere. Sic Thamari, nurui sui, obligatum se Judas recte putavit, pactam scortationis mercedem hoedum Gen. xxxviii. 20-23. promissum mittere. Ratio est, quia etsi pactum fuerit illicitum, tamen res pacta non est illicita. Ergo fieri non debuit, sed factum valet. Et ex antedictis satis claret Juramentum illicitum de re licita posse obligare.

15. Dubium Secundum respicit Jurantis Intentionem. Intentionem dico, non eam quae fertur objective in Materiam Juramenti, sive rem promissam, qua quaeritur, quid Jurans intenderit promittere, et quo sensu, et ad quid se obligare; de hac enim Intentione modo actum est, quum de Juramenti sensu et interpretatione disseruimus; sed Intentionem eam intelligo, quae fertur objective in ipsum actum jurandi, qua quaeritur, an intenderit jurare, aut se obligare, vel non. De qua multa disputant subtilius quam utilius Scholastici. Quae ex usu fient ad vitae institutionem pleraque in pauca contraham. Casus itaque primus est, quum quis ex consuetudine quadam jurandi, incogitans verba profundit juratoria, καὶ ὄρκος ἐπ' ἄκροισ ἀεὶ τοῖς χεῖλεσι. Dico, primo, certum esse ejusmodi Jurationem esse grave peccatum. Non solum originaliter, et ratione causae, quia profluit ex habitu quodam pravo; sed etiam formaliter, et ratione ipsius actus; in quantum actus ex natura sua religiosus, temere fit, non *in judicio*, et sine debita Jer. iv. 3. reverentia. Dico, secundo, Juramentum illud, si fuit jurandi actus ex animi praecipitantia prorsus indeliberatus, non obligare; sed si adfuit aliqua animi deliberatio quantumvis exigua, aliquatenus obligare. Ratio utriusque membri assertionis est, quia ut actus aliquis humanus sit obligatorius, requiritur deliberatus animus; et pro mensura deliberationis, assurgit etiam Obligationis mensura.

16. Casus Secundus, quum quis honoris aut urbanitatis gratia, sic enim Casuistae loquuntur, temere jurat in re fortassis levi. Exempli gratia, si quis cum altero contendens, et honoris quasi praerogativam ei deferens, ut saepe fit, juraret se non exiturum domo, non discubiturum ad mensam, non bibiturum, nisi ille alter praeiverit, aut prior discubuerit, aut praeberit. Immo quum saepissime fiat, ut sic contententium uterque idem juret, si ejusmodi Juramenta essent obligatoria, necesse esset e duobus alterum pejerare, quia necesse est alter-

§. 15.
Casus LIII.
An obligetur Jurans non intendens jurare.

Jer. iv. 3.

§. 16.
Casus LIV.
Juramentum Urbanitatis gratia.

certorum eventuum, tum ad vitandum, qui vel ex neglecta circumstantia oriri possent, mentis scrupulos. Suaderem itaque homini pio, ut cujuslibet sui Voti, Juramenti, Pacti, Promissionisque fidem exsolvere studeat, juxta verborum et intentionis suae tenorem, quoad commode fieri potest, etiam in levissimis circumstantiis: ne minutiora ista contemnendo, aut scrupulos sibi creet non necessarios, aut rebus gravioribus contemnendis paulatim et sensim assuescat. Caeterum illud unum utcumque admonitos omnes velim, ut summam et coronidem totius hujus Dissertationis de Juramenti sensu et interpretatione, magnopere ut caveant, ne sibi nimium hac in re indulgeant; neu benigna nimis et laxa interpretatione, dum cupiditatibus suis plus aequo favent, Juramenti religionem minuant, et se Perjurii periculo exponant. Atque haec de Formali Causa dicta sufficiant.

§. 14. 14. De Finali Causa pauca restant dicenda. Dubium
 Casus LII. Quum juratur res licita ob malum finem. Primum est, quum promittitur res ex se licita, sed aut mala intentione, aut ob malum finem. Dicendum, primo, simpliciter illicitum esse promittere aliquid quantumvis in se licitum, malo fine vel intentione. Ratio est, quia quum quivis unus defectus in quolibet actu humano sufficiat ad hoc, ut totus actus sit malus, 'Bonum enim ex causa integra est, malum ex partiali: '*
 tum praecipue defectus ex parte Finis, ut qui in Moralibus primas tenet partes; quo fere putant id Christi dictum pertinere, *Si oculus tuus fuerit nequam, et totum corpus tenebrosum erit.* Dicendum, secundo, si quis aliquid alteri juraverit ob finem inhonestum, sine conditione tamen turpi ab alio praestanda, obligari ad faciendum Promissum. Ut si quis foeminae polliceretur se ei dono missurum rem aliquam pretiosam, intendens apud se ipsam eo munere ad impudicos amores pellicere, nulla tamen ei palam proposita inhonesta conditione, teneretur Promissionem implere; quod si proponeret ei una conditionem inhonestam, non teneretur Promisso. Ratio utriusque est, quia rem pretiosam licitum est alteri dare, sed dare sub conditione turpi, illicitum. Dicendum, tertio, quod promissum est sub conditione mala, praestita conditione debere adimpleri, si res saltem sit licita. Ut si quis alteri pro adulterio, aut falso testimonio, aut alio quolibet inhonesto vel turpi officio pecuniae summam promiserit, tenetur, ubi alter

S. Matt. vi.
23.

* See Sermon ii. ad Clerum, §. 22.

conditionem pactam praestiterit, promissis stare et pactam pecuniam dissolvere. Sic Thamari, nurui sui, obligatum se Judas recte putavit, pactam scortationis mercedem hoedum Gen. xxxviii. 20-23. promissum mittere. Ratio est, quia etsi pactum fuerit illicitum, tamen res pacta non est illicita. Ergo fieri non debuit, sed factum valet. Et ex antedictis satis claret Juramentum illicitum de re licita posse obligare.

15. Dubium Secundum respicit Jurantis Intentionem. Intentionem dico, non eam quae fertur objective in Materiam Juramenti, sive rem promissam, qua quaeritur, quid Jurans intenderit promittere, et quo sensu, et ad quid se obligare; de hac enim Intentione modo actum est, quum de Juramenti sensu et interpretatione disseruimus; sed Intentionem eam intelligo, quae fertur objective in ipsum actum jurandi, qua quaeritur, an intenderit jurare, aut se obligare, vel non. De qua multa disputant subtilius quam utilius Scholastici. Quae ex usu fient ad vitae institutionem pleraque in pauca contraham. Casus itaque primus est, quum quis ex consuetudine quadam jurandi, incogitans verba profundit juratoria, *καὶ ὄρκος ἐπ' ἄκροισ ἀεὶ τοῖς χεῖλεσι*. Dico, primo, certum esse ejusmodi Jurationem esse grave peccatum. Non solum originaliter, et ratione causae, quia profluit ex habitu quodam pravo; sed etiam formaliter, et ratione ipsius actus; in quantum actus ex natura sua religiosus, temere fit, non *in judicio*, et sine debita Jer. iv. 3. reverentia. Dico, secundo, Juramentum illud, si fuit jurandi actus ex animi praecipitantia prorsus indeliberatus, non obligare; sed si adfuit aliqua animi deliberatio quantumvis exigua, aliquatenus obligare. Ratio utriusque membri assertionis est, quia ut actus aliquis humanus sit obligatorius, requiritur deliberatus animus; et pro mensura deliberationis, assurgit etiam Obligationis mensura.

16. Casus Secundus, quum quis honoris aut urbanitatis gratia, sic enim Casuistae loquuntur, temere jurat in re fortassis levi. Exempli gratia, si quis cum altero contendens, et honoris quasi praerogativam ei deferens, ut saepe fit, juraret se non exiturum domo, non discubiturum ad mensam, non bibiturum, nisi ille alter praeiverit, aut prior discubuerit, aut praeberit. Immo quum saepissime fiat, ut sic contententium uterque idem juret, si ejusmodi Juramenta essent obligatoria, necesse esset e duobus alterum pejerare, quia necesse est alter-

utrum id facere, quod uterque juravit se non facturum. Dico, primo, ut supra, Juramentum istiusmodi esse temerarium, et peccato non carere, quia caret iudicio. Secundo, esse tamen obligatorium ex sui natura, nisi forte fuerit actus omnino indeliberatus. Sed, tertio, Obligationem illam aut impediri posse aut tolli, ita ut perjurus non sit qui secus quam juratum est fecerit. Nimirum potest impediri Obligatio, si intelligatur cum tacita conditione sive exceptione, hoc sensu, Si tibi placuerit, vel Si res meo arbitrio permittatur, non ibo nisi tu praeiveris. Potest etiam tolli, quia quum processerit ex respectu quodam ad honorem alterius, potest ille alter suo jure cedere, et tunc cessabit Obligatio: uti, Deo volente, quum de Vinculi Solutione agam plenius ostendam.

§. 17.
Casus LV.
Quum quis
dubius est
juraverit,
necne.

17. Casus Tertius, quum quis dubius est juraverit, necne, an teneatur Juramento? Aliqui putant non obligari, ex illa regula Juris, In dubiis melior est conditio possidentis. Sed quum valeat illa regula in his tantum quae ad Commutativam Justitiam pertinent, ut si Caii haeres dubitet an bona defuncti quae ad ipsum ex testamento devenerunt bene parta fuerint necne, alii, et fortasse rectius, putant obligari, nisi possit dubitationem deponere. Ratio, quia in dubiis eligendum quod tutius; et est certe tutius obligatum se putare quam non obligatum, quia ex illo errore exponit se ad summum non nisi temporali incommodo, ex hoc Perjurii periculo.

§. 18.
Casus LVI.
Jurans non
intendens
se obligare.

18. Casus Quartus, quum quis, volens jurare, non tamen intendit se obligare, an nihilominus obligetur? Scholasticorum et Casuistarum plurimi, praesertim qui ante Cajetanum fuerunt, negant obligari. Et quidem excusat se a Perjurio Cydippe Ovidiana istiusmodi defensione.

Quae jurat mens est: nil conjuravimus illa.^m

At sanior est Cajetani sententia, et qui eum secuti sunt Scholasticorum, deliberate Jurantem, sive intendat se obligare sive non, obligari tamen. Etenim et actus jurandi est ex se obligatorius, et processit ab animo deliberato: ergo necessario sequetur Obligatio, nisi aliunde impediatur. Quum ergo Obligatio ex Jurejurando necessario et naturaliter profluat, non est in potestate hominis eam impedire, vel summovere; nemo enim potest, positis rerum naturis, earum necessarios effectus impe-

^m Ovid. in Ep. Cydip. [ad Acontium 135.]

dire. Annon deberet omnibus ludibrium, qui quum manum et sigillum syngraphae obligatoriae apponeret profiteretur tamen se nullam habere intentionem semet obligandi? Immo illa intentionis suae professione non obstante, annon facto ipso obligaretur tamen? Obligatur pariter et qui jurat ipso jurandi actu, quidquid aut intendit aut se intendere profiteatur, quia intendens causam, intendere praesumitur et ejus causae necessarium effectum.

Atque ita tandem difficilem hanc et diffusam de Juramenti Vinculo Dissertationem, auspice Dei bonitate, comite patientia vestra, per quatuor Causarum genera deductam, ut potui, absolvi: reliquam Tractationis partem, quae de Vinculi Solutione est, propediem, Deo annuente, unica Praelectione complexurus.

PRAELECTIO SEPTIMA.

DE VINCULI JURATORII SOLUTIONE, ET DE JURIS- JURANDI USU ET ABUSU: CONTINENS CASUS QUINQUE, ET CONCLUSIONES TOTIDEM.

§. 1.
In Promis-
sorio Jura-
mento quae
veritas re-
quiratur.

Jer. iv. 2.

VINCULI illius sive ligaminis, quod qui jurat ligat super animam suam, et de quo tam multa hactenus disseruimus, Solutio hodiernum pensum est, et totius propositae Tractationis novissima pars. De qua Solutione, antequam ad species descendatur, duo sunt in genere observanda. Observandum, primo, Vinculi Solutionem peculiarem esse Juramento Promissorio, in Assertorio locum non habere. Omni Juramento, sive Assertorio, sive Promissorio, debet inesse Veritas; sed cum hoc discrimine, quod ad Juramentum Assertorium unica sufficiat veritas de praesenti, quum in Promissorio duplex requiratur; una scilicet de praesenti, altera de futuro. Veritas de praesenti respicit ipsum actum jurandi, et consistit in hoc, ut Jurans quando jurat verum dicat: hoc est, ut mens sit congrua verbis, et ut habeat intentionem servandi id quod promittit. Qui actus jurandi in Promissorio, quoad veritatem et falsitatem omnino convenit cum actu jurandi in Assertorio. Materia enim illius veritatis in utroque actu, quum sit de praesenti, transit in quandam quasi necessitatem immutabilem: in quantum Juramentum, quamprimum praestitum est, statim aut verum fuit aut falsum:^a quam veritatem aut falsitatem, ubi actus ille semel transierit, tam impossibile esse mutari, quam impossibile est id quod factum est infectum fieri posse. Obligatio ergo illa, qua tenetur Jurans de praesenti verum dicere, cadit super ipsum actum jurandi, estque illi actui inseparabiliter conjuncta, et proinde solvi non potest, nec a Juramento separari; et Juramenti Assertorii praeter istam de praesenti nulla

^a Unde Cleanthes dixit, unumquemque eo ipso tempore quo jurat aut εὐορκεῖν aut ἐπιορκεῖν. ap. Sto-

baeum, Serm. 28. [14. i. 441. ed. Gaisford.]

est ulterior Obligatio, quia materia ejus est factum aliquod praeteritum aut praesens. Sed in Promissorio Juramento, cujus Materia est res de futuro praestanda, requiritur etiam veritas altera, de futuro scilicet, quae respicit Materiam Juramenti; et consistit in hoc, ut Jurans quod promisit efficiat esse verum, hoc est, ut adimpleat promissum. Quum igitur Materia Juramenti Promissorii, nempe res de futuro praestanda, propter futurorum eventuum incertitudinem, multiplici mutationi et varietati obnoxia sit, hinc fit, ut Obligatio quae cadit super illam Materiam, et qua tenetur Jurans de futuro Promissum adimplere, mutabilis sit et a Juramento separabilis. Et hoc ipsum est, quod Vinculi Solutionem dicimus. Unde etiam sequitur id quod secundo loco observandum est, scilicet Solutionem Vinculi in Juramento Promissorio non intelligi debere respectu Obligationis illius prioris, quae nascitur ex veritate de praesenti, et est ei cum Juramento Assertorio communis; sed intelligi solum respectu Obligationis posterioris, quae nascitur ex veritate de futuro, et est ipsi propria et peculiaris. Hoc est, Omnis promissorie jurans, ipso facto et vi ipsius actus jurandi, simpliciter et insolubiliter obligatur de praesenti bona fide et animo intendere id postea efficere quod promisit; sed postquam juratum est, multis de causis fieri potest ut non obligetur de futuro illud ad postea implendum quod ante promiserat et intenderat. Verbo sic: perjurus est semper, qui non intendit quod promittit:^b non est semper perjurus, qui non perficit quod promisit.^c

2. Ut autem licite et sine Perjurio aliove peccato non adimpleatur quod promissum est, ex horum altero contingere necesse est, vel quod nulla ab initio fuerit Obligatio, vel quod ea postea, soluto Vinculo, sublata sit. Si res promissa erat quum juraretur aut impossibilis aut illicita, Juramentum ea de re praestitum nullam inducebat Obligationem, neque indiget solutione, sed poenitentia, quando quidem sic jurando etsi admissum sit grave peccatum, nullum tamen vinculum est contractum. Rei enim impossibilis, et rei item illicitae nullam esse Obligationem ante ostendimus. Solutio ergo Vinculi sup-

§. 2.
Solutio
Vinculi
quid sit.

^b πρόθεσιν ἔχων μὴ ἐπιτελεῖν. Cleantes ap. Stobaeum, Serm. 28. [14.]

est quam promittit, in dolo jurat. 22. Qu. 2. cap. Animadvertendum, [Gratian. Decret. Pars ii. Caus. xxii. Quaest. 2. §. 3.]

^c Non omnis, qui aliter facturus

ponit antecedentem Obligationem, eamque postea aliunde sic tolli significat aut saltem impediri, ut qui prius Juramenti Vinculo ita constrictus tenebatur, ut non liceret ei sub poena Perjurii aliter facere quam promiserat, ad Promissum suum adimplendum jam non ultra teneatur. Itaque quod nunc agitur hoc est, ut certam rationem investigemus, qua is qui se Juramenti Vinculo obligavit ad aliquid faciendum, possit esse securus in Conscientia sua se ab eo Vinculo liberari, nec ad illud faciendum quod promisit ultra obligari. Cujus rei quum quinque omnino modi soleant assignari, singuli sunt a nobis suo ordine examinandi.

§. 3.
Casus
LVII.
Juramen-
tum an sit
dispensa-
bile?

3. Primus Casus est de Dispensabilitate Juramenti: An et quatenus Superioris dispensatio ejus Obligationem tollere valeat? Dispensatio autem, ut ea vox communiter accipitur, exemptionem significat alicujus personae a Lege communi factam ex speciali indulgentia ab habente auctoritatem. Ut si quis Legi alicui subditus, Principis beneficio ex speciali gratia ab illius Legis obedientia eximatur; et ut fieri quotidie videmus in Academiis, ubi ex rationabili causa dispensationes solent concedi particularibus personis, ut liceat eis in aliquibus aliter quam statutum est facere. Fundatur autem Dispensationis jus in *ἐπιεικείᾳ* illa, quae postulat ut de rigore Legis nonnunquam aliquid remittatur, ut aequitati sit locus. Quum enim Leges necesse esset verbis generalibus ferri, et ad id respicere quod communiter et plerumque bonum et utile est publico; quod tamen saepius contingere potest esse pro hic et nunc inutile, vel saltem minus bonum, aequum utique visum est, ut ubi observatio ejus quod Lege sancitum est videtur esse alicui privatae personae valde onerosa vel incommoda, et ex ejus omissione publico non multum incommodari, Princeps vel alius legitimus superior potestatem haberet determinandi Legem in eo casu non videri servandam; et hoc est quod dicimus in Lege Dispensare. Quam autem potestatem habent Principes seculares dispensandi in Legibus suis, eandem sibi arrogant Pontifices Romani dispensandi in Votis et Juramentis. Quorum in hoc genere audaciam, dum subditos Regum a fidelitate sua absolvunt, Principum contractus et foedera rescindunt, Votorum et Juramentorum vel arctissima quaeque vincula commutando, relaxando, dispensando, contraria jubendo, aliove artificio pro libitu et utilitate dissolvunt, utinam eorum nonnulli,

qui rectissime damnant, non pessime imitarentur. Sed enim ut alii de facto exerceant, solus interim Papa vindicat sibi quasi de jure debitam hanc dispensandi in Juramentis potestatem. Conquesti sunt graviter hac de re, et in Papalium Dispensationum abusus acriter invecti, etiam ante Lutherum multi, ad quorum scripta remitto istarum rerum studiosos; atque aliquibus argumentis contendo Juramenti Vinculum esse simpliciter indispensabile, ita ut nec Papa nec alius quisquam ullam habeat omnino potestatem cum eo dispensandi. Primo, quia Obligatio Juramenti est de Jure Divino Naturali. Jus autem Naturale non subest foro humano, quum Deus solus sit auctor et Dominus Naturae; nec hactenus potuerit unquam ostendi, Deum ulli hominum generi aut ordini auctoritatem concessisse dispensandi in his quae sunt Juris Naturalis.^d Secundo, quia concessa hac dispensandi potestate, everteretur funditus praecipuus Juramenti finis, qui est assecuratio, ut ita dicam, rei promissae; nullam enim posset habere certitudinem is cui juratur impletum iri quod promissum est, si cum Jurante posset dispensari ne impletet. Tertio, quia Juramentum eodem ipso actu et in eodem instanti, quo Juranti inducit Obligationem servandi Promissionem, acquirit etiam simul ei cui juratur jus ad rem promissam: qui duo effectus Juramenti ita conjuncti sunt, utposito altero vel sublato, alterum quoque necesse sit simul poni vel tolli. Si ergo supponeretur Dispensatione tolli Obligationem Jurantis, sequeretur eadem tolli quoque jus ejus cui juratur. Et inde etiam ulterius sequeretur, Dispensationem illam aut inanem esse aut iniquam: inanem et supervacaneam, si volente eo cui juratur fieret: si invito, iniquam et injustam. Illo enim volente, remitti potest Obligatio, ut mox ostendam, etiam sine Dispensatione; nolenti autem jus suum adimere, injuria est. Quarto, quia in Juramento Promissorio non tantum proximo fit Obligatio, quatenus est Promissorium, sed et Deo, quatenus est Juramentum: ergo, dato sed non concesso, Praelatum habere potestatem tollendi Obligationem, qua homo obligatur homini respectu Promissionis, praesumptio tamen esset non ferenda, si terra et cinis assumeret sibi potestatem tollendi auctoritate sua Obligationem, qua homo obligatur Deo ut testi

^d Et tamen de Papa sic Glossa. *authoritatem.* [Glossa in voc. *Ab-*
Dico quod contra Jus Naturale pot-
est dispensare. ad. 15. qu. 6. cap. *solvimus,* in Decret. part ii. Caus.
xv. Quaest. 6. §. 3.]

et vindici. Quinto, denique, quia Dispensatio humana est res fori externi, Obligatio vero Juramenti est intus in Conscientia, quae uni Deo subest ut Judici, et in quam homo non habet imperium. Quisquis ergo vindicat sibi jus dispensandi in Juramento, assunit sibi potestatem Divinam erigendo sibi tribunal in foro interno, et exercendo dominium in hominum Conscientias. Et est ipsa Dispensatio invalida, et de jure nulla: sicut sententia prolata a Judice in foro non suo, quia prolata est a non Judice, est ad omnem Juris effectum invalida.

§. 4.
Potestas
Papae dis-
pensandi in
Juramentis
examina-
tur.

Opin. 1.

4. Torquent hic se mirum in modum Dispensationum Patroni, ut primi argumenti (quod sibimet unum objicere solent) vim declinare videantur. Sudant nimirum hoc saxum versando, (tuendam enim sibi vident utcumque Papae hac ex parte auctoritatem, ne culinae suae male sit,) nec tamen proficiunt hilum, dum quo se solide tueantur non habent, nec inter ipsos adhuc unquam convenire potuit, quo jure Papa hanc sibi arroget dispensandi potestatem. Quod vel unum malae defensionis conscientiam arguit. Quemadmodum enim in bello suscipiendo, sic et in exercenda potestate, causa quae parum constanter assignatur, facile praesumitur esse parum justa. Sunt imprimis qui potestatem hanc dispensandi in Juramentis et Votis, ab illa absoluta et oecumenica Papae auctoritate arcessunt, qua Mundi Dominus est, et totius Orbis Imperator. Quia enim omnis jurans aut vovens est Papae subditus, propterea, inquirunt, in omni Voto aut Juramento subintelligi debere illam conditionem, ‘si Domino Papae placuerit.’^e Unde sequitur, quamprimum Papa significaverit, id quod dispensando facit, sibi non placere ut ratum sit quod juratum est, Obligationem protinus cessare. Quae sententia si obtineret, posset Papa pro libitu suo Juramenta quaevis rescindere, sive subesset justa aliqua causa, sive non. Rejecta itaque hac crassiore sententia, alii, inque his moderni aliquot Jesuitae, negant Pontificem dispensare posse in Juramentis, aut Regum contractus dissolvere; neque id ab eo fieri, proprie loquendo; tollendo scilicet Obligationem, aut, stante Obligatione, ab ea eximendo privatam aliquam personam; sed dicunt eum dispensare improprie tantum,^f declarando scilicet Juramentum in eo casu non obligare,

Opin. 2.

^e Richard in 4. Distinct. 38. art. 9. quaest. 1. ibid. Sayr. Clavis Regia Sacerdotum, Reg. vi. 11. num. 8.

^f Bonaventura, Paludanus, Antoninus, &c. apud Sayr. ubi supra, num. 9.

propter aliquod bonum quod impediretur, aut malum quod sequeretur, si Juramentum illud servaretur. Sed contra, praeterquam quod res ipsa clamat, Papam hac in re potestatem exercere plusquam declaratoriam, aut, quod tantundem est, sub declaratoriae potestatis obtentu posse eum de Foederibus, Votis, Juramentis et Contractibus Regum et aliorum quorumcunque pro suo arbitrio statuere, quum sit ipse in hoc casu supremus ac solitarius Judex, cujus sententiae omnino stari oporteat sine aliqua appellatione. Vel, primo, aperte causa justa est, cur non debeat res Juramento promissa praestari, ut si sit impossibilis, turpis, inhonesta, vel quovis modo illicita; et tunc potest Jurans propria auctoritate, immo vero tenetur retractare quod juravit, non expectata Papae vel alterius cujusquam Dispensatione; ubi enim nulla est Obligatio, Conscientia libera est, nec Dispensatione opus est. Vel, secundo, aut nulla apparet justa causa cur non servetur fides Juramento data; et tunc omnino servanda est; et peccat quisquis Dispensationem aut petit aut concedit, quia manet Obligatio quae humana auctoritate tolli nec potest nec debet. Vel, denique, dubia res est, nec satis constat propter aliquas difficultates ex utraque parte utrum Jurans teneatur adimplere quod promisit; et tunc quidem utile erit viros Divini Juris peritos, prudentes et pios consulere, et ex ipsorum sententia quid facto est usus statuere. Qua in re, quum peritia magis quam potestate constet, cur potiores sint Papae quam alterius cujusquam partes non intelligo, nisi certum esset Papam caeteros pietate et prudentia anteire: quod non est credibile, certe non est necessarium. Alii, tertio, declaratoria hac Dispensatione non contenti, Opin. 3. ut quae Pontificiam potestatem nimium imminuat, responsionem excogitarunt mirae subtilitatis, nempe Praelati Dispensatione re vera tolli Juramenti Obligationem, quae est Juris Divini Naturalis; non tamen propterea dicendum, Praelatum dispensare in Jure Divino et Naturali. Quia inquirunt, Lex illa Naturae Divina est, ut Juramentum quamdiu vis ejus et obligatio manet servetur; et cum hac Lege Praelatus non dispensat, sed per Dispensationem suam tollit illam Juramenti vim, qua Jurantem ante Dispensationem vere obligavit. Sed haec subtilitas si ad vivum reseccetur, aut mera nugatio est et

nihil dicit, aut implicat contradictionem; et eam etiam refellit Jesuita Azorius,^h qui tamen et ipso eo nomine Sayro Monachoⁱ vapulat. Sic isti Cadmei fratres, dum se mutuis ictibus conficiunt, nec certam defensionis suae rationem afferre valent, causam quam tuendam susceperunt defendi non posse reipsa confitentur. Concludo itaque nec Papae, nec Principi, nec Synodo, nec Senatui, nec ulli Praelato vel Ecclesiastico vel Seculari jus esse in Foederibus, Contractibus, aut Juramentis dispensandi, aut quemquam a Vinculo quo ante factam Dispensationem obstrictus tenebatur absolvendi.

§. 5.
Causa
LVIII.
Juramentum an possit commutari?

5. Isti de Dispensatione quaestioni primae proxima est ei affinis de Juramenti Commutatione quaestio, sive Casus Secundus. Est autem Commutatio, ut ipsum nomen indicat, nihil aliud quam translatio Obligationis ab una materia ad aliam, quae, sive major, sive minor, sive aequivalens, videtur esse aliquo respectu commodior. Differt autem Commutatio a Dispensatione quodammodo sicut species a suo genere, vel pars a suo toto. Si enim sufficeret ad solvendum Vinculum tam una quam altera, solveretur et Vinculum ex toto per Dispensationem, per Commutationem vero ex parte solum. Summa doctrinae Casuistarum de Commutatione fere haec est. Primo, posse privatum quemvis sua auctoritate sine Superioris Dispensatione commutare Votum aut Juramentum in id quod est evidenter melius. Quod confirmant exemplo ipsius Dei, qui promissa sua temporalia non semper implet ad literam, sed saepe ea commutat in melius; et adducunt in hanc sententiam dictum Gregorii,* ‘Propositum aut Promissum non infringit, qui in melius id [illud] commutat.’ Secundo, non posse commutari Promissum in id quod est evidenter pejus, aut de quo dubium est an sit melius, sine auctoritate Superioris, qui habet legitimam potestatem in ea parte judicandi et determinandi. Tertio, Commutatione omnino tolli Obligationem praeexistentem a materia priori, et induci de novo Obligationem in materia diversa. Sed tota ista doctrina falso nititur fundamento, Dispensabilitate scilicet Juramenti, quae quum nulla sit, ut modo probavimus, ruat necesse est haec ei superstructa Commutatio. Dico ergo breviter, non posse remitti vel solvi Jura-

^h Instit. Moral. Part. i. Lib. vi. cap. i. Dub. 4. [tom. i. col. 775. Paris. 1602.]

ⁱ Sayr. Clav. Reg. vi. 11. num. 12.
* Gregor. IX. Decret. lib. ii. tit. xxiv. cap. 3.

menti Vinculum, aut ex toto per Dispensationem, aut ex parte per Commutationem, sine consensu omnium partium. Praecipue autem requiritur consensus ejus cui juratur, quia ei jus acquiritur quod sine ipsius consensu non debet ei surripi. Exemplum autem a Deo sumptum non est simile, quia Promissiones Dei, ut sunt omnes gratuitae, ita temporales sunt etiam conditionales, et intelligendae cum exceptione Crucis,* et beneplaciti sui, et utilitatis nostrae. Nec vero est Voti et Juramenti, respectu Commutationis, ratio per omnia similis. Votum enim quum soli Deo nuncupetur, poterit fortasse voti aliqua licentia concedi permutandi id ipsum in illud quod sit evidenter melius et Deo gratius, quum nulla fiat ista permutazione injuria alicui tertiae personae; at in Juramento, quod homini factum est, fieret illi homini injuria,^k si absque ejus consensu et praeter ipsius voluntatem in aliud commutaretur. Ut si Caius, juratus solvere Titio decem libras, daret ei equum decem librarum pretio aestimatum, non censendus esset satisfacisse Juramento. Iniquum enim ut quis cogatur rem sibi debitam commutare invitus. Neutro ergo istorum modorum solvi potest Juramenti Vinculum, aut Obligatio tolli.

6. Sed posse videtur reliquis qui supersunt tribus modis: Irritatione scilicet Superioris, Cessatione Materiae, et Relaxatione Partis. Casus ergo Tertius est de Solutione Vinculi per Irritationem a Superiore factam. Significat autem Irritatio, sic enim, barbare licet, cum Casuistis loquendum est, actum legitimi Superioris, quo auctoritate sua irritum facit sive annullat Juramentum a subdito sine ipsius consensu praestitum. Rescindere enim posse legitimum Superiorem Vota et Juramenta eorum qui sub ipsorum sunt potestate, et non sui juris, fuse docet hoc ipso capite Moses: uti nos ubi de Causa Efficiente egimus ante ostendimus.¹ Ratio est quia is qui alienae potestati subest non est sui juris, non habet potestatem se obligandi in iis rebus in quibus subest, nisi ex voluntate Superioris cui subest, et proinde non debet aliquo actu suo inducere sibi Obligationem sine illius consensu, vel expresso, vel rationabiliter praesumpto. Jura enim Praelatorum in subditos, ex Lege Dei immota et aeterna, perpetua sunt. Officia insuper sub-

§. 6.
Casus LIX.
Juramentum subditi Praelatus potest irritum reddere.

Num. xxx.

* See Sermon ii. ad Aulam, §. 28. Reg. Jur. [Digest. Lib. ii. Tit. xvii.
^k Nemo potest mutare consilium Lex 75.]
in alterius injuriam. De Divers. ¹ Praelect. iv. num. 5.

ditorum erga Praelatos, obsequiique jus et subjectionis, ex eadem perpetua Lege, perpetua sunt et indispensabiliter obligatoria. Quae Obligatio antecedens, ex tertia nostra Hypothesi, impedit effectum Juramenti subsequenter, ne possit obligare; semper enim Obligatio prior praejudicat posteriori; et irritum facit omnem actum inductivum novae Obligationis sibi contrariae. Dicendum ergo in hoc Casu, primo, non debere subditum in iis rebus in quibus alteri subest, jurare se facturum quiddam, absque praesumpto saltem Superioris sui consensu. Secundo, si juraverit et res sit licita, obligari ad faciendum quamdiu non videtur id esse contra voluntatem, dignitatem, aut utilitatem Superioris. Tertio, Superiorem, si expresso consensu suo, sive antecedente sive subsequente, Promissionem subditi semel confirmaverit, non posse eandem postea irritam facere, aut Obligationem ejus tollere.^m Quarto, si Superior quamprimum rem rescierit, statim dissentum suum palam et peremptorie subdito significaverit, prohibueritque id in quod juratum est fieri, cessare continuo Obligationem illam Juramenti transitoriam, et subditum, vi Obligationis officii quae permanens est et perpetua, teneri contra quam juraverat facere.* Unde si quis, alienae potestati subditus, puta Domini aut Patris aut Principis, vel sponte sua, vel vi et metu adductus, aliquod forte Juramentum praestaret, in quo Dominum, Patrem, aut Principem si adesset, non fuisse consensurum crederet, jurando peccavit contra officium debitum, et omnino tenetur illud Juramentum, ut officio suo contrarium, non servare. Stet ergo solvi Vinculum Juramenti ex irritatione legitimi Superioris.

§. 7.
Casus LX.
Juramenti
materia
cessante,
cessat et
Obligatio.

7. Casus quartus est de Solutione Vinculi per cessationem materiae, aut mutationem aliquam notabilem factam circa causam Juramenti principalem. Tunc enim cessasse materiam censendum est, quum rerum status inter tempus jurandi et tempus adimplendi ita immutatus est, ut si quo tempore jurabatur praevideri potuisset is qui postea insecutus est rerum status, non omnino juratum fuisset.† Respondetur breviter,

^m Quod semel placuit, amplius displicere non potest. 21. Reg. Jur. in 6. [Bonifac. VIII. De Regulis Juris. Reg. xxi.]

* This passage is quoted and applied by Johnston, in his work, The

King's Visitatorial Power asserted &c. p. 296. See above, p. 265.

† A Copy of the first Edition of these Lectures, 1647, in the Library which Dr. Richard Allestree left to his successors in the Regius Pro-

cessante, Juramenti, Voti, aut Promissionis materia, cessare simul ejusdem et Obligationem, quemadmodum in naturalibus et artificialibus, deficiente materia, deficere necesse est et actionem agentis. Nec enim potest ignis urere, si desit materia combustibilis; nec faber, ni adsint ligna, scamnum facere. Si quis ergo miles juret obsequium belli Imperatori, finito demum bello, quum ipse desierit esse Imperator, non ultra tenetur ex Juramento obsequium ei praestare. Et si pater aliquis juraret, se testamentum in quo filium instituisset haeredem, nunquam mutaturum, comperto tamen postea filium haeredem institutum patri venenum miscuisse, pater non ultra tenetur Juramento, sed eo non obstante poterit mutato testamento alium haeredem instituere. Idem dicendum est, quum quis juravit statuta alicujus Collegii sive Communitatis sibi praelecta observare, si postea contigerit ea Statuta revocari vel abrogari, jurans absolvitur a Vinculo illius Juramenti. Ratio est, quia radice Obligationis sublata, tollitur una pullulans inde Obligatio; fuit autem Materia illa quae causam dedit Jurationi radix ejus Obligationis quae ex illa Juratione insecuta est. Juramentum enim sequitur naturam et conditionem actus cui adjungitur,ⁿ id est, Materiae circa quam versatur, sicut accessorium sequitur naturam sui principalis;^o et quae accessorium locum obtinent, inquit Jurisconsulti, exstinguuntur, quum principales res peremptae fuerint.

8. Casus ultimus est, de Solutione Vinculi per Relaxationem Partis, ejus scilicet cui juratum est: ut si Caius Titio aliquid promiserit, an, remittente Titio Obligationem, Caius promissum religione exsolutus sit? Ubi imprimis observandum, hunc loquendi modum, 'remittere Juramentum,' et alium ei consimilem, 'Juramenti gratiam facere,' apud bonos Auctores non uno semper sensu accipi. Sumuntur enim interdum cum relatione ad Juramentum praestandum; et sic is dicitur alteri remittere Juramentum, vel Juramenti gratiam facere, qui, quum alter ille paratus est jurare, contentus voluntate non postulat

§. 8.
Casus LXI.
Relevari
potest juramentum ab
eo cui factum est.

fessorship of Divinity, has this marginal note in his handwriting: 'in Juramentis voluntariis, et idem volo ac si dixissem, non oportuerat jurasse. "Si certe praevidisset voluntarie jurans, non jurasse obligatus fuerat ex justitia." Sicut haec ex-

plicat Dr Sand[erson] literis datis ad Dr Ham[mond] de hac re. 11 Julii 1650.'

ⁿ 42. Reg. Jur. in Sexto. [Bonifac. VIII. De Regulis Juris. Reg. xxi.]

^o l. 2. ff. de Pecul. Legat. [Digest. Lib. xxviii. Tit. vii.]

ab eo Juramentum, sed injurato credit, vel alia quacun- que de causa Jusjurandum ab eo, a quo exigendi jus habet, non exigit. Plerumque tamen sumuntur cum relatione ad Juramentum praestitum; et sic is dicitur alteri remittere vel gratiam facere, qui ei id quod promissum est condonat, nec rem virtute Juramenti debitam, quum exigendi jus habeat, exigit. Sic de Tiberio Suetonius: ‘Equiti Romano Jurisjurandi gratiam fecit ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret,’^p quam se antea nunquam repudiaturum juraverat. Et Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt ‘gratiam se facere Jurisjurandi ei qui juraverat se Ordini non interfuturum, et postea Duumvir creatus est.’^q Et haec est illa remissio sive gratia Juramenti, quam Relaxationem vocant Casuistae. De qua dico, primum, Relaxationem istam in Juramentis, Foederibus, Pactis, aliisque Contractibus humanis locum habere, non item in Votis. Ratio discriminis est, quia Vota Deo fiunt ut parti; ab homine autem ea sola relaxari fas est, quae homini facta sunt. Dico, secundo, si juretur in gratiam alterius, id est, per respectum ad honorem, obsequium, utilitatem, aliudve ejus bonum vel commodum, Juramentum non obligare, nisi is in cujus gratiam juratur id gratum ratumque habuerit. Sicut juris nostratis interpretatione, non obligat Caium ad solvendum Titio centum Chirographum, etsi Caii manu subscriptum sigilloque firmatum, nisi id Caius Titio tradiderit, Titiusque aut alius ejus nomine et vice sic traditum acceperit. Dico, tertio, Juramentum sic praestitum, si is cui juratur ratum habuerit et velit servari, non posse ab alia quacun- que tertia persona relaxari.^r Ratio est, quia nemo potest jus alteri acquisitum, nisi ipse consenserit, adimere. Unde sequitur quod ante diximus, per dispensationem tertiae personae non tolli Obligationem Juramenti, absque consensu partium. Dico, quarto, si is cui juratum est, remiserit Jusjurandum et nolit servari, Jurantem Obligatione protinus solvi, nec in Conscientia teneri id facere quod se ante facturum juraverat. Ergo Caius Titio jurans solvere centum, si postea Titius ei debitum remiserit, non ultra tenetur Juramento. Ratio est, quia potest quilibet suo jure cedere, et rem sibi

^p Sueton. in Tiber. cap. 35.
^q L. 38. ff. ad municipal. [Digest. Lib. ii. Tit. i. Lex 38. §. 1.]

ter alios actum est. l. 10. ff. de Jurjur. [Digest. Lib. xii. Tit. ii. Lex 10.]

^r Non debet alii nocere, quod in-

debitam condonare. Debito autem soluto, cessare ipso facto Obligationem necesse est,^s quum terminus Obligationis sit debiti solutio, ut ex Obligationis definitione patuit: sicut apud nos, ex ipsa formula syngraphae obligatoriae constat, soluta pecunia Obligationem solvi. Si dicas debitum hic non solvi, quia Promissum non impletur, respondeo, ad omnem juris effectum perinde esse sive realiter impleatur, sive ab eo cuja interest pro impleto habeatur. Ratio est, quia acceptatio ejus cuja interest, est interpretative acceptio rei; atque ita, cessante quasi materia, cessat Obligatio, eadem fere ratione qua in proximo antecedente casu dictum est. Et hoc ipsum est quod Acceptilationem^t Juris-Consulti vocant, per quam (civilem licet solutionem, et non veram) non minus tamen Obligationem tolli docent quam per veram solutionem. Si iterum dicas, ut relaxatione tolli possit Obligatio homini facta, videri tamen Obligationem Deo factam non ita, sicut ante responsum est casu Juramenti metu extorti, respondeo, ex relaxato eo quo jam dictum est modo vinculo nullam fieri Deo injuriam, sicut fit in violatione Juramenti coacti: quia Promissio facta praecise in favorem alterius, in Deum dirigitur solum, ut testem Promissionis homini factae, et vindicem violatae ejus fidei quae alteri astringitur: quam fidem quum non violarit, sed Promissioni satisfecerit, omni prorsus Obligatione solutus est, et apud Deum et apud hominem. Dico, quinto, Solutionem Vinculi quae fit per relaxationem partis, eousque extendi quo parti relaxanti placuerit: ut si Caius Titio juraverit solvere centum, Titius autem ei postea quinquaginta remiserit, solvitur Obligatio ex parte tantum, non ex toto.^u Tollitur scilicet Vinculum quoad quinquaginta remissos, manet quoad quinquaginta non remissos. Rursum, si Caius Titio juraverit solvere centum infra viginti dies, Titius autem, videns Caium non posse constituto die sine aliquo suo incommodo pecuniam solvere, concedat ei adhuc viginti dies alios, Relaxatio haec, quae fit per dilationem sive prorogationem temporis, eatenus solvit Juramenti Vinculum, ut

^s Tollitur omnis Obligatio solutione ejus quod debetur. l. 1. Instit. quibus modis toll. Oblig. [Justinian. Instit. Imper. Lib. iii. Tit. xxx. Lex 1.]

^t Est acceptilatio imaginaria solu-

tio. ibid. v. tit. de Acceptil. ff. 46. 5. et l. 1. Instit. iii. 30. [or Digest. lib. xvi. Tit. iv.]

^u In parte debiti acceptilatio fieri potest. l. 1. Instit. iii. 30.

non teneatur pecunias solvere prout initio júraverat intra dies viginti; tenetur tamen, idque ex primi Juramenti Vinculo intra dies quadraginta easdem solvere. Dico, sexto, Relaxationem partis valere ad Vinculum Juramenti solvendum, quantum ipsius interest; non tamen valere in praejudicium tertiae personae. Ratio est, quia potest quilibet per actum suum de jure proprio quantum vult remittere; sed non potest quisquam de alieno jure quidquam demere, ipso vel inconsulto vel invito. Debet itaque unusquisque sic cedere jure suo, ut salvum sit interim alteri cuique jus suum. Sic Abraham de bonis jure belli acquisitis post reportatam de quatuor Regibus victoriam, Gen. xiv, jure suo cessit, quum suam praedae partem Regi Sodomorum universam condonavit; reservata tamen tribus Ducibus belli sociis quae eis obtigisset justa portione.* Unde Caius, juratus solvere Titio et Julio centum, si Titius ei suam partem debiti condonet, solutus est Juramenti Vinculo, quoad illam partem quae Titio debebatur; manet tamen Obligatio quoad partem Julio debitam. Ex eodem fundamento fit, ut relaxatio partium ex consensu nihil efficiat in Contractu Sponsaliorum. Quia ibi non utilitas tantum hominis spectatur, sed et Institutum Dei, cui magna fieret injuria, si Contractus ille etsi ex communi contrahentium consensu violaretur. Quia virtus illa et efficacia quam habet haec de qua nunc agitur relaxatio ad tollendam Obligationem, supponit actum illum qui Obligationem induxerat non spectavisse ad aliud aliquid, praeter bonum et commodum partis relaxantis tantum. Si alterius cujusquam intersit ex aliquo suo jure Obligationem non solvi, Obligatio non solvitur.

Gen. xiv.
22-24.

§. 9.

9. Eorum igitur quae de Vinculi Juramentorii Solutione hactenus dicta sunt, breviter haec summa est. Nec Dispensatione alicujus Superioris nec ulla Commutatione solvi posse Juramenti Vinculum, quin ut Jurans adhuc in Conscientia sua obligatus maneat adimplere id quod promisit. Sed posse tamen id Vinculum aut rescindi et irritum reddi auctoritate Superioris legitimam potestatem habentis, aut deficiente materia cessare, aut ab eo cui Promissio facta est relaxari, ita ut obligandi vim penitus amittat. Absoluta jam tandem, Deo auspice, pro modulo tenuitatis meae, qua potui brevitate, perspicuitate, fide,

* Compare De Obligatione Conscientiae. Praelect. v. §. 20.

promissa quum hoc publicae Professionis munus auspicarer tractatione, Coronidis loco, monita quaedam pauca, velut Corollaria, quae nobis ad vitae conscientiaeque institutionem ex usu esse poterunt, de Juramentorum Usu et Abusu, attexenda duxi. Idque non per modum paraeneseos, ut solent oratores sacri in concionibus ad populum, sed memores nos in Schola docere, non Ecclesia, per theses quasdam sive Conclusiones Practicas breviter propositas et dilucide explicatas.

10. Conclusio Prima, et est contra Anabaptistas et Soci- §. 10.
nianos, Juramenti Usus est licitus. Probatur, primo, ex usu Non est il-
Veteris Testamenti. Jurabant pii Patriarchae: Jure-jurando licitum ju-
terminari controversias instituit in Lege Moses: conditiones in rare.
jurando observandas praescripserunt Prophetae. Neque potest Gen. xiv.
reddi justa aliqua ratio, cur piis sub Veteri Testamento jurare 22; et xxvi.
licuerit, fidelibus sub Novo non item liceat: quum non pertin- 31; et xxxi.
uisse Jusjurandum ad Legem Caerimoniarum per Christum ab- 53.
rogandam et ex ejus fine patet, cujus est perpetuus usus, et ex Exod. xxii.
forma, quae nihil videtur habere cum typo commune. Secundo, 11.
ab exemplis Dei, Angelorum, Apostolorum; quorum illi *ἀνθρω-* Jer. iv. 2.
ποπαθῶς, hi historice et *κατὰ ῥητόν* in Sacra Scriptura saepe Gen. xxii.
jurantes inducuntur. Tertio, a consuetudine omnium populo- 16.
rum; qui ductu Luminis Naturae ad fidem firmandam in civilis Ps. cx. 4.
societatis commoditatem Jurisjurandi religionem adhibendam Heb. vi. 4.
censuerunt: quo nullum potest esse Legis Naturalis indicium vii.
certius. Quarto, a fine Juramenti, quae est confirmatio fidei Dan. xii. 7.
in rebus dubiis, ubi aliae probationes deficiunt. Qui finis quum Apoc. x. 6.
sit necessarius ad tollendas et terminandas lites, media ad Rom. i. 9;
illum finem necessaria, necesse est ut sint saltem licita. Quinto, et ix. 1.
a natura Juramenti, nihil in se continentis quod sit intrinsece
malum. Neque enim malum est Actus Religiosus; neque
malum est rei dubiae confirmatio; neque malum est Divini
Testimonii advocatio: ex quibus quasi membris integratur Ju-
ramenti Essentialis Definitio.

11. Conclusio Secunda. Juramenti Usus in sermone quoti- §. 11.
diano non est licitus. Probatur, primo, a natura Juramenti. Jurandi in
Quia Actus omnis Religiosus, quum sit pars Cultus Dei, debet sermone
praestari cum debita reverentia, et cum aliqua animi cum prae- quotidiano
paratione tum attentione: quae omnia abesse necesse est, quum Cacoethes.
temere adhibentur et sine judicio, vel incautis et incogitantibus

excidunt verba juratoria. Secundo, a fine Juramenti, quae est rei dubiae confirmatio. Quum in sermone quotidiano de rebus fere levibus colloquia ferantur, quae aut non sunt dubia, aut non tanti ut egeant religiosa confirmatione. Aut si tanti essent, non multo confirmator esset fides apud eos quicum agitur ex ejus hominis Juramento,^x qui temere et multum^y jurat: cujus fere ea est apud plurimos existimatio, ut ei vel injurato credatur, si putetur vera dixisse, vel jurato non credatur, si putetur falsa. Tertio, a causa unde promanant ejusmodi Juramenta. Quae vel est vitiosus habitus, ex longo usu et pessima consuetudine contractus, cujusmodi habitus cordis profani, et tantum non athei, fructus et indicium est; vel effraenis aliqua animi perturbatio, velut impotentis irac, aut intemperantis laetitiae, quibus dum calent animi, facile dispumant in contumeliam Dei. Quo mihi videntur quasi peculiariter respicere verba illa Jacobi, cap. v. vers. 12. *Ante omnia, inquit, nolite jurare, neque per coelum, neque per terram, &c.* Hortans nempe erat fideles ad ferendum patienter injurias versibus aliquot immediate praecedentibus; et versu sequente docet quibus se rebus exercere deceat hominem Christianum, sive doleat, sive laetetur. Locus sane dignus, in quo explicando docti viri sese exercent, et cujus scopus et vis ex verborum serie, aliquanto quam ab Interpretibus factum est, accuratius investigetur. Poterit fortassis obiter id hanc rem aliquid compendii afferri ex ista qualicumque verborum, ut mihi sonare videntur, paraphrasi. ‘Ponite vobis ante oculos veterum Prophetarum et piorum exempla. Si quid mali patimini, eorum sequimini patientiam. Si illud assequi non potestis, *πρὸ πάντων δέ*, at illud saltem, quod, nisi negligentissimi esse velitis, facillime caveri potest, ante omnia cavete, ne aut doloris nimium impatientes, aut e contra nimium effusi in laetitiam, temere jurando aliquid faciatis Christiano nomine indignum, et in Dei Majestatem contumeliosum. Quin continete vosmet, sive commotiores, sive hilares, intra debitos modestiae fines, nec coelum

^x Οὐκ ἀνδρός ὄρκος πίστις, ἀλλ’ ὄρκων ἀνὴρ. Aeschylus apud Stobaeum, Serm. 27. [i. 435. ed. Gaisford.]

^y Σωρηδόν. Philo. [De Specialibus Legibus, ii. 271. ed. Mangey.]

Νῦν δ’ ὑπὸ τῆς ἄγαν ἀσεβείας περὶ ὧν ἂν τύχη, τὰς φρικωδεστάτας ὀνομάζουσι κλήσεις, καὶ ἄλλ’ ἐπ’ ἄλλοις ἐπιφέροντες ὀνόματα σωρηδόν, οὐκ ἐρυθριῶσι.]

terrae miscete, nec omnia clamoribus et jurationibus implete ; sed tranquillo animo si quid affirmandum sit, nude et simpliciter affirmate, si quid negandum, nude et simpliciter negate. At si vos porro stimulet acrior ex utraque parte animi impetus, non ferentis se intra pectoris angustias concludi, sed aliqua exire gestientis, vestrae erit prudentiae, animi illum ardorem in honorem Dei convertere. Qua tandem arte quaeritis ? dicam. *Angitur animi quis vestrum ?*^z non ex impatientia prorumpat statim in juramenta et blasphemias, quod ira aestuantibus proclive est ; sed oret potius et precetur Deum, ut quoad illa mala auferantur, det sibi patientiam. E contra, *animo quis est laeto et hilari ?*^a ne sic quidem in Juramenta, qui Bacchantium mos est, ora solvat ; sed Hymnos potius et Psalmos in laudem Dei moduletur, qui tam laetos ipsi dies concessit. Si quis Apostoli verba simplicius intelligi malit, utatur suo iudicio. Exposui tantum quod mihi videtur non improbabile : nemini legem dico. Sed ut redeam ad institutum cursum, si tamen digressus sum, illud interim certum est Jacobi verba jurandi illud cacoethes, quod apud omnes et summae et abjectissimae sortis homines passim jamdiu inveteravit, omnino damnare. Multas implerem paginas, si quae in piorum Patrum et veterum ex omni gente Doctorum, Hebraeorum, Graecorum, Latinorum, immo et hominum etiam Ethnicorum scriptis adversus hanc impiam consuetudinem occurrunt, in unum congererem. Accipite e plurimis unum et alterum. Ex Hebraeis sapientissimum virum Siracidem : *Ne assuesce os tuum ad jurandum.* Sirac. xxiii. *Sicut servus continuo verberatus non caret livore, sic qui Dei*⁹⁻¹³ *Nomen crebro in os suum assumit, non erit purus a peccato. Et vir πολύορκος implebitur iniquitate.* E Graecis Eusebium Philosophum Gentilem : ‘ Multi,’ inquit, ‘ hortantur homines, τὸ εὐόρκους εἶναι, id est, ut verum jurent ; ego autem existimo καὶ τὸ ἀρχὴν μηδ’ ἐνπετέως ὀμνύναι, ut ne quidem omnino facile jurent.’^b E Latinis Augustinum : ‘ Jurationem cave quantum potes. Melius quippe nec verum juratur. Non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare : quo citius cadit, qui consuevit jurare.’^c Et alibi,

^z Κακοπαθεῖ τις ;

^a Εὐθυμεῖ τις ;

^b Apud Stobaeum, Serm. 37.

^c Melius, &c. juratur, [quum ju-

randi consuetudine, et in perjurium saepe caditur, et semper perjurio propinquatur.] Lib. i. de Serm. Dom. in monte. [Epist. 157. 40. ed. Ben.]

‘falsa juratio exitiosa : etiam vera periculosa.’^d Sed quid opus est aliunde testimoniis? quum prohibita sit quotidiana haec et non necessaria juratio, ita ut vix aliud quidquam in Sacris Literis disertius, et ab ipso Christo, *μηδ’ ὅλως*, *Ego autem dico vobis, Ne jurate omnino*; et ab ejus Apostolo B. Jacobo loco jam citato *πρὸ πάντων δέ, Ante omnia ne jurate*.

§. 12.
Non est jurandum sine necessitate.

12. Conclusio Tertia. Nisi ex causa justa, gravi, et necessaria non est jurandum. Est Juramentum ex eo rerum genere, quae nec per se sunt malae, quales sunt actus furti, homicidii, sacrilegii, perjurii, et omnium vitiorum; nec per se expetendae, quales sunt actus charitatis, justitiae, obedientiae, et omnium virtutum; sed quae eo tantum bonae sunt, quia necessariae,^e ex hypothesi, scilicet finis, nec expetendae nisi in ordine ad illum finem; qualia sunt omnia illa quae ordinata sunt ad subveniendum alicui defectui, ut Medicina. Ut enim pharmacum non propter se repertum est, sed propter sanitatem, nec ullus esset ejus usus, nisi essent humana corpora morbis obnoxia, (*Honora medicum propter necessitatem*.) sic Juramentum institutum est ad fidem inter homines firmandam; nec ullus esset ejus usus, si non esset gens humana ignorantiae et perfidiae heu nimis obnoxia: quo fortasse spectant illa Christi verba *ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστίν*. Ergo sicut vitandus est medicinae usus, ubi ad vitae conservationem et valetudinem tuendam non videtur esse quodammodo necessaria, sic et Juramentum vitandum, ubi conservandae humanae societatis necessitas,^f veritatis manifestatio, et fidei confirmatio, non videntur ipsius usum aliquo modo efflagitare. Salutare monitum est illud Epicteti,^g ut illius Stoici omnia, *Ὅρκον παραίτησαι, εἰ μὲν οἶόν τε, εἰς ἅπαν· εἰ δὲ μὴ, ἐκ τῶν ἐνόητων*: ‘Jusjurandum devita, si possibile est, omnino: si

Sirac.
xxxviii. 1.

S. Matt. v.
37.

^d In Psal. [? Serm. clxxx. de Verbis Apostoli Jacobi, cap. 5. ‘Falsa juratio exitiosa est: vera juratio periculosa est: nulla juratio secura est.’ tom. v. col. 861 D. ed. Ben.]

^e Non in bonis, id est per se expetendis, sed in necessariis Jurationem habendam. Augustin. 1. de serm. 30. [de Sermone Domini in monte. i. 17. 51. tom. iii. par. 2. col. 187 F. ed. Ben. Paris. 1680. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refragnet se quantum

potest, ut non ea utatur, nisi necessitate, quum videt pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur.]

^f [Frequens illud est, nec magno opere captandum, quod petitur a jurando: ut pro exhaeredato, ‘Ita mihi contingat haerede filio mori.’ Nam et] in totum jurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit. Quintil. Instit. ix. 2. 98.

^g In Enchirid. [33. 5. ed. Schweighaeuser.]

non, saltem quantum potes.' Sancta res est Juramentum; sed quo sanctior, eo periculosior, si indebite adhibeatur. Sicut pharmacum, quo majoris est efficaciae et virtutis, eo magis corpori nocet, si temere et imperite sumatur. Juramenti Assertorii in Republica necessarius usus est, in publicis praesertim judiciis, ad veritatem eruendam circa facta particularia; quo pertinent Juramenta testium, calumniae, purgationis, &c. Extra judicium et in rebus privatis usus ejus rarior est; potest tamen quandoque esse necessarius, ubi scilicet multum interest ut ei quod assertorie dicitur fides habeatur, et asserenti nisi juret non crederetur. Juramenti Promissorii in judiciis usus nullus; at extra judicium plurimus, cum publicus tum privatus. Publicus imprimis ad continendum subditos in fidelitate sua erga Principes; ad firmandum foedera et contractus Regum et Rerumpublicarum; ad servandum Leges et Statuta, et consequenter honorem, ordinem, et pacem Collegiorum et Societatum; ad publica munera fideliter administranda; atque id genus alia. Ad privatos etiam contractus confirmandos, ut de praestatione rei inter emptorem et venditorem, de solvendo debito, de deposito reddendo, de mutuo, commodo, fideicommisso, &c, Juramentum a Veteribus frequentissime adhibitum est. Sed in negotiis privatis plerisque aliae iniri possunt rationes, minore cum Conscientiae scrupulo, et fortassis efficaciores ad cavendam improborum hominum perfidiam, quam sunt Juramenta: ut per pignora, fide-jussores, chirographa, testes, et alia quae inducant obligationem in foro externo. Et ubi ista commode adhiberi possunt, omnino satius esset a Juramentis abstinere, ne aut frequenter et levi de causa jurando, res sacerrima ex nimis familiari usu abeat in contemptum, aut dum multa juramus, labamur quandoque in Perjurium. Recte Augustinus, 'Nemo novit nisi qui expertus est, quam sit difficile consuetudinem jurandi exstinguere, et non temere facere, quod aliquando facere necessitas cogit.'*

13. Conclusio Quarta. Grave peccatum est, Juramentum ab alio indebite exigere. Exigit autem indebite, primo, qui cogit aliquem Juramentum praestare, quod non est aut Legibus scriptis sancitum, aut moribus, id est usu, receptum, et longi temporis praescriptione sine intermissione vel contradictione

§. 13.
De Jura-
mento ab
aliis exi-
gendo, Cau-
tiones.

* De Sermone Domini in monte. i. 17. 51. Opp. tom. iii. col. 188. 4. ed. Bened.

stabilitum. Secundo, qui exigit ab alio Juramentum quod aperte repugnat, vel, ex eo sensu quem verba prae se ferunt secundum communem usum loquendi, videtur repugnare alicui Juramento ab eo prius legitime et licite praestito. Tertio, qui jurare cogit in rem illicitam, quae scilicet est contra officium Deo aut superioribus debitum, contra Leges Regni, contra bonos mores, aut alias inhonesta et quae servari non debeat. Quarto, qui Juramentum defert ambigui sensus, aut quoquo modo captiosum, quo conscientiae, vitae, libertati, aut fortunis proximi sui laqueum injiciat. Quinto, qui sine necessitate aut metu cogit, aut auctoritate impellit, aut consilio, exemplo, dolo malo, aliove artificio aut ratione inducit alium ad jurandum, quem scit juraturum contra conscientiae suae iudicium. Utinam meminerint omnes qui in magna potestate, conscientiae, famae, nomini suo quam foedum et indelibilem characterem inusserit Jeroboamus filius Nebat, quod populum Israeliticum pellexerit ad peccandum; et quantopere gravem Dei iram in se provocent, qui potestate sua quam Deus unicuique *dedit ad constructionem et non ad ruinam*, abutantur in perniciem aliorum.

[2 Cor. x. 8.
xiii. 10.]

§. 14.
Juramentum dubitante Conscientia non suscipiendum.

Rom. xiv.
23.
Jer. iv. 2.

14. Conclusio Quinta. Juramentum oblatum reluctantae vel dubitante Conscientia non est suscipiendum. Probatur, primo, quia *quod non est ex fide peccatum est*. Secundo, quia jurandum est *in iudicio*, quod certe is non facit, qui contra Conscientiae suae iudicium facit. Tertio, quia id necesse est fieri alicujus temporalis commodi intuitu, aut ad evitandum aliquod damnum, aut ad consequendum aliquod lucrum, aut ad conciliandum alicujus hominis gratiam, aut quid simile. Quam autem indignum est homine Christiano, Deum mundo, coelum coeno,* animam corpori, gaudium aeternum lucro temporali, spem vitae futurae praesenti otio, internam pacem externae posthabere! Quarto, quia sic jurans, Perjurii, gravissimi peccati, periculo se evidenter exponit. Qui enim spe metuve alicujus temporalis commodi vel incommodi induci potest ut juraret quod non debuit, hunc vix credibile est non posse pari spe metuve induci ne adimpleat quod juravit. Perjurium autem vel ipsis etiam Ethnicis inter gravissima illa crimina est habitum, quae credebantur Deorum immortalium iram non in reos tantum, sed in posteros ipsorum, immo et in universas gentes accersere. Quo magis nobis metuendum est, qui Deum

* Compare Sermon vii. ad Aulam, §. 15.

illum verum et unum colimus, qui solenniter edixit se non habiturum insontem, quisquis Nomen ipsius in vanum assumeret, ne dum quacunq; oculos obvertimus tam uberem et luxuriantem undique Juramentorum et Perjuriorum segetem, albescentemque jamdiu ad messem conspiciamus, Deus, justissimus Judex, ad tam perfidam et profanam gentem penitus excindendam, peracutam judiciorum falcem celerrime immittat. Iratum sensimus jamdiu Clementissimum Patrem, et laesam infinities vic tamque, si fas dicere, peccatis nostris infinitam Dei patientiam in furorem versam.* Non facile est dicere, ob quae potissimum peccata, ubi omnia sunt summa. Sed profecto qui serio cogitaverit, ex quo nos Deus propiore flagello percutere coepit, de his gravissimis jurandi pejerandique peccatis quam non doluimus, immo potius quam immensum increverit, hinc infraenata et impunita jurandi et blasphemandi licentia, illinc pejerandi sub Religionis obtentu foeda hypocrisis, vix fieri potest quin ut ei in mentem subinde veniat illud Jeremiae Prophetae, *A Juramentis terra luget.*†

Quae quum ita sint, *Viri, Patres et Fratres*, exorandi sumus qui adsumus omnes, et quotquot uspiam sunt hominum, qui paci cum publicae Regni et Ecclesiae, tum privatae cordis et conscientiae suae bene cupiunt, ut contemptum Nominis Divini et fidei violatae crimen ipsi imprimis sedulo caveamus. Juramenta non necessaria omnino fugiamus, ab aliis indebite delata constanter recusemus, a nobis debite riteque praestita fideliter expleamus: deinde ut peccandi licentiam et in aliis quoque, quantum in nobis est, strenue coerceamus, Deum denique Optimum Maximum assidue precemur, ut flagello ejus edocti admonitique et sub potenti ejus manu humiliati, ad ipsius misericordiam confugiamus, justitiam agnoscamus, gratiam imploremus, in peccatorum nostrorum remissionem, vitae emendationem, et animarum salutem, per et propter merita Domini nostri Jesu Christi. Cui cum Patre et Spiritu, Tri-Uni Omnipotenti Deo, sit regnum, potentia et gloria in saecula saeculorum. Amen.

* Sanderson had expressed apprehension of National Troubles in Sermon v. ad Populum, §§. 49, 56,

preached in the year 1624.

† xxiii. 10. Vulg. *a facie maledictionis luxit terra.*

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is too light to transcribe accurately.

R E A S O N S

OF THE

PRESENT JUDGMENT

OF

THE UNIVERSITY OF OXFORD,

CONCERNING

THE SOLEMN LEAGUE AND COVENANT,
THE NEGATIVE OATH,
THE ORDINANCES CONCERNING DISCIPLINE
AND WORSHIP,

Approved by general consent in a full Convocation, June 1, 1647, and
presented to consideration.

Printed in the year 1647.

J U D I C I U M

UNIVERSITATIS OXONIENSIS

DE

- I. SOLENNI LIGA ET FOEDERE,
- II. JURAMENTO NEGATIVO,
- III. ORDINATIONIBUS PARLAMENTI CIRCA DISCIPLINAM
ET CULTUM,

In plena Convocatione, 1 Junii 1647, communibus Suffragiis,
nemine contradicente, promulgatum.

PROSTANT APUD RI. ROYSTON,
Sub Insigni Angeli, in Vico vulgo nominato Ivie-Lane.

1648.

1811-1812

1811-1812

1811-1812

1811-1812

1811-1812

1811-1812

1811-1812

JUDICIUM Celeberrimae Academiae Oxoniensis communibus suffragiis in Domo Convocationis Jun. I, stylo veteri, 1647, nemine, in frequentissimo licet conventu, contradicente promulgatum, et mox typis vernaculo sermone excusum, elapso jam integro et quod excurrit anno, Latine versum exhibemus. Eo potissimum consilio, ut apud exteras Ecclesias, quibus Reformatores nostros scilicet suis praestigiis ac lenociniis et misere imposuisse accepimus, et imponere potuisse animo dolemus, facti nostri et conscientiae ratio aliqua constaret. Post gravissimas calamitates quas, Deo permittente, et exigentibus peccatis nostris, ab eis, dum avaritiae suae et ambitioni litant, in has Ecclesias et Regna invectas, detraxit tandem pro immensa sua bonitate Clementissimus Pater factiosis istis impostoribus illam qua nefaria sua consilia incrustabant Religionis larvam, ipsorumque hypocrisin populo Anglicano reddidit, reddetque, ut speramus, magis magisque indies, universo terrarum Orbi, non jam suspectam ultra, sed plane perspectam et exosam. Postquam excusso leniore optimi Regis jugo, ruptisque omnium jurium divinorum humanorumque repagulis, coeperunt in populares et contribules suos meram ac apertam tyrannidem exercere: machinam e multis unam, sed qua vix aliam experti sumus ad ipsorum consilia domi promovenda et conciliandos exterorum animos magis accommodam, Solenne scilicet Foedus et Ligam, ut conscientiis nostris consuleremus, penitus introspicendam, omnesque ejus partes severius examinandas censuimus: ne forte, velut in Equo Trojano, Sinonius aliquis in tanto corpore subesset dolus. Deprehendimus quae nos ab eo Foedere temere admittendo absterrent satis et multa et gravia; quae in isto Libello nostratibus primum hominibus proposuimus, ut qui conscientiis nostris scrupulum iniecissent, dubia dissolverent. Sive id ab ipsis contemptione nostri, sive rei desperatione factum, ipsi viderint, judicent alii: res certa, toto anno nihil responsum. Vestris itaque oculis atque arbitrio, quicumque in Reformatis Christi Ecclesiis ubivis terrarum vivitis, scrupulos nostros subjicimus: obtestantes ut expensis prius quae a nobis proposita sunt, cum ea quae Christianos homines decet charitate et candore, eadem charitate et candore de consiliis, factis, conscientiisque nostris judicetis.

A Solemn League and Covenant for reformation and defence of Religion, the honour and happiness of the King, and the peace and safety of the three Kingdoms, England, Scotland, and Ireland.

WE, Noblemen, Barons, Knights, Gentlemen, Citizens, Burgeses, Ministers of the Gospel, and Commons of all sorts in the Kingdoms of England, Scotland, and Ireland, by the Providence of God living under one King, and being of one Reformed Religion, having before our eyes the Glory of God, and the advancement of the Kingdom of our Lord and Saviour Jesus Christ, the honour and happiness of the King's Majesty and his posterity, and the true public liberty, safety, and peace of the Kingdoms wherein every one's private condition* is included; and calling to mind the treacherous and bloody plots, conspiracies, attempts, and practices of the enemies of God against the true Religion, and professors thereof in all places, especially in these three Kingdoms, ever since the Reformation of Religion,† and how much their rage, power, and presumption are of late and at this time increased and exercised; whereof the deplorable estate of the Church and Kingdom of Ireland, the distressed estate of the Church and Kingdom of England, and the dangerous estate of the Church and Kingdom of Scotland, are present and public testimonies; we have now at last, after other means of supplication, remonstrance, protestations, and sufferings, for the preservation of ourselves and our Religion from utter ruin and destruction, according to the commendable practice of these Kingdoms in former times, and the example of God's People in other Nations, after mature deliberation resolved and determined to enter into a mutual and solemn League and Covenant, wherein we all subscribe, and each one of us for himself, with our hands lifted up to the Most High God, do swear,

I. That we shall sincerely, really, and constantly, through the Grace of God, endeavour in our several places and callings

* 'condition.' In the edition of 1678, 'devotion.'

† 'and professors—Reformation of Religion,' omitted in 1678.

Pro Reformanda ac tuenda Religione, Regia Dignitate ac Felicitate, triumque Regnorum Angliae, Scotiae, et Hiberniae Pace ac Salute procuranda.

Forma
Ligae, seu
Solennis,
quod dici-
tur, Foed-
eris.

Solenne Foedus et Liga.

NOS, Proceres, Barones, Equites, Generosi, Cives, Burgenses, Evangelii Ministri, et cujuscunque Ordinis infra Angliae, Scotiae, et Hiberniae regna Plebes, Dei Providentia sub eodem Rege degentes, et eandem Reformatam Religionem profitentes; Dei gloriam, Regnique Domini nostri Jesu Christi incrementum, Majestatis sobolisque Regiae honorem et felicitatem, publicamque Regnorum (in qua privata cujusque fortuna includitur) genuinam Libertatem, Salutem, et Pacem ob oculos habentes; et proditorias ac sanguinolentas inimicorum Dei adversus veram Religionem ejusque professores ubique gentium, in hisce praesertim tribus Regnis ab initio usque Reformatae Religionis, technas, conjurationes, insidias, et artes, simulque quantopere nuper et hoc ipso tempore aucta sit et exercita ipsorum rabies, vires, et audacia (cujus rei praesentissima sunt et publica testimonia, deplorata Ecclesiae et Regni Hiberniae, afflicta Ecclesiae et Regni Angliae, et dubia admodum Ecclesiae et Regni Scotiae conditio) recogitantes; ad conservandum nosque ipsos et Religionem nostram ab ultima ruina et interitu (post alia tentata supplicationum, remonstrantiarum, protestationum, et perpeccionum remedia) juxta horum Regnorum laudabilem retroactis saeculis consuetudinem, et populi Dei apud exterarum gentes exemplum, matura prius habita deliberatione, constituimus tandem et decrevimus Solennem Ligam et Foedus mutuo inire: cui omnes subscribimus, et pro se quilibet nostrum, levatis ad Deum Altissimum manibus, juramus,

I. Quod per Dei Gratiam sincere, serio et constanter, pro loci et muneris nostri ratione, conabimur, Reformatam in Ec-

the preservation of the Reformed Religion in the Church of Scotland, in doctrine, worship, discipline, and government, against our common enemies; the Reformation of Religion in the Kingdoms of England and Ireland in doctrine, worship, discipline and government, according to the Word of God, and the example of the best Reformed Churches; and shall endeavour to bring the Churches of God in the three Kingdoms to the nearest conjunction and uniformity in Religion, Confession of Faith, form of Church-government, Directory for worship and catechizing: that we and our posterity after us may, as brethren, live in faith and love, and the Lord may delight to dwell in the midst of us.

II. That we shall in like manner, without respect of persons, endeavour the extirpation of Popery, Prelacy,—that is, Church-government by Archbishops, Bishops, their Chancellors and Commissaries, Deans, Deans and Chapters, Archdeacons, and all other Ecclesiastical Officers depending on that Hierarchy,—Superstition, Heresy, Schism, Profaneness, and whatsoever shall be found to be contrary to sound doctrine and the power of godliness, lest we partake in other men's sins, and thereby be in danger to receive of their plagues; and that the Lord may *be one and His Name one* in the three Kingdoms.

III. We shall with the same sincerity, reality, and constancy, in our several vocations, endeavour with our estates and lives mutually to preserve the rights and privileges of the Parliaments, and the liberties of the Kingdoms, and to preserve and defend the King's Majesty's person and authority, in the preservation and defence of the true Religion and liberties of the Kingdoms, that the world may bear witness with our consciences of our loyalty, and that we have no thoughts or intentions to diminish his Majesty's just power and greatness.

IV. We shall also with all faithfulness endeavour the discovery of all such as have been or shall be incendiaries, malignants, or evil instruments, by hindering the reformation of Religion, dividing the King from his people, or one of the Kingdoms from another, or making any faction or parties amongst the people, contrary to this League and Covenant, that they may be brought to public trial, and receive condign punishment, as the degree of their offences shall require or

clesia Scotica Religionem, in Doctrina, Cultu, Disciplina, et Regimine Ecclesiastico contra communes hostes conservare; Religionemque in Angliac et Hiberniae Regnis, in Doctrina, Cultu, Disciplina, et Regimine, secundum Dei Verbum, et Ecclesiarum optime Reformatarum exemplar, reformare. Conabimur insuper Ecclesias Dei in tribus his Regnis ad arctissimam quam fieri potest in Religione, Fidei Confessione, Regiminis Ecclesiastici forma, Directorio Cultus et Catechismi, consensionem et uniformitatem adducere: ut nos posterique nostri in fide et dilectione fraterna degamus, et delectetur Dominus in medio nostri habitare.

II. Quod eundem in modum, sine personarum acceptione, Papismum, Praelaturam, hoc est, Regimen Ecclesiasticum per Archiepiscopos, Episcopos, eorumque Cancellarios et Commissarios, Decanos, Décanos et Capitula, Archidiaconos, et alios Officiarios Ecclesiasticos ab illa Hierarchia pendentes quoscunque, Superstitionem, Haeresin, Schisma, Impietatem, et quidquid sanae doctrinae, et virtuti pietatis contrarium esse deprehendetur, exstirpare conabimur: ne alienorum peccatorum participes facti plagarum etiam participes simus; et ut unus sit in tribus his Regnis Dominus, *atque unum Nomen ejus.*

III. Pari sinceritate, studio, et constantia, Parlamentorum jura et privilegia, Regnorumque libertates, cum vita et fortunarum nostrarum discrimine mutuo conservare; et Regiae Majestatis personam atque auctoritatem, in verae Religionis Libertatumque Regnorum conservatione et defensione, conservare et defendere, pro nostri cujusque muneris ratione conabimur: ut attestetur universus Orbis conscientiis nostris de nostra in Regem fidelitate, debitamque Regiae Majestati potestatem et amplitudinem imminuendi nullum nobis animum aut intentionem subesse.

IV. Omnes insuper qui Incendiarii, Malignantes, aut, Reformationem Religionis impediendo, Regem a Populo suo aut Regna ab invicem dividendo, Populumve in partes aut factiones distrahendo, contra praesentem Ligam et Foedus malorum instrumenta fuerunt eruntve, omni cum fidelitate detegere conabimur, ut publicam cognitionem et condignas poenas subeant, pro delictorum suorum merito et exigentia, vel prout

deserve, or the Supreme Judicatories of both Kingdoms respectively, or others having power from them for that effect, shall judge convenient.

V. And whereas the happiness of a blessed peace between these Kingdoms, denied in former times to our progenitors, is by the good Providence of God granted unto us, and hath been lately concluded and settled by both Parliaments, we shall each one of us, according to our place and interest, endeavour that they may remain conjoined in a firm peace and union to all posterity; and that justice may be done upon the wilful opposers thereof, in manner expressed in the precedent Articles.

VI. We shall also, according to our places and callings, in this common cause of Religion, liberty, and peace of the Kingdoms, assist and defend all those that enter into this League and Covenant, in the maintaining and pursuing thereof, and shall not suffer ourselves, directly or indirectly, by whatsoever combination, persuasion, or terror, to be divided and withdrawn from this blessed union and conjunction, whether to make defection to the contrary part, or to give ourselves to a detestable indifferency or neutrality in this cause, which so much concerneth the glory of God, the good of the Kingdoms, and the honour of the King; but shall all the days of our lives zealously and constantly continue therein against all opposition, and promote the same according to our power against all lets and impediments whatsoever; and what we are not able ourselves to suppress or overcome, we shall reveal and make known, that it may be timely prevented or removed. All which we shall do as in the sight of God.

And because these Kingdoms are guilty of many sins and provocations against God and His Son Jesus Christ, as is too manifest by our present distresses and dangers, the fruits thereof;—we profess and declare, before God and the world, our unfeigned desire to be humbled for our own sins, and for the sins of these Kingdoms: especially that we have not, as we ought, valued the inestimable benefit of the Gospel, that we have not laboured for the purity and power thereof, and that we have not endeavoured to receive Christ in our hearts, nor

utriusque Regni respective suprema Judicatoria, aut alii ab eis in eum finem delegati judicaverint expedire.^a

V. Et quandoquidem Majoribus nostris usque denegata beatae inter haec Regna pacis felicitas, nobis singulari Dei Providentia concessa et per utriusque Regni Parlamentum nuper constituta est et confirmata, dabimus operam, singuli pro loci et muneris nostri ratione, ut firma pace et unione in omne aevum conjuncta permaneant; utque in pertinaces ejusdem impugnatores juxta modum et formam in praecedente Articulo expressam animadvertatur.

VI. Quinetiam in communi hac causa Religionis, Libertatis, et Pacis Regnorum, omnes eos qui hanc Ligam et Foedus ineunt, in eadem tuenda et exsequenda, pro loci et muneris nostri ratione, adjuvabimus et defendemus. Neque nos a beatissima hac unione et conjunctione, directe vel indirecte, combinatione, persuasione, vel terrore qualicunque distrahi ac divelli patiemur: sive facta in adversam partem defectione, sive nos detestandae ἀδιαφορία et neutralitati in hac causa ad Gloriam Dei, Regnorum utilitatem, Regis dignitatem tantopere spectante, permittendo; sed in eadem animose et constanter contra omnem oppositionem omnibus diebus vitae nostrae permanebimus; eandemque adversus omnia cujuscunque generis obstacula et impedimenta pro virili promovemus; et quod non poterimus ipsi superare, ut ei mature occurratur, notum faciemus. Quae omnia velut Deo praesente praestabimus.

Porro, quoniam Regna ista plurimorum peccatorum adversus Deum et Filium ejus Jesum Christum, ex eorum effectis, praesentibus sc. difficultatibus et periculis, nimis liquido constat esse rea; coram Deo et mundo profiteamur et denuntiamus sincerum cordis nostri desiderium, pro peccatis propriis et pro peccatis istorum Regnorum, nosmet humiliandi: maxime quod Evangelium, quantivis pretii beneficium, prout par erat non aestimavimus, quod ad ejus puritatem et vim non anhelavimus, quodque Christum in corda nostra recipere, atque eo digne

^a 'Aequum judicabunt,' [judicaverint] legit Interpres Latinus mala fide, quum Anglice legatur *judge convenient*. [The Translation to which

this criticism applies had appeared in 4^o. Lond. 1644, pp. 6. with this licence of publication at the end: 'Jan. 9, 1643. Imprimatur, Tho. Temple.']

to walk worthy of Him in our lives ; which are the causes of our sins and transgressions so much abounding amongst us ; and our true and unfeigned purpose, desire, and endeavour for ourselves, and all others under our power and charge, both in public and in private, in all duties we owe to God and man, to amend our lives, and each one to go before another in the example of a real Reformation, that the Lord may turn away His wrath and heavy indignation, and establish these Churches and Kingdoms in truth and peace. And this Covenant we make in the presence of Almighty God, the searcher of all hearts, with a true intention to perform the same, as we shall answer at that great Day, when the secrets of all hearts shall be disclosed ; most humbly beseeching the Lord to strengthen us by His Holy Spirit for this end, and to bless our desires and proceedings with such success, as may be deliverance and safety to his people, and encouragement to other Christian Churches groaning under, or in danger of the yoke of Anti-christian tyranny, to join in the same or like Association and Covenant, to the glory of God, the enlargement of the Kingdom of Jesus Christ, and the peace and tranquillity of Christian Kingdoms and Commonwealths.

ambulare, non curavimus, quae reliquorum in nobis tantopere exuberantium peccatorum ac iniquitatum causae fuerunt. Simulque pro nobismetipsis, aliisque omnibus fidei et curae nostrae concreditis, cum publice tum privatim, verum et sincerum animi nostri desiderium, studium, et conatum, in omnibus officiis Deo hominique debitis, vitam nostram emendandi, et aliis verae Reformationis exemplo invicem praeceundi; quo Dominus a nobis iram suam et tristem indignationem avertat, atque has Ecclesias et Regna in veritate et pace stabiliat. In hoc autem Foedus coram Deo Optimo Maximo, omnium cordium scrutatore, juramus, cum vera intentione idipsum adimplendi, ut in magno illo die, quum omnium cordium arcana patefient, rationem reddituri: humillime Dominum rogantes, ut in eum finem dignetur nos Sancto suo Spiritu confirmare, sicque consilia nostra et conatus benedictione sua prosequi, ut populo suo cedant in libertatem et salutem; aliæque Ecclesiae Christianorum, Antichristianæ tyrannidis jugum cum gemitu vel expertæ vel metuentes, ad consimilem Associationem et Foedus ineundum provocentur; ad Dei gloriam, regni Jesu Christi propagationem, Regnorumque et Rerumpublicarum Christianorum pacem et tranquillitatem.

The Negative Oath.

I, A. B., do swear from my heart, that I will not, directly nor indirectly, adhere unto, or willingly assist the King in this War, or in this Cause, against the Parliament, nor any forces raised without the consent of the two Houses of Parliament, in this Cause or War. And I do likewise swear, that my coming and submitting myself under the power and protection of the Parliament, is without any manner of design whatsoever to the prejudice of the proceedings of this present Parliament, and without the direction, privity, or advice of the King, or any of his Council or Officers, other than what I have now made known. So help me God, and the contents of this Book.

Forma Juramenti Negativi.

Ego, A. B., ex animo juro me in hoc Bello sive Causa contra Parlamentum, Regi vel copiis quibuscunque sine authoritate utriusque Domus Parlamenti collectis, directe vel indirecte, non adhæsurum aut opem sponte laturum. Juro insuper in Parlamenti me potestatem et fidem memet recepisse, sine aliqua intentione, quae praesenti Parlamento ejusve rationibus praejudicio sit; et sine Regis aut ejus Consilarii vel ministri cujuscunque, aliis quam est a me jam indicatum, mandato, conscientia, vel consilio. Ita me Deus adjuvet, per Jesum Christum hoc sacrosancto Evangelio annunciatum.

Reasons why the University of Oxford cannot submit to the Covenant, the Negative Oath, the Ordinance concerning Discipline and Directory mentioned in the late Ordinance of Parliament for the Visitation of that place.

WHEREAS by an Ordinance of the Lords and Commons assembled in Parliament, for the Visitation and Reformation of the University of Oxford, lately published, power is given to certain persons, therein named as Visitors, to inquire concerning those of the said University that neglect to take the Solemn League and Covenant and the Negative Oath, being tendered unto them, and likewise concerning those that oppose the execution of the Ordinances of Parliament concerning the Discipline and Directory, or shall not promote or cause the same to be put in execution, according to their several places and callings,—We, the Masters, Scholars, and other Officers and Members of the said University, not to judge the consciences of others, but to clear ourselves before God and the world from all suspicion of obstinacy, whilst we discharge our own, present to consideration the true reasons of our present Judgment concerning the said Covenant, Oath, and Ordinances; expecting so much justice, and hoping for so much charity, as either not to be pressed to conform to what is required in any the premisses, further than our present judgments will warrant us; or not condemned for the refusing so to do, without clear and real satisfaction given to our just scruples.

SECT. I.

Of the Preface to the Covenant.

The Exceptions against the introductory Preface to the Covenant, although we insist not much upon, because it may be said to be no part of the Covenant, yet among the things therein contained, the acknowledgment whereof is implicitly required of every Covenantant,

JUDICIUM UNIVERSITATIS OXONIENSIS

DE

Solenni Foedere et Liga,

Juramento Negativo,

Ordinationibus circa { *Disciplinam,*
 { *Directorium.*

QUANDOQUIDEM edita nuper Procerum et Plebis in Parlamento congregatorum de Visitanda et Reformanda Universitate Oxoniensi Ordinatione, personis quibusdam Visitoribus ibi dictis potestas concessa est, de iis inquirendi qui in Universitate praedicta oblata sibi Solenne Foedus et Ligam, Juramentumque quod Negativum vocant, suscipere recusaverint; deque iis qui Ordinationum Parlamenti de Disciplina Ecclesiastica et Directorio Cultus Publici executioni semet opposuerint, earumve executionem pro loci vocationisque suae conditione non promoverint: Nos Magistri et Scholares dictae Universitatis, aliique ejusdem Officarii et Membra,—non ut aliorum conscientias temere judicemus, sed ut, dum propriis cavemus, amoliamur, quantum in nobis est, coram Deo et hominibus omnem obstinati animi pravam suspicionem,—nostram de Foedere, Juramento, et Ordinationibus praedictis sententiam, ejusque sententiae veras rationes publice proponendas duximus, expectantes sperantesque, e duobus alterutrum nobis pro sua justitia et charitate omnes quorum ista rescire intererit concessuros: ut vel ad consentiendum circa praedicta non ulterius adigamur quam patitur praesens conscientiae nostrae iudicium; vel saltem non illico condemnemur, si consensum nostrum tantisper abstinemus, dum propositis a nobis scrupulis plene et solide satisfiat.

SECT. I.

De Foederis Prooemio.

De Prooemio sive Praefatione Foederis introductoria, etsi eo minus laboremus, quod dici fortasse poterit ad ipsius Foederis substantiam non ita proprie pertinere, inter alia tamen ibi dicta quorum agnitio a quolibet Foederato implicite requiritur,

i. We are not able to say, 'That the rage, power, and presumption of the enemies of God,' in the sense there intended, 'is at this time increased.'

ii. Nor can truly affirm that we had used or given consent to any Supplication or Remonstrance to the purposes therein expressed.

iii. Nor do conceive the entering into such a mutual League and Covenant to be a lawful, proper, and probable means to 'preserve ourselves and our Religion from ruin and destruction.'

iv. Nor can believe the same to be 'according to the commendable practice of these Kingdoms, or the example of God's people in other Nations,' when we find not the least footstep in our Histories of a sworn Covenant ever entered into by the people of this Kingdom upon any occasion whatsoever; nor can readily remember any commendable example of the like done in any other Nation, but are rather told by the defenders of this Covenant, that 'the world never saw the like before.'^a

SECT. II.

Of the Covenant in gross.

First, we are not satisfied how we can submit to the taking thereof, as it is now imposed under a penalty.

i. Such imposition, to our seeming, being repugnant to the nature of a Covenant, which, being a contract, implieth a 'voluntary mutual consent'^b of the contractors; whereunto men are to be induced by persuasions, not compelled by power. Inasmuch that the very words of this Covenant, in the preface, conclusion, and whole frame thereof, run in such a form throughout as import a consent rather grounded upon prudential motives than extorted by rigour.

ii. Without betraying the Liberty which, by our Protestation* we are bound, and in the third Article of this Covenant must swear, 'with our lives and fortunes to preserve.' To

^a 'Such an Oath, as for matter, persons, and other circumstances, the like hath not been in any age or Oath we read of in sacred or human stories.' Mr. Nye, Cove-

nant with Narrative, p. 12.*

^b Pactum est duorum pluriumve in idem placitum consensus. L. 1. ff. de Pactis. [Digest. lib. ii. Tit. xiv. Lex 1.]

* See Vol. v. p. 26.

* 'The Covenant with a Narrative of the solemn manner of taking it by the Hon^{ble} House of Commons and Reverend Assembly of Divines, the 25th day of September, at St. Margarets in Westminster. Also, Two speeches delivered at the same time: the one by Mr. Philip Nye, the other by Mr. Alex^r Henderson. Published by special Order of the House. London, Printed for Thomas Underhill, at the Bible in Woodstreet, 1643.'

i. Primo, illud veremur ut nobis tuto profiteri liceat, 'auctam esse hoc tempore eorum,' qui ibi 'inimici Dei' intelliguntur, 'rabiem, vires, et audaciam.'

ii. Deinde nec illud vere possumus affirmare, ulla nos unquam Supplicationes vel Remonstrations ad effectus ibi memoratos, aut ipsos adhibuisse, aut ut ab aliis adhiberentur, consensum nostrum praeberisse.

iii. Neque vero arbitramur mutuam istiusmodi Foederis con-
tesserationem, medium esse licitum, accommodum, et probabile, 'ad nos Religionemque nostram a ruina et interitu conservandos.'

iv. Nec eam denique vel 'laudabili istius Regni retro actis saeculis consuetudini, vel approbato populi Dei apud exterarum gentes exemplo,' credimus esse consentaneam, quum in Gentis nostrae Annalibus, Foederis a populo Anglicano ulla unquam occasione initi nullibi compareat vel levissimum vestigium; nec nobis occurrat initi ubivis gentium ejusmodi Foederis laudabile exemplum; immo potius, quod esset isti par toto orbe nunquam antehac Foedus exstitisse ab ejus Patronis fidenter affirmetur.^a

SECT. II.

De Foedere Generalia quaedam.

I. Imprimis non satis liquet, posse a nobis admitti Foedus quod sit sub constituta poena imperatum: quia videtur,

i. Primo, tale imperium cum Foederis natura parum convenire, quod, quum sit species quaedam pacti sive contractus mutuo contrahentium, supponit 'spontaneum consensum,'^b ad quem sunt homines suasionibus adducendi; non vi aut metu cogendi. Quinimmo hoc ipsum Foedus, in praefatione, conclusione, totoque sui corpore, ea verborum forma praescriptum est, quae consensum significet, rationum potius momentis subnixum, quam metu extortum.

ii. Nec id, secundo, fieri posse, nisi prodita simul ea Libertate quam Protestationis nostrae vinculo jam ante obligati, et ex ipso isto Foedere Juramenti^c religione jam denuo obligandi

^a Juramentum cui quantum ad materiam, personas, et alias circumstantias, in ullo unquam saeculo et juramento simile aliud exstitisse in divinis aut humanis historiis nullibi legimus. Phil. Nye, Covenant with

Narrative, p. 12.

^b Pactum est duorum pluriumve placitum in idem consensus. L. 1. ff. de Pactis.

^c Art. 3.

which Liberty the imposition of a new Oath, other than is established by Act of Parliament, is expressed in the Petition of Right,^c and by the Lords and Commons in their Declarations^d acknowledged to be contrary.

iii. Without acknowledging in the Imposers a greater power than, for ought that appeareth to us, hath been in former time challenged, or can consist with our former Protestation, if we rightly understand it, in sundry the most material branches thereof.

II. Neither, secondly, are we satisfied, although the Covenant should not be imposed upon us at all, but only recommended to us, and then left to our choice,

i. How we should in wisdom and duty, being Subjects, of our own accord and free will enter into a Covenant, wherein he, whose Subjects we are, is in any wise concerned, without his consent, either expressed or reasonably presumed. It being in his power, as we conceive, by the equity of the Law, Numbers xxx, to annul and make void the same at his pleasure.

ii. How we can, now that His Majesty hath by his public Interdict^e sufficiently made known his pleasure in that behalf, enter into a Covenant, the taking whereof he hath expressly forbidden, without forfeiting that obedience, which, as we are persuaded, by our natural allegiance and former oaths we owe unto all such His Majesty's commands as are not in our apprehensions repugnant to the Will of God or the positive Laws of this Kingdom.

SECT. III.

Of the first Article of the Covenant.

I. Wherein, first, we are not satisfied how we can with judg-

^c Whereas many of them have had an Oath administered unto them not warrantable by the Laws and Statutes of this Realm, they do humbly pray that no man hereafter be compelled to take such an Oath . . . All which they most humbly pray . . . as their Rights and Liberties according to the Laws and Sta-

tutes of this Realm. Petition of Right, 3 Carol.

^d It is declared, 16 Jan. 1642, That the King cannot compel men to be sworn without an Act of Parliament. Exact Collection, pp. 859, 860.*

^e Proclamation of 9 October, 19 Carol.

* 'An Exact Collection of all Remonstrances, Declarations, Votes, Orders,' &c. 'and other remarkable passages between' the King and Parliament, 'beginning at his Majesty's return from Scotland, being in December 1641, and continued until March 21, 1643.' 4^o. Lond. 1643.

sumus, cum capitibus et fortunarum nostrarum discrimine tueri et conservare. Cui Libertati, Juramenti novi nulla Parliamentaria lege sanciti impositionem plane adversari, et in notissimo illo Statuto, quae Petitio Jurium^d dicitur disertim asseritur, et a Proceribus ac Plebe in Declarationibus^e suis agnoscitur.

iii. Nec etiam, tertio, nisi agnoscere velimus iis qui istoc Foedus a nobis exigunt, aliquid in nos juris competere amplioris, quam aut ab eorum antecessoribus hactenus unquam vindicatum accepimus; aut cum praedictae Protestationis nostrae, si saltem nos eam recte intelligamus, pluribus nec levioris momenti commatis consistere posse arbitramur.

II. Neque vero, secundo, sat nobis liquet, etiamsi nulla accederet jubentium potestas, sed suadentium duntaxat auctoritate commendata res, nostro demum ipsorum arbitrio tota permetteretur:

i. Quî nos pateretur prudentia, officiique nostri, subditi qui simus, ratio, Foedus, in quo de ejus cujus subditi sumus jure agitur, sine ipsius consensu vel expresso, vel tacito saltem, et rationabiliter praesumpto, sponte nostra inire. Quum ex aequitate Legis, Num. xxx, penes ipsum esse putemus, quod a nobis sic factum fuerit, pro suo beneplacito rescindere et adnullare.

ii. Postquam Serenissima Regia Majestas publicato Programmate^f voluntatem suam hac ex parte abunde jam patefecerit, quî sit nobis porro integrum Foedus ab ipso explicite prohibitum admittere, non violato ejus observantiae jure, quam nobis persuasissimum est et nativae fidelitatis Lege, et jurisjurati vinculo, omnibus Regis jussionibus deberi, quae nullis aut Dei praeceptis, aut positivis hujus Regni Legibus manifeste repugnant?

SECT. III.

De primo Foederis Articulo.

I. Imprimis, postulant Sacrae Literae ut cum judicio jure-

^d Quandoquidem multis eorum, subditorum scilicet, Juramenta delata fuerint nullis hujus Regni Legibus aut Constitutionibus stabilita: humillime petunt ne quis in posterum ad tale Juramentum praestandum compellatur Quae omnia humillime petunt ut jura et libertates suas secundum Leges et

Statuta hujus Regni. *Petition of Right*, 3 Carol.

^e Declaratum est, non posse Regem quemquam ad jurandum adigere sine Statuto Parlamenti. *Declaration*, 16 Jan. 1642. Vide *Exact Collection*, pp. 859, 860.

^f 9 Octob. 19 Carol.

ment swear to endeavour to preserve the Religion of another Kingdom ;

i. Whereof, as it doth not concern us to have very much, so we profess to have very little understanding.

ii. Which, so far as the occurments of these unhappy times have brought it to our knowledge, and we are able to judge, is in three of the four specified particulars, viz. Worship, Discipline, and Government, much worse ; and in the fourth, that of Doctrine, not at all better than our own ; which we are in the next passage of the Article required to reform.

iii. Wherein if hereafter we shall find any thing, as upon further understanding thereof it is not impossible we may, that may seem to us savouring of Popery, Superstition, Heresy, or Schism, or contrary to sound Doctrine or the power of Godliness, we shall be bound by the next Article to endeavour the extirpation, after we have bound ourselves by this first Article to the preservation thereof.

iv. Wherein we already find some things, to our thinking, so far tending towards Superstition^f and Schism,^g that it seemeth to us more reasonable that we should call upon them to reform the same, than that they should call upon us to preserve it.

II. Secondly, we are not satisfied in the next branch,—concerning the Reformation of Religion in our own Kingdom, in Doctrine, Worship, Discipline and Government,—how we can swear to endeavour the same, which without making a change therein cannot be done,

i. Without manifest scandal to the Papist and Separatist,

1^o. By yielding the cause, which our godly Bishops and Martyrs, and all our learned Divines ever since the Reforma-

^f Viz. In accounting Bishops Anti-Christian, and indifferent Ceremonies unlawful.

^g Viz. In making their Disci-

pline and Government a mark of the true Church, and the setting up thereof the erecting of the throne of Christ.

tur : quod veremur ut facturi simus, si, quod in primo hujus Articuli membro continetur, de conservanda alterius gentis Religione juraretur ;

i. Cujus ut nostra non interest esse multum peritos, ita nos admodum imperitos esse profiteremur.

ii. Quae, quatenus eam infelicium horum temporum *περιστάσεις* ad nostram notitiam perduxerunt, et nos arbitrari valemus, in tribus quatuor illorum, quorum inibi mentio fit, capitibus, Cultu, scilicet, Disciplina, et Regimine, aliquanto deterior est, in quarto etiam, Doctrinae scilicet, nihilo melior, quam nostra illa, de qua tamen reformanda in proximo hujus Articuli membro tantopere satagitur.

iii. In qua si quid olim deprehenderimus, quod fortasse penitius eam inspicientibus non erit simpliciter impossibile, quod Papismum, Superstitionem, Hæresin, vel Schisma nobis videbitur sapere, aut esse sanae doctrinae vel virtuti pietatis contrarium, tenebimur vi proximi Articuli ei extirpando studere, postquam jam ante praesentis Articuli virtute ad eam conservandam obligati fuerimus.

iv. In qua, denique, ut illud non dissimulemus, videmur nobis nonnulla interim deprehendisse Superstitionis et Schismati,^h nostro saltem judicio, adeo finitima, ut illos aequius sit a nobis submoneri sua ut corrigant, quam nos ab illis ad ea conservanda urgeri.

II. Deinde, quantum ad alterum illud hujus Articuli membrum, de Reformanda scilicet in hoc Regno Religione, quoad Doctrinam, Cultum, Disciplinam, et Regimen Ecclesiasticum, quum Reformatio immutationem in sui ratione necessario et formaliter includat, nondum satis liquet posse a nobis istiusmodi Reformationem attentari,

i. Primo, sine manifesto tum Papistarum tum Separatistarum scandalo ;

Istoc enim pacto,

1º. Desertores nos praestabimus justissimae causae quam insignes pietate Episcopi et Martyres, aliique Ecclesiae nostrae eruditi Theologi et Professores ab ipso Reformationis initio ad

g Viz. Quod Episcopatum judicent esse Antichristianum, et ritus adiaphoros illicitos.

h Viz. Quod Disciplinam illam

suam, et Regimen Presbyterianum, notam faciant verae Ecclesiae, et ut ipsum Regni Jesu Christi thronum venerentur.

tion, have both by their writings and sufferings maintained ; who have justified, against them both, the Religion established in the Church of England to be agreeable to the Word of God.

2°. By justifying the Papists in the reproaches and scorn by them cast upon our Religion ; whose usual objection it hath been and is, that we know not what our Religion is ; that since we left them, we cannot tell where to stay ; and that our Religion is a Parliamentary Religion.^h

3°. By a tacit acknowledgment that there is something both in the Doctrine and Worship, whereunto their conformity hath been required, not agreeable to the Word of God, and consequently justifying them both, the one in his recusancy, the other in his separation.

4°. By an implied confession, That the Laws formerly made against Papists in this Kingdom, and all punishments by virtue thereof inflicted upon them, were unjust, in punishing them for refusing to join with us in that form of Worship, which ourselves, as well as they, do not approve of.

ii. Without manifest wrong unto ourselves, our consciences, reputation, and estates ; in bearing false witness against ourselves, and sundry other ways, by swearing to endeavour to reform that, as corrupt and vicious,

1°. Which we have formerly by our personal subscriptions approved, as agreeable to God's Word ; and have not been since either condemned by our own hearts for so doing, or convinced in our judgments by any of our brethren that therein we did amiss.

2°. Which in our consciences we are persuaded, not to be in any of the four specified particulars, as it standeth by Law

^h ' Let us not be blamed if we call it Parliament Religion, Parliament Gospel, Parliament Faith.' Harding, Confut. of Apology, Part vi. Chap.

2. [See Bishop Jewel's Defence of the Apology of the Church of England, in Jelf's Edition of his Works, vi. pp. 215, 218.]

nostra usque tempora, suis cum scriptis tum perpeſſionibus strenue propugnarent. Qui, aduersus utriusque generis hostem, Religionem Ecclesiae Anglicanae Verbo Dei consonam esse abunde demonstrarunt.

2°. Papistis erit, quo speciosius opprobria illa et contumelias in nos jaciant, quibus infamare solent Religionem nostram. Solenne illis jam diu fuit ista objectare: Quae tandem fiet Religio nostra, inter nos nondum convenire: Ex quo Romanam Ecclesiam deseruimus nescire ubi sit consistendum, aut pes figendus: Esse Religionem nostram Religionem Parlamentariam.ⁱ

3°. Agnosceamus, re ipsa loquente, subfuisse aliquid in Ecclesiae nostrae Doctrina et Cultu (quibus interim, ab ipsis rigide exigebatur, ut essent conformes) Dei Verbo parum consentaneum: unde utrisque suppetat, unis, Recusantiae suae; alteris, apertae ab Ecclesiarum nostrarum communione Separationis justa excusatio.

4°. Quin et illud quoque implicite saltem fatebimur, Leges contra Recusantes Papistas in hoc Regno antehac latas iniquas fuisse; omniaque supplicia virtute dictarum Legum eis illata, injusta. Siquidem illi nobis eo tantum nomine poenas dabant, quod verebantur nobiscum in ea Publici Cultus forma communicare, quae nobismet tandem non minus quam ipsis fuerit improbata.

ii. Secundo, sine manifesta nostri ipsorum injuria. Perhibebimus siquidem contra nosmet ipsos falsum testimonium, multiplicesque alias conscientias nostris, existimationi, et fortunis laqueos injiciemus, si operam nostram, interposita Juramenti fide, obligemus ad Religionem illam, velut pravam et vitiosam, reformandam,

1°. Quam antehac propriarum manuum subscriptione contestati sumus esse Verbo Dei consentaneam: cujus facti ut nos postea poeniteret, nullis proprii cordis obmurmurationibus, aut rationum ab aliis adductarum momentis et pondere hactenus effectum est.

2°. Quam firma animorum persuasionem non esse credimus in quovis dictorum quatuor capitum, prout apud nos Legibus

ⁱ 'Nemo nobis vitio vertat quod eam vocemus Religionem Parlamentariam, Evangelium Parlamentarium, Fidem Parlamentariam.' Harding. in Confut. Apol. Juel. part. vi. c. 20.

established, much less in the whole four, against the Word of God.

3°. Which we verily believe, and, as we think, upon good grounds, to be in sundry respects much better, and more agreeable to the Word of God, and the practice of the Catholic Church, than that which we should by the former words of this Article swear to preserve.

4°. Whereunto the Lawsⁱ yet in force require of all such Clerks as shall be admitted to any Benefice the signification of their hearty assent, to be attested openly in the time of Divine Service before the whole Congregation there present, within a limited time, and that under pain, upon default made, of the loss of every such Benefice.

iii. Without manifest danger of Perjury: This branch of the Article, to our best understandings, seeming directly contrary,

1°. To our former solemn Protestation, which we have bound ourselves, neither for hope, fear, or other respect ever to relinquish. Wherein the Doctrine which we have vowed to maintain, by the name of the 'true Protestant Religion expressed in the Doctrine of the Church of England,' we take to be the same which now we are required to endeavour to reform and alter.

2°. To the Oath of Supremacy, by us also taken, according to the Laws of the Realm, and the Statutes of our University in that behalf. Wherein having first testified and declared in our consciences, That the King's Highness is the only supreme Governor of this Realm, we do after swear to our power to assist and defend all jurisdictions, privileges, preeminences, and authorities granted or belonging to the King's Highness, his Heirs and Successors, or united and annexed to the Imperial Crown of this Realm. One of the which Privileges and Preeminences, by an express Statute so annexed, and that even *in*

ⁱ Stat. 13. Eliz. cap. 12. [An Act for the Ministers of the Church to be of sound Religion.]

constituta sunt, multo minus in universis et singulis, Verbo Dei contrariam.

3°. Quam ex animo, idque idoneis, ut opinamur, rationibus inducti, multis nominibus potiore esse credimus, Deique Verbo, et Ecclesiae Catholicae praxi magis congruam ea, quam in priori Articuli membro sub Juramenti religione conservare jubemur.

4°. Cui ut quilibet Clericus ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum admissus consentiat, Legibus Regni nunquam hactenus abrogatis imperatur. Quibus^k cautum est ut Beneficiatus, infra certum temporis spatium post admissionem suam, sub poena amissionis Beneficii, XXXIX Articulos, qui Religionis nostrae summam continent, in Ecclesia tempore Sacri Conventus coram universo populo ibidem congregato, legat; moxque lectis se ex animo consentire palam et publice profiteatur.

iii. Tertio, sine manifesto Perjurii periculo. Videtur enim istoc hujus Articuli membrum, quantum nos quidem judicando assequi possumus, ex diametro adversari

1°. Protestationi illi nostrae et Solenni Voto, quam nos sanctissime observaturos, nec ulla spe, metu, alteriusve rei intuitu unquam derelicturos, jampridem spondimus. In qua Doctrinam eam, ad quam, sub nomine verae Protestantium Religionis in Ecclesiae Anglicanae doctrina expressae, tuendam voto nos obstrinximus; eandem ipsam esse arbitramur, ad quam reformandam et immutandam opera nunc nostra delato Juramento postulatur.

2°. Praestito a nobis, juxta Leges Regni et Universitatis nostrae Statuta de Regio Suprematu Juramento. In quo, professi prius, conscientia teste, Regiam Majestatem solam esse summam moderatricem hujus Regni, &c. tandem, Deo teste, sancte recipimus nos quantum in nobis fuerit, propugnatos atque defensuros omnes et omnimodas Jurisdictiones, Privilegia, Praeeminentias et Auctoritates quascunque, vel concessas et commendatas Regiae Majestati ejusque haeredibus et successoribus, vel Imperiali hujus Regni Diademati conjunctas et annexas. Quarum Jurisdictionum et Praeeminentiarum una, eaque iisdem ipsis paene terminis expressa Regni Legibus sic annexa, tota potestas est Spiritualis sive Ecclesiasticae Juris-

^k Stat. 13 Eliz. Cap. 12.

terminis, in the selfsame words in a manner with those used in the Oath, is the whole power of Spiritual or Ecclesiastical Jurisdiction, for the correction and reformation of all manner of errors and abuses in matters Ecclesiastical: as by the words of the said Statute more at large appeareth.^k The Oath affording the Proposition, and the Statute the Assumption, we find no way how to avoid the Conclusion.

SECT. IV.

Of the second Article of the Covenant.

First, It cannot but affect us with some grief and amazement, to see that ancient form of Church Government, which we heartily and, as we hope, worthily honour, as under which our Religion was at first so orderly, without violence or tumult, and so happily reformed, and hath since so long flourished with truth and peace, to the honour and happiness of our own, and the envy and admiration of other Nations, not only,

i. Endeavoured to be extirpated, without any reason offered to our understandings, for which it should be thought necessary, or but so much as expedient so to do. But also

ii. Ranked with Popery, Superstition, Heresy, Schism, and Profaneness; which we unfeignedly profess ourselves to detest as much as any others whatsoever.

iii. And that with some intimation also, as if that Government were some way or other so contrary to sound doctrine or the power of Godliness, that whosoever should not endeavour the extirpation thereof must of necessity *partake in other men's sins*, which we cannot yet be persuaded to believe.

iv. And we desire it may be considered, in case a Covenant of like form should be tendered to the Citizens of London, wherein they should be required to swear they would sincerely, really, and constantly, without respect of persons, endeavour the extirpation of Treason, the City Government,

^k 'Such Jurisdictions, Privileges, Superiorities, and Preeminences Spiritual and Ecclesiastical, as by any, &c. for the Visitation of the Ecclesiastical State and Persons, and for Reformation, Order, and Correction of the same, and of all manner of Errours, Heresies, Schisms, Abuses, Offences, Contempts, and Enormi-

ties, shall for ever by Authority of this present Parliament be united and annexed to the Imperial Crown of this Realm.' An Act to restore to the Crown the ancient Jurisdiction over the Estate Ecclesiastical and Spiritual, and abolishing all Foreign Powers repugnant to the same. 1 Eliz. cap. 1.

dictionis, pro corrigendis atque reformandis omnibus et omnimodis erroribus et abusionibus in rebus Ecclesiasticis: ut ex dictae Legis verbis plenius intelligi potest.¹ Juramenti formula Propositionem suggerente, Legibus Regni Assumptionem, qua ratione commode vitari possit Conclusio, fatemur non esse nostri ingenii explicare.

SECT. IV.

De Secundo Foederis Articulo.

I. Imprimis, antiquam illam Ecclesiastici Regiminis formam, quam ex animo, nec uti speramus immerito, veneramus, ut sub qua Religio nostra tam feliciter sine vi aut tumultu, tamque auspicate et ab initio reformata est, et longo post tempore summa cum veritate et tranquillitate ad honorem et felicitatem Gentis nostrae, exterarumque invidiam et admirationem floruit, non possumus sine ingenti animi moerore et consternatione intueri, in hoc Foederis Articulo,

i. Non modo extirpationi devotam, nulla assignata rationis vel umbra, ob quam expediat, nedum necesse sit id fieri;

ii. Sed et eodem loco habitam cum Papismo, Superstitione, Haeresi, Schismate, et profana Impietate: quae omnia profitemur nos tam odisse quam qui maxime.

iii. Idque injecta nonnulla suspitione, esse eam Regiminis formam sanae doctrinae vel virtuti pietatis adeo adversam, ut necesse sit qui ei extirpandae manum non admoverit adjunctricem, *participem fore alienorum peccatorum*: quod nondum adduci possumus ut credamus.

iv. Quinetiam illud cupimus ut serio expendatur, si Foedus consimili formula Civibus Londinensibus proponeretur,—quo singuli jurare postularentur, operam se ultimam sincere, serio, et constanter, sine personarum acceptione, collaturos extirpationi perduellionis Regiminis Praetoriani, i. e. Regiminis Urbani, per Majorem, Aldermannos, Vicecomites, Senatam Civium, aliosque

¹ Quaecunque Jurisdictiones, Privilegia, Superioritates, et Praeeminentiae Spirituales et Ecclesiasticae, —pro visitatione status et personarum Ecclesiasticarum, et pro reformatione, regulatione, et correctione earundem, atque omnium et omnimodorum errorum, haeresium,

schismatum, abusuum, delictorum, contemptuum, et enormitatum, Imperiali hujus Regni diademati, auctoritate praesentis Parlamenti conjunctae et annexae erunt in perpetuum. Statut. restit. antiquam Coronae Jurisd. i Eliz. cap. i.

by a Lord Mayor, Alderman, Sheriffs, Common Council, and other officers depending thereon, Murder, Adultery, Theft, Cozenage, and whatsoever shall be — &c. lest they should *partake in other men's sins*; whether such a tendry could be looked upon by any Citizen that had the least spirit of freedom in him as an act of justice, meekness, and reason.

Secondly, for Episcopal Government: we are not satisfied how we can with a good Conscience swear to endeavour the extirpation thereof.

i. In respect of the thing itself. Concerning which Government we think we have reason to believe,

1°. That it is, if not *Jure Divino* in the strictest sense, that is to say, expressly commanded by God in His Word, yet of Apostolical Institution: that is to say, was established in the Churches by the Apostles, according to the mind, and after the example of their Master Jesus Christ,* and that by virtue of their ordinary power and authority derived from Him, as deputed by Him governors of His Church.

2°. Or at least, that Episcopal Aristocracy hath a fairer pretension, and may lay a juster title and claim to a Divine Institution than any of the other Forms of Church Government can do, all which yet do pretend thereunto, viz. that of the Papal Monarchy, that of the Presbyterian Democracy, and that of the Independents by particular Congregations or gathered Churches. But we are assured by the undoubted testimony of ancient Records and later Histories, that this Form of Government hath been continued with such an universal, uninterrupted, unquestioned succession in all the Churches of God, and in all Kingdoms that have been called Christian throughout the whole world for fifteen hundred years together,† that there never was in all that time any considerable opposition made thereagainst. That of Aërius was the greatest, wherein yet there was little of consideration, beside these two things: that it grew at the first but out of discontent, and gained him at the last but the reputation of an heretic. From which antiquity and continuance we have just cause to fear, that to endeavour the extirpation thereof,

* Compare Vol. v. pp. 154, 161, 191.

† Compare Sermon xiii. ad Aulam, §. 20.

Ministros et Officiarios inde pendentes, Homicidii, Adulterii, Furti, Repetundarum, &c, ne *participes essent alienorum peccatorum* :—utrumne existimari possit, quenquam civium, qui non omnem justae libertatis sensum amisisset, delatum ejusmodi Juramentum aequo animo laturum, vel ut actum justitiae, mansuetudinis, et aequitatis agniturum ?

II. Deinde non arbitramur posse nos, salva conscientia, conatus nostros ad extirpandum Episcopale Regimen sub Juramento polliceri, sive rem ipsam, sive nosmetipsos, sive Ecclesiam Anglicanam spectemus, sive debitum Regiae Majestati obsequium.

i. Primo, respectu rei ipsius.

1°. Videtur enim nobis esse Regimen Episcopale, si non Juris Divini sensu strictiore, ast Apostolicae saltem Institutionis : hoc est, etiamsi nullibi a Deo explicate praeceptum, ab Apostolis tamen in Ecclesiis institutum, ad mentem et exemplum Praeceptoris sui Jesu Christi, idque virtute potestatis ordinariae ab eo ipsis ut Ecclesiae suae Rectoribus substitutis delegatae.

2°. Unde affirmare non dubitamus, Episcopali Aristocratiae potiori jure quam alteri cuivis Regiminis formae Divinae institutionis vindicias competere : quae tamen singulae id sibi juris peculiariter vindicant, idque vehementius quam ab Episcopis fieri assolet : viz. Monarchia Papalis, Presbyterialis Democratia, et novitia illa Independentium informis forma, Anarchia verius pro arbitrio singulorum coetuum, qui in Ecclesiam aliquam communi membrorum consensu de novo collectam sponte sua coaluerint. Illud utcunque ex indubitatis veteris et recentioris aevi historiarum monumentis locupletissime constat, Episcopatum ab universa Ecclesia primis illis temporibus receptum, in omnibus Dei Ecclesiis, qua Christianus patet Orbis, adeo passim invaluisse, ut per annos mille quingentos Episcopi continua serie invicem succedentes ubique gentium duraverint : perque tot saecula vix unus et alter repertus fuerit, qui se ausus est Episcopalis Eminentiae hostem aperte profiteri, praeter unum Aërium. In cujus tamen historia haec fere duo sunt eximia : Aërii illam contradictionem ab animi ambitiosi aegritudine initio exortam esse, et auctori tandem haeresis notam inussisse. Facit profecto Episcopatus haec tam veneranda vetustas ut omnino metuendum sit, si ei eradicando navetur opera,

1°. Would give such advantage to the Papists, who usually object against us and our Religion the contempt of antiquity and the love of novelty, that we should not be able to wipe off the aspersion.

2°. Would so diminish the just authority due to the consentient judgment and practice of the Universal Church, the best Interpreter of Scripture in things not clearly exprest, for *Lex currit cum praxi*, that without it we should be at a loss in sundry points both of Faith and Manners, at this day firmly believed and securely practised by us; when by the Socinians, Anabaptists, and other Sectaries, we should be called upon for our proofs. As, namely, sundry orthodoxal explications concerning the Trinity and Coequality of the Persons in the God-head, against the Arians and other Heretics; the number, use, and efficacy of Sacraments; the baptizing of Infants;* National Churches; the observation of the Lord's Day; and even the Canon of Scripture itself.

ii. In respect of ourselves, we are not satisfied, how it can stand with the principles of justice, ingenuity, and humanity, to require the extirpation of Episcopal Government, unless it had been first clearly demonstrated to be unlawful, to be sincerely and really endeavoured by us,

1°. Who have all of us, who have taken any Degree, by subscribing the XXXIX Articles, testified our approbation of that Government: one of those^k Articles affirming the very Book, containing the Form of their Consecration, to contain in it nothing contrary to the Word of God.

2°. Who have most of us, viz. as many as have entered into the Ministry, received Orders from their hands, whom we should very ill requite for laying their hands upon us, if we should now lay to our hands to root them up, and cannot tell for what.

3°. Who have sundry of us, since the beginning of this Parliament, subscribed our names to Petitions exhibited, or intended to be exhibited, to that High Court, for the continuance of that Government. Which as we then did sincerely and really, so we should with like sincerity and reality still, not having met with any thing since to show us our error, be

* Compare the Preface to the Sermons, 1655. §. 11. Vol. ii. p. xi. of this Edition.

^k Art. 36.

1^o. Triumphaturos vehementer Pontificios, quibus cordi est nos Religionemque nostram spretae antiquitatis, et invectae novitatis insimulare, quum id ab illis objici potuerit, refelli a nobis non potuerit.

2^o. Ita imminutum iri auctoritatem, constanti Universalis Ecclesiae judicio et praxi, optimo scilicet Scripturarum, in his quae minus aperta sunt, interpreti, jure debitam, ut in plurimis ad Fidem et Mores spectantibus, quaeque securi usque et credimus et agimus, aqua nobis saepe haereat necesse sit, quoties a Socinianis, et Anabaptistis, aliisque Sectariis ad ea probanda urgemur. Qualia sunt, orthodoxae quaedam de Divinarum Personarum Trinitate et Coaequalitate adversus Arianos aliosque Haereticos et Heterodoxos explicationes; Sacramentorum numerus, usus et efficacia; Baptismus Infantium; Ecclesiae Nationales; Diei Dominicae observatio; ipseque adeo Sacrae Scripturae Canon.

ii. Secundo, respectu nostri ipsorum. Adversari enim videtur ipsis justitiae, aequitatis, et humanitatis principiis, exstirpandi Regiminis Episcopalis (nondum satis demonstrato quod sit ex se illicitum) serium et sincerum studium, a nobis si exigatur.

1^o. A nobis, inquit, qui omnes quotquot ad Gradus Academicos admissi sumus, XXXIX Anglicanae Confessionis Articulis subscribendo, Regimen simul Episcopale calculis nostris comprobavimus: in quibus disertis verbis asseritur Librum qui de Forma consecrandi Episcopos inscribitur, nihil quod sit Verbo Dei contrarium in se continere.^m

2^o. Quorum plerique, quotquot scilicet Sacris Ordinibus initiati sumus, ab Episcopis ordinati fuimus. Quibus sane nequissima talione a nobis responsum foret si ob collatos per manum ipsorum impositionem Sacros Ordines, nunc vicissim ipsis eradicandis nos vicarias manus nostras commodarem: praesertim nullius causae satis justae conscii cur ita facto sit opus.

3^o. Quorum non pauci ante aliquot annos, supplicibus libellis pro continuando Regimine Episcopali, Supremae Curiae Parlamenti exhibitis vel exhibendis, nomina nostra subscripsimus. Quod ut a nobis sincere fuit et serio tunc factum, sic non minus sincere et serio idem nunc denuo nos facturos profiteamur, quum nemo nos interim edocuerit id perperam esse factum, si quae

ready to do the same again, if we had the same hopes we then had of the reception of such Petitions.

4°. Who hold some of us our livelihood, either in whole or part, by those Titles of Deans, Deans and Chapters, &c, mentioned in the Articles; being members of some Collegiate or Cathedral Churches. And our memories will not readily serve us with any example in this kind since the world began, wherein any state or profession of men, though convicted, as we are not, of a crime that might deserve deprivation, were required to bind themselves by oath, sincerely and really to endeavour the rooting out of that, in itself not unlawful, together wherewith they must also root out themselves, their estates and livelihoods.

5°. Especially it being usual in most of the said Churches, that such persons as are admitted members thereof have a personal Oath administered unto them, to maintain the honour, immunities, liberties, and profits of the same; and whilst they live, to seek the good, and not to do any thing to the hurt, hindrance, or prejudice thereof; or in other words to the like effect.

iii. In respect of the Church of England: we are not satisfied how we can swear to endeavour the extirpation of the established Government, no necessity or just cause for so doing, either offering itself, or being offered to our understandings.

1°. Since all change of Government unavoidably bringeth with it, besides those that are present and evident, sundry other inconveniences, which no wit of man can possibly foresee to provide against, till late experience discover them, we cannot be sure, that the evils which may ensue upon the change of this Government, which hath been of so long continuance in this Kingdom, is so deeply rooted in the Laws thereof, and hath so near a conjunction with, and so strong an influence upon the Civil State and Government, as that the change thereof must infer the necessity of a great alteration to be made in the other also, may not be greater than the supposed evils whatsoever they are, which by this change are sought to be remedied. For there are not yet any come to our knowledge of that desperate nature, as not to be capable of other remedy, than the utter extirpation of the whole Government itself.

spes tunc affulserat receptionis ejusmodi libellorum, ea nunc denuo affulgeret.

4°. Quorum nonnulli Ecclesiae alicujus Cathedralis vel Collegiatae membra sumus, et nominibus illis Decanorum, Decani et Capituli, &c, in hoc Foederis Articulo damnatis, vitam victumque nostrum in toto vel ex parte debemus. Nec facile succurrit nobis ab orbe condito aliquod in hoc genere exemplum : in quo homines cujuscunque status vel ordinis, quamvis de crimine quod deprivationem mereretur, quae tamen nostra sors non est, juridice convicti, juramento se obligare coacti fuerint, ut sincere, serio, et ex animo conarentur id extirpare (quod quidem non esset aliter et ex se illicitum) cum quo fortunam suam et praecipua vitae suae subsidia una extirpari necesse esset.

5°. Maxime quum ex statutis vel consuetudinibus plerarumque istiusmodi Ecclesiarum, soleat ab omnibus earundem membris in prima sui admissione Juramentum praestari corporale ; ut honorem, immunitates, libertates, et proficua Ecclesiae suae conservare, et quoad vixerint commodum ejus procurare studeant, nec quidquam libenter et scienter faciant quod ei detrimento vel praepjudicio siet, &c.

iii. Tertio, respectu Ecclesiae Anglicanae. Veremur enim ut Juramento nos obligare liceat ad extirpationem Regiminis publica auctoritate constituti et longo usu stabiliti serio attendendam, nulla necessaria vel satis idonea ejus rei causa mentibus nostris aut sua sponte objecta, aut ab aliis oblata.

Quin potius,

1°. Quum omnis publici Regiminis mutatio, praeter ea quae praesentia sunt et manifesta, multa insuper alia incommoda necessario secum afferat, quae nullo humano ingenio praecaveri possunt, vel etiam praevideri, dum ea dies prodat, et sera nimis experientia ; non possumus esse certi, ex immutatione hujus Regiminis, quod in hoc Regno tot saeculis perduravit, in Legibus Regni tam altas radices egit, et cum Regimine Civili tam arcte conjunctum et complicatum est, ut ejus immutatio ingentis in civili quoque statu et regimine immutationis necessitatem inferat, non longe et plura et graviora insecutura esse incommoda, quam ea, quaecunque tandem illa sint, sive vera sive putativa mala, quibus remedium ex ista immutatione parari praetenditur.

2°. Whereas the House of Commons have remonstrated,¹ that it was far from their purpose or desire to abolish the Church Government, but rather that all the members of the Church of England should be regulated by such Rules of Order and Discipline as are established by Parliament, and that it was Malignancy to infuse into the people that they had any other meaning, we are loath, by consenting to the second Article, to become guilty of such infusion, as may bring us within the compass and danger of the fourth Article of this Covenant.

3°. Since it hath been declared by sundry Acts of Parliament,^m that the holy Church of England was founded in the state of Prelacy within the Realm of England, we dare not, by endeavouring the extirpation of Prelacy, strike at the very foundation, and thereby, as much as in us lieth, cooperate towards the ruin of this famous Church, which in all conscience and duty we are bound with our utmost lawful power to uphold.

iv. Lastly, In respect of our obligations to His Majesty by our duty and oaths, we are not satisfied how we can swear to endeavour the extirpation of the Church Government by Law established, without forfeiture of those obligations.

1°. Having in the Oath of Supremacy acknowledged the King to be the only Supreme Governour in all Ecclesiastical Causes, and over all Ecclesiastical Persons; and having bound ourselves both in that Oath, and by our Protestation, to maintain the King's honour, estate, jurisdictions, and all manner of rights, it is clear to our understandings, that we cannot without disloyalty and injury to him, and double Perjury to ourselves, take upon us, without his consent, to make any alteration in the Ecclesiastical Laws or Government, much less to endeavour the extirpation thereof, unless the imposers of

¹ . . . 'give advantage to this Malignant party to traduce our Proceedings. They infuse into the people that we mean to abolish all Church Government.' . . . Remonstrance of the State of the Kingdom, 15 Dec. 1641. Exact Collection, p. 19. 'The Lords and Commons do declare, That they intend a due and necessary Reformation of the Government and Liturgy of the Church, and to take away nothing in the one

or in the other, but what shall be evil, and justly offensive, or at least unnecessary and burthensome.' Declaration, 9 April, 1642. Exact Collection, p. 135.

^m Statute of Carlisle, 35 Edw. I. cap. 4. recited 25 Edw. III. [The King and the Lords shall present unto Benefices of their own, or their Ancestors' Foundation, and not the Bishop of Rome.]

2°. Quum Procuratores Plebis, inferioris scilicet Domus Parliamenti, dudum remonstraverint,ⁿ non esse sibi vel in animo vel in votis, Regimen Ecclesiasticum abolere; sed potius ut omnia Ecclesiae Anglicanae membra iis ordinis et disciplinae Legibus, quae Parliamentaria auctoritate constitutae sunt, regerentur; immo maligni hominis esse sinistram aliquam in diversum suspicionem populo infundere: summae esset imprudentiae, consentiendo secundo isti Articulo ejus nos infusionis reos ultro praestare, quae nos periculis ex quarto Foederis articulo incurrendis objiceret.

3°. Quum variis^o statutis Parliamentariis declaratum sit, Sanctam Ecclesiam Anglicanam in statu Praesulatus infra regnum Angliae fundatam esse, nobis religio est, exstirpando Praesulatum, ipsa quasi fundamenta subruere, et florentissimae Ecclesiae ruinam, quantum in nobis est, accelerare; quam officii conscientiaeque vinculo tenemur pro virili legitimis modis quibuscunque suffulcire et sustinere.

iv. Quarto denique, respectu Regiae Majestatis. Quia non videtur posse a nobis attentari Regiminis Episcopalis exstirpationem, sine summarum illarum obligationum, quibus Serenissimae Regiae Majestati ex officio et praestitorum Juramentorum religione obstricti tenemur, multiplici violatione.

1°. Majestatem Regiam solam esse summam Moderatricem omnium Ecclesiasticarum tam Personarum quam Rerum, in Juramento Suprematus professi sumus. Quo eodem Juramento, ut et Protestatione quoque nostra, Regiam nos dignitatem, statum, jurisdictiones et omnimoda jura propugnatos sancte recepimus. Unde liquet, non posse nos sine gravi Majestatis Regiae laesione atque injuria, iteratque Perjurii crimine, immutationem aliquam in rebus et legibus Ecclesiasticis, Rege inconsulto, quasi jure proprio attentare; nedum Regiminis formam lege constitutam ab imis radicibus revellere et exstirpare. Nisi esset Foederis istius impostoribus jus

ⁿ ... ansam praebere malignae factioni acta nostra calumniandi. Populo malam suspicionem infundunt, nobis scilicet propositum esse Regimen Ecclesiasticum penitus abolere. Remonst. 15 Dec. 1641. Exact. Collect. p. 19. Proceres et Plebs declarant, se Ecclesiastici Regiminis ac Liturgiae justam et ne-

cessariam reformationem intendere, nec quidquam in eorum alterutro tollere, nisi quod malum fuerit et merito offendere possit, aut quod saltem minus necessarium fuerit et onerosum. Declar. 9 Apr. 1642. Exact Collect. p. 135.

^o Stat. de Carleol. 25 Edw. I. citatum in Stat. 25 Edw. III.

this Covenant had a power and meaning, which they have openly disclaimed,ⁿ to absolve us of that obedience, which under God we owe unto His Majesty, whom they know to be intrusted with the Ecclesiastical Law.

2°. We cannot sincerely and really endeavour the extirpation of this Government, without a sincere desire and real endeavour that His Majesty would grant His Royal Assent to such extirpation. Which we are so far from desiring and endeavouring, that we hold it our bounden duty by our daily prayers to beg at the hands of Almighty God, that He would not for our sins suffer the King to do an act so prejudicial to his honour and conscience, as to consent to the rooting out of that estate, which by so many branches of his Coronation Oath^o he hath in such a solemn manner sworn by the assistance of God to his power to maintain and preserve.

3°. By the Laws of this Land, the Collation of Bishoprics^p and Deaneries,^q the fruits and profits of their lands and revenues^r during their vacancies, the firstfruits and yearly tenths^s out of all Ecclesiastical Promotions, and sundry other Privileges, Profits, and Emoluments, arising out of the State Ecclesiastical, are established in the Crown, and are a considerable part of the Revenues thereof; which, by the extirpation of Prelacy, as it is in the Article expounded, or by

ⁿ 'They infuse into the people, that we mean. . . . to leave every man to his own fancy absolving him of that obedience which he owes under God unto His Majesty, whom we know to be entrusted with the Ecclesiastical Law, as well as with the Temporal.' Exact Collection, ubi supra, p. 19. [See Note ^l, p. 398.]

^o 'That he will grant, keep, and confirm the Laws, Customs, and Franchises, granted to the Clergy by the glorious King St. Edward. And that he will grant and preserve unto the Bishops, and to the Churches committed to their charge, all Canonical Privileges and due Law and Justice; and that he will protect and defend them, as every good King in his Kingdom ought to be Protector and Defender of the Bishops and the Churches under their Government.' Vide Exact Collec-

tion, pp. 290, 291.

^p See Stat. 25 Hen. VIII. cap. 20. [An Act for the Non-payment of Firstfruits to the Bishop of Rome.] and 1 Edw. VI. cap. 2. [An Act for the Election of Bishops.]

^q See Stat. 39 Eliz. cap. 8. [An Act concerning the confirmation and establishment of the Deprivation of divers Bishops and Deans, in the beginning of Her Majesty's reign.]

^r Stat. 14 Edw. III. cap. 4. [How the Temporalities of Bishops shall be used in time of Vacation.] and cap. 5. [Who shall demise Bishops' Temporalities during the time of Vacation.] and 17 Edw. III. cap. 14.

^s Stat. 26 Hen. VIII. cap. 3. [The Bill for the Firstfruits, with the yearly Pensions to the King.] and 1 Eliz. cap. 4. [An Act for the Restitution of the Firstfruits to the Crown.]

pariter et intentio, quod utrumque palam diffitentur,^p absolventi nos a vinculo illius obedientiae, quae post unum Deum Regiae Majestati debetur, cujus fidei concreditam esse Juris Ecclesiastici tutelam non est ipsis ignotum.

2°. Non potest Ecclesiastici Regiminis extirpatio a nobis sincere et serio attentari, sine sincero etiam animi nostri voto et serio conatu, ut istiusmodi extirpationi Regius accedat Consensus. Quae a nobis tantum abesse profiteamur, ut officii nostri esse putemus, precibus apud Deum Optimum Maximum obnixè contendere, ne, nostris peccatis offensus, Regem sinat cum honoris et conscientiae naufragio in extirpationem ejus status consentire, ad quem pro virili, Deo adjuvante, tuendum et conservandum in variis Juramenti Coronationis suae articulis tam sollemniter conceptis verbis semet obligavit.^q

3°. Legibus hujus Regni Episcopatum^r et Decanatum collationes,^s terrarum reddituumque ad eos pertinentium tempore vacantiae fructus universi et proficua,^t omnium Beneficiorum et Dignitatum Ecclesiasticarum Primitiae et Decimae,^u cum aliis privilegiis, commoditatibus, et emolumentis quae e statu Ecclesiastico proveniunt plurimis, in Corona hujus Regni stabilita sunt; suntque Regionum reddituum non exigua pars. Quae omnia, abolito Regimine Praelatico, juxta ejus vocis in ipso Article expressam et subsequente praxi ulterius confir-

^p Infundunt populo suspicionem nobis propositum esse, suae quemque clientiae permittere ab illa Obedientia eum absolventes quam sub Deo Regiae Majestati debet, cui Jus Ecclesiasticum aequè ac Civile concreditum esse scimus. Remonstr. 15 Decemb. 1641. Exact. Collect. p. 19.

^q Se concessurum, conservaturum et confirmaturum Leges, Consuetudines, et Libertates a glorioso Rege Sancto Edvardo Clero concessas; et se concessurum et conservaturum Episcopis et Ecclesiis eorum curae

commissis omnia canonica privilegia, et debitam legem, atque justitiam, protecturumque et defensionem exhibiturum sicut Rex in suo Regno unicuique Episcopo et Ecclesiis ei commissis de jure exhibere debet.

^r Vide Stat. 25 Henr. VIII. cap. 20. et 1 Edw. VI. cap. 2.

^s Stat. 39 Eliz. cap. 8.

^t Stat. 14 Edw. III. capp. 3 et 5. 17 Edw. III. cap. 14.

^u Stat. 26 Henr. VIII. cap. 3. et 1 Eliz. cap. 4.

subsequent practice evidenced, will be severed and cut off from the Crown, to the great prejudice and damage thereof. Whereunto as we ought not in common reason, and in order to our allegiance as Subjects, yield* our consent, so having sworn expressly to maintain the King's honour and estate, and to our power to assist and defend all jurisdictions, &c. belonging to his Highness, or united and annexed to the Imperial Crown of the Realm, we cannot without manifest Perjury, as we conceive, consent thereunto.

4^o. The Government of this Realm being confessedly an Empire or Monarchy,^t and that of a most excellent temper and constitution, we understand not how it can become us to desire or endeavour the extirpation of that Government in the Church, which we conceive to be incomparably of all other the most agreeable, and no way prejudicial to the state of so well a constituted Monarchy. Insomuch as King James would often say, what his long experience had taught him, 'No Bishop, no King.'† Which aphorism, though we find in sundry Pamphlets of late years to have been exploded with much confidence and scorn, yet we must profess to have met with very little in the proceedings of the late times to weaken our belief of it. And we hope we shall be the less blamed for our unwillingness to have any actual concurrence in the extirpating of Episcopal Government; seeing of such extirpation there is no other use imaginable, but either the alienation of their revenues and inheritances, which how it can be severed from sacrilege and injustice we leave others to find out: or to make way for the introducing of some other form of Church Government: which, whatsoever it shall be, will, as we think, prove either destructive of and inconsistent with Monarchical Government, or at leastwise more prejudicial to the

* 'ought not . . . yield.' Compare the ellipse of 'to,' in Sermon iii. ad Populum, §. 18.

^t Rex . . . supremam potestatem et merum imperium apud nos habet. Camden. [Britannia, p. 118. Lond. 1607.] Whereas by sundry divers old authentic Histories and Chronicles it is manifestly declared and expressed, that this Realm of England is an Empire, and so hath

been accepted in the world, governed by one Supreme Head and King, having the Dignity and Royal Estate of the Imperial Crown of the same. Stat. 24 Hen. VIII. cap. 12. [For the Restraint of Appeals.] See also 1 Eliz. cap. 3. [An Act for Recognition of the Queen's Highness to the Imperial Crown of this Realm.]

† Compare Vol. v. p. 163.

matam explicationem, a Corona in grave ejus damnum et detrimentum abscissa erunt et avulsa. Cui rei ne consensum nostrum praebeamus, sicut communis aequitatis, atque ejus quae subditos decet fidelitatis lege prohibemur, sic ad Regiae Majestatis decus et statum tuendum,^x et ad propugnandum atque defendendum^y, quantum in nobis est, omnes et omnimodas Jurisdictiones ad ipsum spectantes, aut Imperiali hujus Regni Diademati conjunctas et annexas, sub voti Jurisque jurandi religione solenniter obligati, censemus nos non posse sine manifesti Perjurii crimine consentire.

4^o. Quum sit Regni hujus constitutio *ὁμολογουμένως* Monarchica et Imperialis,^z eaque Administrationis atque Regiminis commodissime temperati, mente nondum satis assequi valeamus, quî nos decere possit, ejus Regiminis Ecclesiastici formae extirpationem attentare, vel etiam expetere, quam caeteris formis omnibus tam probe constitutae Monarchiae conditioni multo accommodatiorem esse existimamus, et cum ipsius periculo vel praejudicio aliquo omnium minime conjunctam. Hinc felicis recordationis Regi Jacobo illud crebro in ore fuisse accepimus, quod eum longus rerum usus docuerat, ‘Episcopus nullus, Rex nullus.’ Exagitarunt quidem hoc prudentissimi Regis dictum fidenter satis et petulanter, editis scripturiente hac tempestate libellulis bardi nonnulli et arrogantes scioli. Caeterum res infra paucos annos publice gestas mente recolentibus, paucissima nobis occurrisset profiteremur, quae apud nos ejus aphorismi fidem elevent. Speramus etiam aliquanto nos mitiore censura notandos, quod ad Episcopale Regimen exstirpandum active concurrere subvereamur, quum quo tendat ea exstirpatio, ne cogitari quidem possit, nisi aut alienandis Episcoporum terris et redditibus, quod ut possit a sacrilegio et injuria dividi, aliis divinandum relinquimus, aut ut alteri cuivis Ecclesiastici Regiminis formae introducendae via struatur. Quae qualiscunque demum futura est, eam Imperio Monarchico vel prorsus *ἀσύστατον* fore auguramur, vel saltem tranquillae, legitimae, et

^x Vide Protestat.

^y Vide Juramentum Suprematus.

^z Supremam potestatem et merum Imperium apud nos habet Rex. Camden. in Britan. Quandoquidem variis antiquis atque authenticis Historiis et Chronicis manifeste dicitur et declaratur, Regnum hoc

Angliae Imperium esse, itaque toto orbe habitum fuisse, ab una supremo Capite et Rege gubernatum, Imperialis ejusdem diadematis dignitatem et Regalem statum habente. Stat. 24 Henr. VIII. cap. 12. Vide etiam Stat. 1 Eliz. capp. 1, 2, 3. ac passim.

peaceable, orderly, and effectual exercise thereof, than a well-regulated Episcopacy can possibly be.

SECT. V.

Of the other parts of the Covenant.

Having insisted the more upon the two first Articles, that concern Religion and the Church, and wherein ourselves have a more proper concernment, we shall need to insist the less upon those that follow, contenting ourselves with a few, the most obvious, of those many, great, and, as we conceive, just exceptions that lie thereagainst.

I. In the third Article, we are not satisfied that our endeavour to preserve and defend the King's Majesty's Person and Authority is so limited, as there it is by that addition, 'In the preservation and defence of the true Religion and Liberties of the Kingdom.' Forasmuch as

i. No such limitation of our duty in that behalf is to be found, either in the Oaths of Supremacy and Allegiance, which no Papist would refuse to take with such a limitation, nor in the Protestation, nor in the Word of God.

ii. Our endeavour to preserve the rights and privileges of Parliaments, and the Liberties of the Kingdoms, is required to be sworn of us in the same Article, without the like or any other limitation added thereunto.

iii. Such limitation leaveth the duty of the Subject at so much looseness, and the safety of the King at so great uncertainty, that whensoever the people shall have a mind to withdraw their obedience, they cannot want a pretence from the same for so doing.

iv. After we should, by the very last thing we did, viz. swearing with such a limitation, have made ourselves guilty of an actual and real diminution, as we conceive, of His Majesty's just power and greatness, the obstestation would seem very unseasonable, at the least, with the same breath to call the world to bear witness with our consciences that we had no thoughts or intentions to diminish the same.

v. The swearing with such a limitation is a testimony of the Subject's Loyalty, to our seeming, of a very strange nature; which, the principles of their several Religions salved, the conscience of a most resolute Papist or Sectary may securely

efficaci ejus Imperii administrationi magis adversariam, quam modestis finibus circumscriptum Episcopale dominium.

SECT. V.

De reliquis Foederis Articulis.

Haesimus in superioribus Articulis paulo longius: qui, quod ad Religionem et Sacra pertinerent, ad nos etiam propius spectare videbantur. Qui supersunt Articulos levioere pede percurremus, contenti e plurimis quae objici possent, iisque, ut nobis videntur, gravissimis, pauca quaedam eorum quae magis obvia sunt delibasse.

I. In tertio Articulo moleste nos habet, nostrum de conservanda et defendenda Regiae Majestatis persona et auctoritate studium, adjecta illa limitationis clausula, 'in conservatione et defensione verae Religionis et Libertatum Regni,' ita contrahi et in arctum cogi.

Quandoquidem,

i. Nulla officii nostri hac ex parte limitatio, vel in Juramentis Suprematus et Fidelitatis, quae Juramenta cum ea limitatione ne Papista quivis praestare recusaret, vel in Solenni Protestatione, vel in Dei Verbo reperitur.

ii. Studium nostrum pro conservandis juribus et privilegiis Parlamenti, Regnorumque Libertatibus, sine ulla limitatione in eodem Articulo jurandum exigitur.

iii. Ista limitatio, Subditi obsequium ita in vago, Regis salutem ita in incerto relinquit, ut quandocumque populo colubitum fuerit debitam Regiae Majestati obedientiam subtrahere, deesse vel inde non potuerit quod inobedientiae suae praetexant.

iv. Post contractum ex eo quod novissime a nobis factum est, praestito nimirum cum hac limitatione Juramento, immunitae ipso facto ejus quae Regiae Majestati debetur potestatis et amplitudinis reatum, importuna admodum res videri posset, eodem quasi halitu ad universum terrarum orbem provocare, ut attestentur conscientis nostris, nullum nobis eam imminuendi animum vel intentionem affuisse.

v. Videtur esse limitata haec juratio, fidelitatis in subditis testimonium novae sane et stupendae naturae: quod, salvis cuique Religionis suae principiis, posset vel pertinacissimi Papistae, Haeretici, aut Sectarii conscientia secure deglutire; non

swallow, and the conscience of a good Protestant cannot but strain at.

II. In the fourth Article,

i. We desire it may be considered, whether the imposing of the Covenant in this Article do not lay a necessity upon the son of accusing his own father, and pursuing him to destruction, in case he should be an Incendiary, Malignant, or other evil Instrument, such as in the Article is described. A course which we conceive to be contrary to Religion, Nature, and Humanity.

ii. Whether the swearing according to this Article doth not rather open a ready way to children that are sick of the father, husbands that are weary of their wives, &c, by appealing such as stand between them and their desires of Malignancy, the better to effectuate their unlawful intentions and designs.

iii. Ourselves having solemnly protested to maintain the Liberty of the Subject, and the House of Commons having publicly declared against the exercise of an Arbitrary Power, with Order that their said Declaration should be printed and published in all the Parish Churches and Chapels of the Kingdom, there to stand and remain as a testimony of the clearness of their intentions; whether the subjecting of ourselves and brethren by Oath unto such punishments as shall be inflicted upon us, without law or merit, at the sole pleasure of such uncertain Judges as shall be upon any particular occasion 'deputed for that effect,' of what mean quality or abilities soever they be, even to the taking away of our lives, 'if they shall think it convenient so to do,' though the degree of our offences shall not require or deserve the same, be not the betraying of our Liberty in the lowest, and the setting up of an Arbitrary Power in the highest degree that can be imagined.

III. The substance of the fifth Article being the settling and continuance of a firm peace and union between the three Kingdoms, since it is our bounden duty to desire, and according to our several places and interests by all lawful means to

posset Catholici Protestantis conscientia sine aliqua nausea degustare.

II. In Articulo quarto, rogamus ut pauca haec mature cogitentur.

i. Annon imponat iste Articulus filio necessitatem, ut sit patris sui publicus delator, eumque, si forte sit Incendiarius, Malignans, aut alitercunque ejus generis malum instrumentum, quale istic describitur, ad interitum usque et mortem persequatur? Quod ab omni Naturae, Religionis, Humanitatis jure, videtur esse prorsus alienum.

ii. Annon aperiatur isto parricidiis, uxoricidiis, aliisque id genus nefariis facinoribus lata fenestra? Quum possint Foederis sui praetextu liberi parentibus, mariti uxoribus, cognati propinquis, &c, necem struere: scilicet si Malignitatis insimulare volent eos, qui velut obices sunt suarum cupiditatum; quo consilia sua, quantumvis impia, sacri hujus Foederis obtentu, facilius et securius adimpleant.

iii. Quum solenni Protestatione ad tuendam Subditorum Libertatem nos obligaverimus, et Procuratores Plebis Domus Inferioris Parlamenti omne Arbitrarie Potestatis exercitium publica sua Declaratione damnaverint, quam Declarationem in singulis hujus Regni Ecclesiis et Capellis et publice legi jusserunt, et lectam ibidem affigi atque remanere, in perpetuam rei memoriam, et in testimonium sinceritatis et integritatis suarum intentionum,—annon subjectio nostrique ipsorum, fratrumque et popularium nostrorum, idque praestito Juramento, ad quaevis supplicia perferenda, sine lege, sine merito, pro mero arbitrio Judicum etiam incertorum, videlicet qui pro data occasione ad id munus ea vice exsequendum, a quibus tamen incertum, deputati fuerint, nulla prorsus habita loci, conditionis, fortunarum, existimationis, aut peritiae ratione; ne capitis quidem supplicio excepto, modo id ipsis videbitur expedire, scilicet, (nihil enim amplius in isto Articulo ad noxam requiritur) etiamsi delicti modus tam grave supplicium non mereatur,—annon sit, inquit, istiusmodi subjectio, Libertatis nostrae foedissima proditio, inque ejus locum Tyrannidis καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν arbitrarie substitutio?

III. Articuli quinti summa quum sit, de pace et unionem trium Regnorum firmanda et conservanda, quam nos omni legitima ratione, pro nostro cujusque loco et conditione procu-

endeavour the same, we should make no scruple at all to enter into a Covenant to that purpose, were it not

i. That we do not see, nor therefore can acknowledge 'the happiness of such a blessed peace between the' three 'Kingdoms,' for we hope Ireland is not forgotten, as in the Article is mentioned, so long as Ireland is at war within itself, and both the other Kingdoms engaged in that war.

ii. That since no peace can be firm and well-grounded that is not bottomed upon justice, the most proper and adequate act whereof is, *Jus suum cuique*, to let every one have that which of right belongeth unto him, we cannot conceive how a firm and lasting peace can be established in these Kingdoms, unless the respective Authority, Power, and Liberty of King, Parliament, and Subject, as well every one as other, be preserved full and entire, according to the known Laws and continued unquestioned customs of the several Kingdoms in former times, and before the beginning of these sad distractions.

IV. In the sixth Article we are altogether unsatisfied.

i. The whole Article being grounded upon a supposition which hath not yet been evidenced to us, viz. that 'this Cause,' meaning thereby, or else we understand it not, the joining in this Covenant of mutual defence for the prosecution of the late War, was the Cause of Religion, Liberty, and Peace of the Kingdoms; and that it so much concerned the Glory of God, and the good of the Kingdoms, and the honour of the King.

ii. If all the premisses were so clear that we durst yield our free assent thereunto, yet were they not sufficient to warrant to our consciences what in this Article is required to be sworn of us, unless we were as clearly satisfied concerning the lawfulness of the means to be used for the supporting of such a Cause. For since evil may not be done that good may come thereof, we cannot yet be persuaded, that the Cause of Religion, Liberty, and Peace may be supported, or the Glory of God, the good of the Kingdoms, and the honour of the King sought to be advanced by such means as, to our best understandings, are both improper for those ends, and destitute of all warrant from the Laws either of God or of this Realm.

V. Lastly, in the Conclusion, our hearts tremble to think that we should be required to pray, that 'other Christian

rare, et ex officio tenemur, et ex animo cupimus, in eam quidem Foederis partem libentissime nos juraturos profiteremur. Nisi quod,

i. Nobis nondum videre contigit, proinde nec agnoscere licet, eam, cujus in Articulo mentio fit, 'beatissimae pacis inter' tria 'Regna' (Hiberniam enim esse apud eos aliquo in numero confidimus) felicitatem: dum Hibernia bello intestino laborat, et eodem bello altera duo Regna implicita manent.

ii. Quandoquidem non potest solide firmari pax, cujus non sit justitia basis, justitiaeque maxime proprius et adaequatus actus est suum cuique tribuere, nobis vix credibile est, tribus hisce Regnis firmam et stabilem pacem restitui posse, nisi ex aequo Regis, Parlamenti, atque Subditorum, Auctoritas, Potestas et Libertas integrae et inviolatae conserventur, juxta cujusque Regni Leges publicas, et indubitatas Consuetudines, prout pacatoribus retro temporibus, et ante exortas has turbas, usu receptae fuerant.

IV. Articulus sextus conscientiis nostris nulla ex parte satisfacit.

i. Quia totus Articulus in hypothesi fundatur, quam nulla solida demonstratione hactenus firmatam vidimus, viz. 'Causam hanc,' nempe (si rectam ejus vocabuli sententiam assecuti sumus) hoc mutuae defensionis Foedus nuperi belli persequendi gratia susceptum, Causam esse Religionis, Libertatis, et Pacis Regnorum, atque ad Dei Gloriam, Regnorum commodum, et Regis honorem tantopere spectare.

ii. Quia, si esset ista hypothesis ita manifesta ut ei prompte assentire possemus, non tamen satis esset in illa praesidii ad conscientiae nostrae securitatem, ut propterea in reliquam Articuli partem tuto jurari posset, nisi liquido etiam constaret, media ad ejusmodi causae defensionem adhibenda esse indubie licita. Quum enim non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, nobis nondum persuasum est satis, Causam Religionis, Libertatis, et Pacis sustineri debere, vel Dei Gloriam, commodum Regnorum, et honorem Regis iis mediis promoveri, quae non sunt, judicio nostro, iis finibus accommodata et opportuna, quaeque sunt omni quod scimus Legum divinarum et humanarum praesidio penitus destituta.

V. In ipsa denique Conclusionem, horrent animi quoties cogitamus, a singulis foederatis Deo preces esse offerendas,

Churches might be encouraged by our example to join in the like Association and Covenant, to free themselves from the Antichristian yoke,' &c. Wherein

i. To omit that we do not know any 'Antichristian yoke' under which we were held in these Kingdoms, and from which we owe to this either War or Covenant our freedom, unless by the Antichristian yoke be meant Episcopal Government, which we hope no man that pretendeth to Truth and Charity will affirm,

ii. We do not yet see in the fruits of this Association or Covenant among ourselves any thing so lovely, as to invite us to desire, much less to pray, that other Christian Churches should follow our example herein.

iii. To pray to the purpose in the conclusion of the Covenant expressed, seemeth to us all one in effect as to beseech Almighty God, *the God of love and peace,*

1^o. To take all love and peace out of the hearts of Christians, and to set the whole Christian world in a combustion.

2^o. To render the Reformed Religion, and all Protestants odious to all the world.

3^o. To provoke the princes of Europe to use more severity towards those of the Reformed Religion; if not, for their own security, to root them quite out of their several dominions.

4^o. The tyranny and yoke of Antichrist, if laid upon the necks of Subjects by their lawful Sovereigns, is to be thrown off by Christian boldness in confessing the Truth, and patient suffering for it; not by taking up arms, or violent resisting of the higher powers.

SECT. VI.

Some Considerations concerning the meaning of the Covenant.

Our aforesaid scruples are much strengthened by these ensuing considerations.

I. First, That whereas no Oath, which is contradictory to itself, can be taken without Perjury, because the one part of every contradiction must needs be false, this Covenant

‘caeterae quaeque Christianorum Ecclesiae nostro exemplo provocentur ad ejusmodi Associationem et Foedus ineundum, quo se a Jugo Antichristiano liberent,’ &c. In qua Conclusionem,

i. Misso quod, de Jugo Antichristiano, quo in his Regnis premebamur, et a quo istius seu Belli seu Foederis beneficio liberati sumus, nihil quidquam nobis compertum sit, nisi quis forte ea appellatione Episcopale Regimen significari putet, quod eorum qui Veritatis et Charitatis cultores audire amant, speramus affirmaturum neminem,

ii. Nihil dum domi deprehendere visi sumus, inter fructus istius Associationis sive Foederis, tam venustum et amabile, ut propterea sit exoptandum, multo minus precibus expetendum, ut aliae Christianorum Ecclesiae nostrum hac in re exemplum imitentur.

iii. Immo vero in eam sententiam Deum precari, perinde nobis esse videtur, ac si Deum Optimum Maximum, *pacis et dilectionis Deum*, obsecrare velimus,

1^o. Ut vulso radicitus e cordibus Christianorum omni pacis et dilectionis studio, toto Christiano Orbe bellorum et simultatum incendia passim grassentur :

2^o. Ut Religio Reformata, cum ipso Protestantium nomine, universo Orbi exosa reddatur.

3^o. Ut admoneantur Principes Europaei, Protestantes durius tractandos ; vel etiam potius, si se incolumes esse velint, ditioribus suis penitus exigendos.

4^o. Antichristi Jugum, si a legitimis Potestatibus Subditorum cervicibus fuerit impositum, non vi et armis, et divinae ordinationi resistendo, excutiendum esse censemus, sed Christiana fortitudine, quae in Veritatis intrepida confessione, et tolerantia Crucis consistit, perferendum.

SECT. VI.

De Foederis sensu, sive interpretatione, Dubia quaedam.

Rationibus supra dictis ulterius confirmandis, ex his quae proxime sequuntur observationibus accedit non leve momentum.

I. Primo, non potest Juramentum sine perjurio praestari, quod continet in se contradictoria ; quia alteram contradictionis partem necesse est esse falsam. Foedus autem istud vel

either indeed containeth, or at leastwise, which to the point of Conscience is not much less effectual, seemeth to us to contain sundry contradictions : as namely, amongst others, these :

i. To preserve as it is, without change, and yet to reform and alter, and not to preserve, ‘ one and the same Reformed Religion.’

ii. Absolutely and without exception to preserve, and yet upon supposition to extirpate the selfsame thing, viz. the present Religion of the Church of Scotland.

iii. To reform Church Government established in England and Ireland, according to the Word of God, and yet to extirpate that Government which we are persuaded to be according thereunto, for the introducing of another whereof we are not so persuaded.

iv. To endeavour ‘ really the extirpation of Heresies, Schisms, and Profaneness;’ and yet withal to extirpate that Government in the Church, the want of the due exercise whereof we conceive to have been one chief cause of the growth of the said evils ; and do believe the restoring and continuance thereof would be the most proper and effectual remedy.

v. ‘ To preserve with our estates and lives the Liberties of the Kingdom :’ that is, as in the Protestation is explained, of the Subject ; and yet, contrary to these Liberties, to submit to the imposition of this Covenant, and of the Negative Oath, not yet established by Law, and to put our lives and estates under the arbitrary power of such as may take away both from us when they please, not only without, but even against Law, ‘ if they shall judge it convenient so to do.’

II. Secondly, we find in the Covenant sundry expressions of dark or doubtful construction, whereunto we cannot swear *in judgment* till their sense be cleared and agreed upon. As, who are the Common Enemies ? and which be the best Reformed Churches ? mentioned in the first Article. Who, in the fourth Article, are to be accounted Malignants ? how far that phrase of hindering Reformation may be extended ? what is meant by the supreme Judicatory of both the Kingdoms ? and sundry other.

III. Thirdly, By the use that hath been made of this

revera continet, vel saltem (quod ad conscientiae munus perinde est,) nobis videtur, aliquam-multas* continere contradictiones. Inque eis, istas :

i. Unam eandemque Religionem Reformatam conservare, id est, non mutare; et reformare, id est, immutare, et non conservare.

ii. Unam eandemque numero rem, viz. praesentem Ecclesiae Scoticae Religionem, simpliciter et absolute conservare, et ex hypothesi tamen extirpare.

iii. Regimen Ecclesiasticum in Ecclesiis Angliae et Hiberniae Legibus constitutum, ad Verbi Dei praescriptum reformare, et eam tamen Regiminis formam, quam Dei Verbo consentaneam judicamus, extirpare, ut alia, de qua non ita persuasi sumus, ejus vice substituatur.

iv. Exstirpandis Haeresibus, Schismati, atque Impietati seriam navare operam, et Regimen Episcopale extirpare, ex cujus intermissione praecipue praedicta mala in tantum excrevisse, cujusque restitutionem atque exercitium, eorundem malorum commodissimum et efficacissimum remedium fore, arbitramur.

v. Libertates Regni, sive, ut habent Protestationis verba, Libertatem Subditorum, cum capitis fortunarumque nostrarum discrimine conservare; et tamen contra eam Libertatem, non istoc modo Foedus et Juramentum Negativum, nulla Lege imperata in nos admittere; sed et capita quoque nostra et fortunas aliorum potestati permittere, qui de utrisque praeter jura, immo et contra jura, pro suo arbitrio statuere poterint, duntaxat si ut ita fiat ipsis videbitur expedire.

II. Secundo, permultae occurrunt in hoc Foedere voces et locutiones valde obscurae, et sensus ambigui, in quas jurari non potest *cum judicio*, donec de earum sententia certi aliquid constiterit. Exempli gratia: in primo Articulo, qui sint hostes communes? et quae optime Reformatae Ecclesiae? In quarto, qui sint pro Malignantibus habendi? quoad extendi debeat et possit quod ibidem de Reformatione impedienda dicitur? quod sit utriusque Regni Judicium supremum? et alia hoc genus compluria.

III. Tertio, quum inflecti saepius verba Foederis animadver-

* 'aliquam-multas' is used by Sanderson, cap. iii. §. 7. of the Appendix Posterior to the Logicae Compendium.

Covenant, sometimes to purposes of dangerous consequence, we are brought into some fears and jealousies, lest by taking the same we should cast ourselves into more snares than we are yet aware of. For in the First Article,

i. Whereas we are ‘to endeavour the Reformation of Religion in this Kingdom in Doctrine, Worship, Discipline, and Government, according to the Word of God and the example of the best Reformed Churches,’

1^o. The Reformation in Worship, whereby we could not suppose any more was intended, according to their former Declaration,^u than a review of the Service Book, that the Translations might be in some places amended, some alterations made in the Offices and Rubrics; or at most some of the Ceremonies laid aside for the reasons of expediency and condescension, hath produced an utter abolition of the whole Form established, without substituting any other certain Form in the room thereof.

2^o. The Reformation in point of Discipline and Government intended, so far as by the overtures hitherto made we are able to judge, is such, as we conceive not to be according to the Word of God, nor, for any thing we know, according to the example of any Church that ever was in the World, best or worst, since the Creation.

ii. In the Second Article, our grief and fears had been less, if we could have observed ‘the extirpation of Popery, Heresy, Schism, and Profaneness,’ to have been as really intended, and set on with as much speed and animosity, as the extirpation of Prelacy, and that which some call Superstition. But when we see, under the notions of rooting out Prelacy and Superstition, so much quickness used to fetch in the revenues of the Church, and the sacred utensils, no otherwise guilty of Superstition, for ought we know, than that they are worth something; and on the other side, so little yet done toward the

^u The Lords and Commons do declare, that they intend a due and necessary Reformation of the Liturgy of the Church, and to take away nothing therein but what shall

be evil and justly offensive, or at least unnecessary and burthensome. Declaration, 9 April, 1642. Exact Collection, p. 135. [See above, p. 382.]

terimus, et miris interpretationibus aliorum quam nobis sonare videbantur incurvari, ut quorundam hominum placitis consiliisque, non semper optimis, inservirent, metuendum nobis videtur, ne Foedus ineundo in eos nos laqueos incauti conjiciamus, unde non sit integrum ubi voluerimus pedem referre.

i. Ubi enim in Primo Articulo agitur de Religione in hoc Regno reformanda, 'quoad Doctrinam, Cultum, Disciplinam, et Regimen, juxta Dei Verbum et optime Reformatarum Ecclesiarum Exemplum:'

1^o. Reformatio 'quoad Cultum,' qua nihil amplius intendi posse et ex verbis ipsis, et publicata Declaratione^a ipsorum adducti putabamus, quam accuratiorem aliquam publicae Liturgiae perlustrationem; ut sicubi opus esset Translationes Biblicae emendarentur, in Officiis et Rubricis quaedam immutarentur, aut ad summum e Ritibus adiaphoris aliquot qui scilicet parum essent ad gustum populi, ex quadam *συγκαταβάσει* prudenter summoventur, exiit tandem in meram totius Formae Legibus constitutae abolitionem, nulla interim alia, quae in ejus locum succederet, certa forma substituta.

2^o. Disciplinae et Regiminis, quam jamdiu parturiunt, Reformationem, quantum ex signis earum rerum quae hactenus gestae sunt divinare fas est, ea nec consona nobis videtur Dei Verbo, nec est certe cujusvis Ecclesiae, optimae pessimaeve, a mundo condito, quod scimus, exemplo conformis.

ii. In Articulo Secundo, minor profecto nos tenuisset et dolor et metus, si Papismi, Haeresis, Schismatis, et Impietatis exstirpationem paribus studiis, celeritate, animorumque et nervorum contentione agitari vidissemus, atque Praelaturae et ejus rei, quam Superstitionem si placet vocari volunt, exstirpationem agi vidimus. Caeterum quum animadvertamus ex una parte, Praelaturae et Superstitionis tollendae obtentu, quorundam hominum praematuram satagentiam, in redditibus Ecclesiasticis et vasis sacris (Superstitionis non alio nomine reis, nisi quod alicujus pretii sint) inuncandis et converrendis; ex altera parte ferocium istorum Reformatorum, in Haeresi, Schismate, et Impietate, ut minoris compendii rebus, exstirpandis, miram lenti-

^a Proceres et Plebs declarant se Ecclesiasticae Liturgiae justam ac necessariam reformationem intendere, nec aliquid in ea tollere, nisi quod malum fuerit, et merito offen-

dere possit, aut quod saltem minus necessarium fuerit et onerosum. Declaration, 9 April, 1642. Exact Collection, p. 135.

extirpation of Heresy, Schism, and Profaneness, as things of less temporal advantage, we cannot dissemble our suspicion, that the designers of this Covenant might have something else before their eyes, besides what in the beginning of the introduction is expressed; and that there is something meant in this Article that looketh so like sacrilege, that we are afraid to venture thereon.

iii. In the Third Article,

1°. Although we should not otherwise have apprehended any matter of danger or moment in the ordering of the particulars in the Article mentioned, yet since Mr. Chaloner in his Speech,* and others have made advantage thereof to infer from that very order, that the defence of the King's Person and Authority ought to be with subordination to the preservation of the Rights and Privileges of Parliaments, and the Liberties of the Kingdom, which are in the first place,^x and before it to be endeavoured; we hope we shall be excused, if we dare not take the Covenant in this sense; especially, considering that if the argument be of any force, it will bind us at least as strongly to endeavour the maintenance of the King's Person, Honour, and Estate in the first place, and the rest but subordinately thereunto, because they are so ordered in the Protestation: And then, that Protestation having the advantage of preceding, it will bind us more strongly, as being the first Obligation.†

2°. Whereas some have been the rather induced to take the Covenant in this particular by being told, that that limitation, 'in the preservation and defence of the true Religion and Liberties of the Kingdoms,' was not to be understood exclusively: yet when we find that the House of Commons in

* 'Made in the House of Commons the 26th day of October 1646, upon the reading of the Scottish papers the same day, in reply to the Votes of both Houses of Parliament of the 24th of September concerning the disposal of the King's person.' 4to. London, 1646, under the Title of 'An Answer to the Scotch papers delivered in the House of Commons in reply, &c,' as above.

^x 'From whence it is most evident, that the Rights and Privileges

of the Parliaments and Liberties of the Kingdoms are in the first place to be preserved.' Answer to Scottish Papers, 18 Nov. 1646. page 21. [The Answer of the Commons assembled in Parliament to the Scots Commissioners' Papers of the 20th, and their Letter of the 24th of October last, 28 November, 1646. 4to. Lond. Dec. 4. 1646.]

† Compare De Conscientiæ Obligatione, Praelect. v. §. 9. p. 98 of this Volume.

tudinem et supinam indiligentiam, ut in illo opere ferveant, in hoc frigeant : dissimulare profecto nequiquam valemus mentis nostrae suspicionem, habuisse Foederis hujus architectos aliud quidpiam ob oculos, praeter ea quae initio Praefationis ab eis memorata sunt ; et in hoc Articulo latitare aliquid, quod sacrilegio tam sit affine, ut tutissimum esse putemus ab eo utcunque abstinere.

iii. Ad Articulum Tertium quod attinet,

1^o. Etsi quo quidque eorum quae ibi recitantur ordine collocetur, nobis videri posset alias magni nec momenti res nec periculi, postquam tamen, in oratione sua Parlamentaria, Chalonerus cum aliis, tanti eam rem fecerint, ut inde argumentum extuderint, ex eo probare conati, Regiae personae et auctoritatis defensionem, conservationi Jurium et Privilegiorum Parlamenti, et Libertatem Regni posthabendam esse, quod haec in Foedere priorem locum obtineat, illa posteriorem^b : condonabunt nobis, uti speramus, omnes boni, si in illa Foederis verba ita intellecta jurare pertimescamus. Praesertim si cogitent, si obtinere debeat argumentum a mero ordine ductum, non minus valide ex adversa parte deduci posse, Regis Personam, Dignitatem, et Statum primo loco tuenda esse, altera illa secundo, tertiove : nimirum sic postulante eo ordine, quo in Protestatione recensentur. Unde etiam ulterius sequetur quum Protestatio illa hoc Foedere antiquior sit, validiorem esse illius quam hujus obligationem : quia ‘ Obligatio prior semper praejudicat posteriori.’

2^o. Quandoquidem aliquos noverimus ad Foedus haec ex parte suscipiendum eo facilius adductos fuisse, quod diceretur illa Limitatio ‘ in conservatione et defensione verae Religionis, et Libertatum Regnorum’ non esse exclusive intelligenda, quoties tamen animadvertimus consessum Domus Inferioris

^b Unde liquidissime constat, Jura et Privilegia Parlamentorum, et Regnorum Libertates, esse primo loco conservandas. Answer to Scottish Papers, 18 November, 1646. p. 21.

their Answer to the Scottish Papers, do often press that limitation,^y as without which the endeavouring to preserve the King's Majesty's Person and Authority ought not to be mentioned, it cannot but deter us from taking the Covenant in this particular so understood.

3°. Especially being told in a late Pamphlet, that the King, not having preserved the Liberties of the Kingdom, &c, as of duty he ought, is thereby become a tyrant, and so ceaseth to be a King, and consequently that his Subjects cease to be Subjects, and owe him no longer subjection. Which assertion, since we heartily detest as false and scandalous in the supposition, and in the inference seditious and devilish, we dare not, by subscribing this Article, seem to give the least countenance thereunto.

4°. But it striketh us with horror to think what use hath been made of this Fourth Article, concerning the punishment of Malignants, &c, as by others otherwise, so especially the Corrector of a Speech without doors, written in the defence of Mr. Chaloner's Speech;* who is so bold as to tell the Parliament, 'that they are bound by their Covenant, for the bringing of evil Instruments to condign punishment, to destroy the King and his Posterity; and that they cannot justify the taking away of Strafford's and Canterbury's lives for Delin-

^y 'We observe, [that in this argument] you mention the defence of the King twice from the Covenant, yet in both places leave out [the words,] *in the preservation [and defence of the true Religion and Liberties of the Kingdoms,]* pp. 39 and 46, a main clause, without which the other part ought never to be mentioned.' p. 56.

* A Corrector of the Answerer to the Speech out of Doors, justifying the worthy Speech of Master Thomas Chaloner, a faithful member of the Parliament of England. 4°. Edinburgh, 1646. p. 7. 'But if it were agreed they had a joint and equal interest in the person of the King, and that they should differ about disposing of him, the Parliament of England justly resolving to punish him, and the Parliament of Scotland resolving to restore him to

his honour and authority, . . . admit the Parliament of England should understand that they were no ways bound to preserve his person, further than they found his person in the defence of the true Protestant Religion, the liberties of the People, and privilege of Parliament, as the Covenant doth manifestly imply (and could be justly taken in no other sense); but if they found him in the opposition of all those, and in the violent prosecution of all kinds of tyranny, oppression, and cruelty, are they not plainly bound by the same Covenant to bring him to condign punishment, as the chief of all delinquents? Can the death of Strafford, Canterbury, or any of the rest be justified, if he escape that set them on work, and hath infinitely transcended them in treasons against the Commonwealth?'

Parlamenti in responsione sua ad quaedam Scotorum scripta, hanc Limitationem aliquoties urgere, ut clausulam in primis necessariam,^c et sine qua Regiae Personae et Auctoritatis Defensio ne nominanda quidem sit; absterreri nos par est ab hoc Articulo Foederis, hoc saltem sensu, admittendo.

3°. Maxime quum in nuperrime edito libello rotunde asseratur, Regem ob non conservatas uti debuit Regni libertates, &c, in tyrannum degenerasse et Regem esse desiisse, proinde et Subditos ejus desiisse esse Subditos, nec ei observantiam aliquam ultra debere. Quam assertionem quum ex animo detestemur, ut in suppositione falsam et calumniatricem, in illatione vero seditiosam et diabolicam, absit ut in haec verba jurando, tam impiae assertioni vel in minimo favisse videamur.

4°. Sed enim Quarti Articuli de Malignantium, &c, punitione verba, meminisse piget, et recogitantibus horrescunt animi quanta cum audacia in atrocissimorum facinorum patrocinium inclinarint, cum alii aliter, tum is maxime, qui edito sub Correctoris titulo libello, Chalonerianae Orationis^d defensorem agit. Is *γυμνή τῆ κεφαλῆ** Parlamenti utriusque Domus Consessui denunciat, teneri eos virtute Foederis (qua nimirum parte malorum se instrumenta ad dandas commeritas poenas adducturos sponponderunt) Regem et universam Regiam sobolem funditus delere; nec posse idonea aliqua ratione defendi Straffordium et Cantuariensem ob Delinquentiae quod vocant cri-

^c Observamus vos Regiae Defensionis bis meminisse ex verbis Foederis, omitta utrobique illa clausula, IN CONSERVATIONE, &c. pp. 39, 40. . . Summi momenti clausula, sine qua reliqua Articuli pars citari

non debet, p. 56.

^d The Corrector of a Speech without Doors.

* '*γυμνή τῆ κεφαλῆ*.' Sanderson has used this phrase in the Preface to the Sermons, 1655, §. 12.

quency, whilst they suffer the chief Delinquent to go unpunished.'

SECT. VII.

Of the Salvoes.

The Salvoes that we have usually met withal, for the avoiding of the aforesaid scruples, either concerning the whole Covenant, or some particulars therein of special importance, we find upon examination to be no way satisfactory to our consciences.

I. The first is, that we may take the Covenant in our own sense; but this, in a matter of this nature, viz. an imposed promissory Oath, in the performance whereof others also are presumed to be concerned,

i. Seemeth to be,

1^o. Contrary to the nature and end of an Oath, which unless it be full of simplicity cannot be sworn *in truth and righteousness*, nor serve to the *ending of controversies and contradictions*, which was the use for which it was instituted, Heb. vi.

2^o. Contrary to the end of speech: God having given us the use of speech for this end, that it might be the interpreter of the mind, it behoveth us, as in all other our dealings and contracts, so especially where there is the intervention of an Oath, so to speak as that they whom it concerneth may clearly understand our meaning by our words.

3^o. Contrary to the end of the Covenant itself; which being the confirmation of a firm union among the Covenanters, that by taking thereof they might have mutual assurance of mutual assistance and defence, if one may be allowed to take it in one sense, and another in a contrary, the Covenanters shall have no more assurance of mutual assistance each from other after the taking of the Covenant than they had before.

4^o. Contrary to the solemn profession made by each Covenanter, in express terms in the conclusion thereof, 'in the presence of Almighty God, the Searcher of all hearts,' that he taketh it 'with a true intention to perform the same, as he shall answer it at the great Day.'

ii. This will bring a scandal upon our Religion,

men jure capite plexos, quamdiu Delinquentium Coryphaeum permittant esse impunitum.

SECT. VII.

De Salvis sive Effugiis.

Habent tamen viri, quam nobis licet esse, aliquanto prudentiores, quibus se adversum scrupulos praedictos universos vel saltem gravissimos tueantur, sua quaedam σοφὰ φάρμακα* et Effugia. Sed quae post debitum examen non deprehendimus esse ejusmodi, ut in eis tuto acquiescere possint conscientiae nostrae.

I. Primum κρησφύγετον generale est: 'posse quemlibet in verba Foederis jurare sensu proprio.' Atqui in Juramento promissorio ἐπακτῶ, in quo adimplendo et aliorum ratio habenda sit, id nullatenus videtur admittendum, sive rem ipsam intueamur, sive quod inde oriri possit scandalum.

Imprimis Res ipsa aperto repugnat,

1°. Jurisjurandi fini et usui. Cui nisi adsit simplicitas, non potest *in veritate et justitia* jurari; nec inserviet tale Juramentum *terminandis litibus, et tollendae contradictioni*, qui Juramenti finis proprius est. Hebr. vi.

2°. Fini sermonis proprio. Deus enim hominibus usum sermonis eo fine concessit, ut esset animorum interpres. Ergo oportet, sicut in omni conversatione et contractibus, ita vel maxime ubi Juramenti intervenit fides, sic uti sermone, ut ii quorum interest animi nostri sensa ex verbis intelligant.

3°. Fini istius ipsius Foederis. Quae quum sit stabilis inter partes conjunctionis assecuratio, ut ex mutuis promissis confirmatior sit invicem mutuae defensionis et auxilii fides, si cuique liberum fuerit suo sensu jurare, nempe uni hoc sensu, alteri diverso, nihilo major erit inito jam Foedere, quam nondum inito fuerat, mutui auxilii certitudo.

4°. Solemni denique professioni ejusque foederati. Qui in ipsius formulae conclusione, disertis verbis pronuntiat, idque 'coram Deo Optimo Maximo, omnium cordium scrutatore, se in illud foedus jurare cum sincera intentione id ipsum adimplendi,' &c.

ii. Quin et scandalum hic oritur non leve, data adversariis Religionis nostrae infamandi eam occasione, objiciendique,

* 'σοφὰ φάρμακα.' Compare Sermon v. ad Magistratum, §. 28.

1^o. That we practise that ourselves which we condemn in the Papist, viz. Swearing with Jesuitical equivocations and mental reservations.

2^o. That we take the glorious and dreadful Name of God in vain, and play fast and loose with Oaths, inasmuch as what we swear to day in one sense, we may swear the direct contrary to morrow in another. And

3^o. It will give strength to that charge which is laid to the Presbyterian party in special, both by Jesuits^z and Sectaries,^a that there is no faith to be given to Protestants, whatever they swear, because they may swear one thing in their words, and in their own sense mean another.

II. The second way is, to take the Covenant with these or the like general Salvoes expressed, viz. 'So far as lawfully I may;' 'So far as it is agreeable to the Word of God and the Laws of the Land;' 'Saving all Oaths by me formerly taken,' &c. But

i. We believe this mocking of God would be so far from freeing us from the guilt of Perjury, that thereby we should rather contract a new guilt of most vile and abominable Hypocrisy.

ii. It seemeth all one unto us, the thing being otherwise supposed unlawful, as if we should swear to kill, steal, commit adultery, or forswear ourselves, so far as lawfully we may.

iii. If this would satisfy the conscience, we might with a good conscience not only take the present Covenant, but even subscribe to the Council of Trent also, yea, and to the Turkish Alcoran; and swear to maintain and defend either of them, viz. so far as lawfully we may, or as they are agreeable to the Word of God.

III. Thirdly, for the second Article in particular, in the branch concerning the exstirpation of Church Government, we are told that it is to be understood of the whole Government,

^z De perfidia Haereticorum nemo dubitat, qui illos novit. Nec Deo, nec hominibus servant fidem. . . . Speciatim hoc addo, Calvinistas in hac re deteriores esse quam Lutheranos. Nam Calvinistae nullam servant fidem. Illorum axioma est, *Jura, perjura*. . . . Lutherani moderatiores sunt. Becan. Manual. Con-

trov. v. 14. §. 4. et §. 6.

^a Invent Oaths and Covenants for the Kingdom, dispense with them when he please, swear and forswear as the wind turns, like a godly Presbyter. Arraignment of [Mr.] Persecution, in Epist. Ded. [in the enlarged form of it given in the Second Edition.]

1°. Id ipsum a nobis fieri, quod in Pontificiis damnamus, viz. eludi Juramentorum fidem Jesuiticis aequivocationibus et mentalibus reservationibus.

2°. Tremendum Dei Nomen in vanum assumi, et Juramenta nobis rem ludicram esse; quibus quod uno sensu hodie juratum est, cras alio sensu, quod ei plane contrarium sit, jurare licebit.

3°. Omnino verissimum esse, quod Presbyterianis specialiter a Jesuiticis pariter et Sectariis^f objicitur, lubricam esse fidem Protestantium, quia aliud verbis palam prolatis, aliud sensu intus in pectore reservato, jurare sibi licere putant.

II. Secundum *κρησφύγετον* est etiam generale: Posse jurari cum adjecta tali aliqua clausula, 'Quatenus licite potero;' 'Quatenus Dei Verbo et Legibus Regni consentaneum est;' 'Salvis Juramentis prius a me praestitis,' &c. Verum enimvero,

i. Crassam hanc Dei illusionem, ab eo tantum abesse ut nos Perjurii crimine liberet, arbitramur, ut potius novo nos crimine implicet, foedae scilicet et execrandae hypocrisis.

ii. Nobis pariter hoc absurdum videtur; posito quod sit res ipsa alias et ex se illicita, ac si quis juraret, se homicidium, furtum, adulterium, perjurium, aut aliquid peccati genus, quatenus licite poterit admissurum.

iii. Si in ejusmodi Salvis acquiescere posset conscientia, liceret nobis libera conscientia non solum proposito jam Foederi consentire, sed et Concilii Tridentini Decretis, vel etiam Turcarum Alcorano subscribere, et ad utriusvis observationem defensionemque Juramento nosmet obligare: nimirum adjecta clausula, 'Quoad licebit;' 'Quatenus cum Dei Verbo congruunt;' 'Salva fide Christiana, et voto in Baptismate emisso,' &c.

III. Tertium *κρησφύγετον* Articulum secundum peculiariter respicit, qua parte de Regimine Praelatico extirpando agitur. Scilicet intelligendum esse Articulum de tota Hierarchia Ec-

^e Haeretici nec Deo, nec hominibus servant fidem. . . . Speciatim hoc addo, Calvinistas in hac re deteriores esse Lutheranis. Nam Calvinistae nullam servant fidem. Jura, perjura . . . Lutherani moderatiores sunt. Becan. 5. Manual. Controv.

cap. 14. num. 4 et 6.

^f . . . Invenire juramenta et foedera, in eisdem pro libitu suo dispensare, pii Presbyteri instar jurare et pejerare. Arraignment of Persecution, in Epist. Dedic.

taken collectively, and *in sensu composito*, so as if we do endeavour but the taking away of Apparitors only, or of any other one kind of inferior Officers belonging to the Ecclesiastical Hierarchy, we shall have sufficiently discharged our whole promise in that particular, without any prejudice done to Episcopacy. But

i. Neither the Composers of the Covenant by their words, nor the Imposers of it by their actions, have given us the least signification that they meant no more.

ii. Yea rather, if we may judge either by the cause or the effects, we may well think there was a meaning to extirpate the whole Government, and every part thereof, in the Article expressed. For

1^o. The Covenant being, as we have no cause to doubt, framed at the instance of the Scots, and for the easier procuring of their assistance in the late War, was therefore in all reason so to be framed and understood as to give them satisfaction; and, considering what themselves have declared against Episcopacy,^b we have little reason to believe the taking away Apparitors, or any thing less than the rooting out of Episcopacy itself, would have satisfied them.

2^o. The proceedings also since the entering of this Covenant, in endeavouring by Ordinance of Parliament to take away the name, power, and revenues of Bishops, do sadly give us to understand what was their meaning therein.

IV. Fourthly, as to the Scruples that arise from the Sovereignty of the King, and the Duty of Allegiance as Subjects, we find two several ways of answering, but little satisfaction in either.

i. The former, by saying, which seemeth to us a piece of unreasonable and strange Divinity, that Protection and Subjection standing in relation either to other, the King being

^b 'By the Covenant, both Houses of Parliament, and many thousands of other His Majesty's Subjects of England and Ireland, stand bound as well as we to hinder the setting up of the Church Government by Bishops in the Kingdom of Scotland; and that we as well as they stand bound to endeavour the extirpation thereof in England and

Ireland.' Scots Declaration to the States of the United Provinces, 5 Aug. 1645, recited in Answer to the Scots Papers, p. 23. [The Answer of the Commons assembled in Parliament to the Scots Commissioners' Papers of the 20th, and their Letter of October last. Ordered to be printed 28 Nov. 1646.]

clesiastica collective sumpta et in sensu composito. Ita ut si tollendis solum Apparitoribus, alteriusve cujusvis quantumlibet infimi ordinis Officiariis ab illa Hierarchia quomodolibet pendentibus, opera daretur, salvo interim Episcopatu, data tamen ex Articuli sententia fides utcunque exsolveretur.

i. Atqui Foederis istius nec Latores verbis, nec Delatores factis suis aliquod animi sui vel leve indicium dederunt, unde verisimile fiat, ex ipsorum sententia ad perimplendum quod hic juratur nihil ulterius a jurante postulari.

ii. Quin potius existimandum videtur, quantum ex effectibus de causis judicari potest, id illis fuisse constitutum, ut Universa Hierarchia Ecclesiastica cum omnibus et singulis ejus membris radicitus extirparetur. Nam,

1^o. Primum de Foedere contrahendo consilium, aut Scotis auctoribus initum, aut a nostris ad promerendam Scotorum gratiam et auxiliares copias susceptum fuisse, nulli dubitamus. Omnino ergo debuit eam sententiam continere, quae Scotorum votis et voluntati esset consentanea. Scotorum autem quae fuerit mens, quum ex ipsorum publicatis scriptis satis appareat, § non patitur ratio ut credamus, ex sublatis Apparitoribus, aut alia re qualibet, absque extirpato penitus Episcopatu, eorum exspectationi satisfieri potuisse.

2^o. Quin etiam quae postquam hoc Foedus initum attentata sunt, ut scilicet auctoritate Ordinationis utriusque Consensus Parlamenti, Episcoporum potestas omnis et reditus, atque adeo ipsum nomen, et, si fieri posset, memoria penitus tollerentur, tristi documento sunt, quae fuerit eorum in isto Articulo mens, quod consilium.

IV. Quarto, ad ea quae a suprema auctoritate Regia et Subditorum officio petuntur argumenta, duplici modo respondent; sed neutra responsio nobis satisfacit.

i. Aiunt, primo, (quae nobis nova videtur et subtilis admodum Theologia) Protectionem et Subjectionem in mutua invicem relatione consistere; et proinde quum Rex jam Protectio-

§ Vinculo Foederis utriusque Domus Parlamenti Consensus, multaque millia Regiorum in Anglia et Hibernia Subditorum, pariter ac nos Regiminis Episcopalis in Regno Scotiae erectionem impedire obli-

gantur. Similiter et nos aequae ac illi, ejusdem in Anglia et Hibernia extirpationem conari obligamur. Declar. Scot. ad Ordines Belgii, 5 Aug. 1635, citat. in Answ. to Scottish Papers, p. 23.

now disabled to give us Protection, we are thereby freed from our bond of Subjection. Whereas

1^o. The Subject's Obligation, *Jus Subjectionis*, doth not spring from nor relate unto the actual exercise of Kingly Protection, but from and unto the Prince's obligation to protect, *Jus Protectionis*. Which obligation lying upon him as a duty which he is bound in conscience to perform, when it is in his power so to do, the relative obligation thereunto lieth upon us as a duty which we are bound in conscience to perform, when it is in our power so to do. His inability therefore to perform his duty doth not discharge us from the necessity of performing ours, so long as we are able to do it.

2^o. If the King should not protect us, but neglect his part, though having power and ability to perform it, his voluntary neglect ought not to free us from the faithful performance of what is to be done on our part. How much less then ought we to think ourselves disobliged from our Subjection, when the Non-protection on his part is not from the want of will, but of power.

ii. The latter, wherein yet some have triumphed, by saying that the Parliament being the Supreme Judicatory of the Kingdom, the King, 'wheresoever in person,' is ever present there 'in his power,' as in all other Courts of Justice; and that therefore whatsoever is done by them, is not done without the King, but by him. But craving pardon first, if in things without our proper sphere we hap to speak unproperly or amiss, we must next crave leave to be still of the same mind we were, till it shall be made evident to our understandings, that the King is there 'in his power,' as it is evident to our senses, that he is not there 'in his person;' which, so far as our natural reason and small experience will serve us to judge, all that hath been said to that purpose can never do.

For, first, to the point of Presence :

i. We have been brought up in a belief that for the making

nem nobis ultra praestare non valeat, nos vicissim Subjectionis vinculo non ultra obligari. Sed enim cogitandum erat,

1°. Jus Subjectionis a Protectionis Jure ortum esse, et ad ipsum referri; non potest autem ad protegendi actum sive exercitium. Ex quo utroque Jure, utraque pars ad ea praestanda quae sui sunt muneris obligantur: Subditi scilicet ad obtemperandum Regi, Rex ad protegendum Subditos. Quae obligatio ut ei incumbit, ex officii conscientia, ubi id ipsum in ejus potestate fuerit, praestanda, sic quae isti obligationi relative respondet obligatio, nobis incumbit ex officii conscientia itidem praestanda, ubi id ipsum in nostra potestate fuerit. Illius ergo impotentia ad id praestandum quod sui muneris est, nos obligatione id faciendi quod et debemus et possumus, non liberat.

2°. Immo etiamsi Rex protectionem nostri, quum tueri nos posset et deberet, immemor officii sui negligeret, non tamen ex eo neglectu, quantumvis voluntario, solvi vinculum illud quo tenemur in conscientia id quod nostrarum est partium fideliter praestare. Quanto ergo minus putandum est, nos a Subjectionis obligatione liberari, quum is a nostri Protectione impediatur, culpa non sua, sed aliena, nec voluntatis defectu, sed potestatis.

ii. Aiunt, secundo, (in quo tantum non triumphare videntur nonnulli) Parlamentum supremum esse Regni tribunal; Regem ubicunque personaliter praesentem, praesumi tamen semper in suprema illa Curia, ut et in aliis inferioribus Curiis juridicis, praesentem adesse virtualiter, et per praesentiam potestatis; quod igitur ab Ordinum Conventu in Parlamento fit, non sine Rege, sed ab ipso factum censi debere. Sed petita primo loco imperitiae venia, si indoctis formularum et apicum juris, quae sunt extra sphaeram studiorum nostrorum, aliquid forte exciderit improprie aut incommode enuntiatum, venia proxime petenda est, tantisper ut nobis liceat idem sentire quod prius, quoad intellectui nostro liquidum fiat Regem ibi praesentem esse praesentia potestatis, sicut sensui nostro liquet eum ibi non esse praesentem praesentia corporis. Quod sane, quantum pro ingenii nostri et experientiae modulo judicando sumus, nunquam efficere poterunt quae haecenus in eam rem dicta reperimus.

Ad Praesentiam enim quod attinet,

i. Majorum nostrorum perpetua quadam traditione imbuti

of Laws the actual Royal Assent^c was simply necessary, and not only a virtual Assent supposed to be included in the Votes of the two Houses: otherwise, what use can be made of his Negative Voice? or what need to desire his Royal Assent^d to that which may be done as well without it?

ii. The Statute,^e providing that the King's Assent to any Bill signified under his Great Seal shall be to all intents of Law as valid and effectual, as if he were personally present, doth clearly import that as to the effect of making a Law, the King's power is not otherwise really present with the two Houses, than it appeareth either in his person or under his seal. Any other real presence is to us a riddle, not much unlike to that of Transubstantiation; an imaginary thing, rather devised to serve turns, than believed by those that are content to make use of it.

iii. Such presence of the King there, when it shall be made appear to us either from the Writs whereby the Members of

^c The old forms of Acts of Parliament were, The King willeth, provideth, ordaineth, establisheth, granteth, &c. by the assent of Parliament, &c. See Statutes till 1 Hen. IV. After that, The King, of the assent of the Lords Spiritual and Temporal, and at the special instance and request of the Commons of this Realm, hath ordained, &c. See Statutes 1 Hen. IV. till 1 Hen. VII. A form of such Petition of the Commons, see 1 Rich. III. 6. Prayen the Commons in this present Parliament assembled, that where, &c. Please it therefore your Highness, by the advice and assent of the Lords Spiritual and Temporal in this your present Parliament assembled, and by the authority of the same, to ordain, &c.

No Bill is an Act of Parliament, Ordinance, or Edict of Law, although both the Houses agree unanimously in it, till it hath the Royal Assent. Ancient Customs, p. 54.

L'assemblée de ceux trois Estates, [cestassavoir, Roy, Nobilitie, et Commons, qui font le corps del

Realme,] est appel [un Parliament, et leur decree] un Act de Parliament; car sans tous trois [come si soit fait per Roy et Seigniors, mes rien parle del Cōmons] nest ascun Act de Parliament. Finch, Nomotechn. fol. 21.

We admit that no Acts of Parliament are complete, or formally binding, without the King's assent. H. P. Answer to David Jenkins, p. 6. [p. 10, as it stands among Several Poisonous and Seditious Papers of Mr. David Jenkins Answered. By H[enry] P[arker] Barrister of Lincoln's Inn. 4to. Lond. 1647.]

^d Which if your Majesty shall be pleased [as an argument of your gracious acceptation] to adorn with your Majesty's Royal Assent, without which it can neither be complete and perfect, nor . . . Stat. 1 Jac. I. [A most joyful and just Recognition of the immediate, lawful, and undoubted Succession, Descent, and Right of the Crown.]

^e Stat. 33. Hen. III. cap. 21.

sumus ea fide ut credamus ad Leges^h condendas assensum Regis actualem simpliciter esse necessarium, et non virtualem assensum solum, qui scilicet in utraque Domo Parlamenti inhaerere putetur. Alias Regii Suffragii Negativi quis poterit esse usus? Aut quorsum opus esset in Lege roganda Regium assensum exspectari,ⁱ si absque tali ejus assensu totum negotium non minus valide confici posset?

ii. Statuto provisum est,^k Regium absentis assensum alicui Billae sive Schemulae propositae sub Magno suo Sigillo significatum, ad omnem Juris effectum non minus validum fore, quam si coram et personaliter praesens adesset. Manifesto argumento, ad effectum Legis ferendae, Regiam Potestatem in Comitibus Parliamentariis non praesumi posse realiter esse praesentem; nisi quatenus Rex vel in propria sua persona coram et corporaliter adest, vel absens praesentiam suam supplet per Delegatos quosdam sive Commissionarios suos Magni Sigilli auctoritate ad hoc deputatos. Quaevis alia praesentia realis aenigmatis instar est, Transubstantiationis monstro haud ab-similis; spectrum scilicet et phantasma, et quod scenae serviat, excogitatum potius quam vel iis ipsis creditum, quibus utile est ut credatur.

iii. De virtuali ista Regis in Consessu utriusque Domus Parlamenti praesentia, quamprimum nobis vel ex Brevibus Sum-

^h Sic olim habebant antiquae Legum et Actuum Parlamenti formulae, 'Rex vult, mandat, praecipit, sancit, concedit, &c. assensu Parlamenti,' Vide Stat. usque ad 1 Hen. IV. Exinde sic: 'Rex de consensu Baronum Spiritualium et Temporalium, et ad instantem petitionem Plebis hujus Regni, constituit, &c.' Vide Stat. 21 Hen. IV. ad 1 Hen. VII. Exemplum istiusmodi Petitionis Plebis vid. 1 Ric. III. cap. 6. Orat universitas Plebis in praesenti Parl. congregata, quatenus, &c.—Placeat igitur Cel-situdini vestrae de consilio et assensu Baronum, &c.—in hoc praesenti vestro Parlamento congregatorum, et auctoritate ejusdem constituere, &c.

Nulla Billa est Actus Parlamenti,

Ordinatio, vel Edictum Juris, etiamsi Consessu utriusque Domus in eam unanimiter consentiat, donec Regio assensu comprobata fuerit. Antient Customs, p. 54.

L'Assemblée de ceux trois Estates, est appelée un Act de Parliament: car sans tous trois nest ascun Act de Parliament. Finch, Nomotechn. fol. 21 b.

Concedimus, nullos Actus Parlamenti completos esse, vel formaliter obligare, sine assensu Regis. H. P. Answ. to Dav. Jenkins, p. 6.

ⁱ Quod si Majestati vestrae placuerit Regiae Majestatis vestrae assensu ornare, sine quo nec perfectum et completum esse potest, nec, &c.—Stat. 1 Jac. cap. 1.

^k Vid. Stat. 33 Hen. III. cap. 21.

both Houses are called together, or by the standing Laws of the Land, or by the acknowledged judgment and continued practice of former and later ages, or by any express* from the King himself, clearly declaring his mind to that purpose, we shall then, as becometh us, acknowledge the same, and willingly submit thereunto.

And as for the Argument drawn from the analogy of other Courts, wherein the King's Power is always supposed to be virtually present, under submission, we conceive it is of no consequence.

i. The Arguments *a minore* and *a majore* are subject to many fallacies; and, unless there be a parity of reason in every requisite respect between the things compared, will not hold good. A petty Constable, they say, may do something which a Justice of Peace cannot do; and the Steward of a petty Manor hath power to administer an Oath, which, as we are told, the House of Commons itself hath no power to do.

ii. That the High Court of Parliament is the Supreme Judicatory, we have been told it is by virtue of the King's right of presiding there, he being the Supreme Judge,^f and the Members of both Houses his Council; which being so, the reason of difference is plain between that and other Judicatories in sundry respects.

1^o. The Judges in other Courts are deputed by him, and do all in his name, and by his authority; and therefore the presence of his power in those Courts of Ministerial Jurisdiction is sufficient, his personal presence not necessary, neither hath he any personal vote therein at all. But in the High Court of Parliament, where the King himself is the Supreme Judge, judging in his own name and by his own authority, his power cannot be presumed to be really present without either

* 'express' = expression, as Sanderson has used it in 'Episcopacy not prejudicial to the Regal Power,' Section ii. §. 15.

^f Dominus Rex habet ordinariam jurisdictionem, dignitatem, et potestatem super omnes qui in regno suo sunt—Ea vero quae jurisdictionis sunt et pacis . . . ad nullum perti-

nent nisi ad Coronam et dignitatem Regiam, nec a Corona separari possunt, [quum faciunt ipsam Coronam.] Bracton, cited by Stamford, lib. 2. cap. 2. [54 b, or Staundford, Sir Wm. one of the Justices of the Court of Common Pleas. Les Plees del Coron. 4to. Lond. 1574.]

monitionum, i. e. Rescriptorum Regiorum quorum virtute Membra utriusque Domus respective convocantur formulis; vel ex receptis et agnitis Regni Legibus; vel ex constanti Majorum nostrorum prisce et recentioris aevi judicio et praxi, vel ex Regiae mentis per suum aliquod rescriptum clara significatione, constare contigerit: tum demum nos eam, uti par est, prompte et alacriter agnituros pollicemur.

Illud vero alterum argumentum, quod ab aliorum Tribunalium analogia ductum est, in quibus semper Potestas Regia praesumitur esse virtualiter praesens, nobis sane, salvo peritiorum judicio, videtur esse non multum efficax.

i. Primo enim, Argumenta Loci Topici a Comparatis infirma fere sunt, multisque fallentiis et exceptionibus obnoxia; ita ut nisi inter res comparatas, quod non saepissime fit, in omnibus ad collationem rite instituendam requisitis ratio sit usquequaque par, nulla sit probatio. Constabulario alicujus villulae licere ferunt, quod Justiciario ad pacem non licet: et Seneschallus exigui Manerii jus habet deferendi Juramentum, quod juris Inferiori Parlamenti Domui competere negant.

ii. Deinde quod Curia Parlamenti supremum Regni Tribunal dicatur et sit, id Regiae ibidem Praesidentiae jure factum accepimus, ut qui sit supremus in ea Curia Judex,¹ Membra vero utriusque Domus ipsius ad summum non nisi Consilarii. Quae si ita sint, inter Parlamentum et alia Tribunalia ratio discriminis ex his quae sequuntur facile constabit.

1º. Primo, Inferiorum Tribunalium Judices sunt a Rege deputati, omniaque ut ipsius Ministri et Vicarii ejus nomine et auctoritate faciunt. In illis itaque Curiis, quae sunt Ministerialis tantum et Vicariae Jurisdictionis, sufficit ut Rex sit praesens praesentia Potestatis suae; nec enim necesse est ut sit ibi personaliter praesens, ubi nullus est personalis sui suffragii necessarius usus. At in suprema Curia Parlamenti, in qua Rex ipse supremus Judex pro Tribunali sedet, suo ipsius nomine et immediata auctoritate omnia transigens, potestas ejus non potest praesumi realiter esse praesens, sine aut actuali

¹ Dominus Rex habet ordinariam Jurisdictionem, dignitatem et potestatem super omnes qui in Regno suo sunt. — Ea quae Jurisdictionis sunt et pacis ad nullum per-

tinent nisi ad Coronam et dignitatem Regiam nec a Corona separari possunt. Bracton. citat. Stamford, lib. ii. cap. 2.

the actual presence of his person, or some virtual representation thereof signified under his Great Seal.

2°. The Judges in inferior Courts, because they are to act all in his name, and by his authority, do therefore take Oaths of fidelity for the right exercising of Judicature in their several places; sitting there, not by any proper interest of their own, but only in right of the King, whose Judges they are; and therefore they are called the King's Judges and his Ministers. But in the High Court of Parliament, the Lords and Commons sit there in Council with the King as Supreme Judge for the good of the whole Realm; and therefore they are not called the King's Judges, but the King's Council; and they have their several proper rights and interests peculiar and distinct, both between themselves, and from that of the King; by reason whereof they become 'distinct Orders,'^g or, as of late times they have been styled, in this sense we conceive, 'three distinct Estates.'^h Each of which being supposed to be the best conservators of their own proper interest, if the power of any one Estate should be presumed to be virtually present in the other two, that Estate must needs be inevitably liable to suffer in the proper interests thereof, which might quickly prove destructive to the whole Kingdom, the safety and prosperity of the whole consisting in the conservation of the just rights and proper interests of the main parts, viz. the King, Lords, and Commons, inviolate and entire.

3°. The Judges of other Courts, forasmuch as their power is but Ministerial and merely Judicial, are bounded by the present Laws, and limited also by their own acts, so as they may neither swerve from the Laws in giving judgment, nor

^g For in our Laws, the Clergy, Nobility, and Commonalty are the three Estates. — We, your said most loving, faithful, and obedient Subjects, viz. the Lords Spiritual and Temporal, and the Commons, representing your three Estates of

your Realm of England, 1 Eliz. 3. — the State of the Clergy being one of the greatest States of this Realm. 8 Eliz. 1.

^h See Finch *supra* ad lit. d. [scil. note ^c, p. 428, above.]

praesentia personae suae, aut virtuali saltem ejusdem repraesentatione Magno suo Sigillo attestata.

2°. Secundo, Inferiorum Tribunalium Judices, quibus omnia Regio nomine et auctoritate peragenda sunt, Regi propterea de jure in suis Curiis rite administrando, fidem suam solenni Juramento obligant. Nec enim ibi sedent jus dicturi aliquo proprio suo jure, sed jure fiduciario et a Rege sibi delegato, ὡς ἀπ' αὐτοῦ πεμπόμενοι. Qua de causa Regii Judices dici solent, et Regii Ministri. At in Suprema Curia Parlamenti, Proceres et Procuratores Plebis Regi supremo Judici, quasi in Concilio assident, de arduis Regni negotiis pro communi utilitate consilium suum Regi ubi opus est impensuri: qua de causa non Judices Regii, sed Regium Concilium audiunt. Habentque sua utrique propria et peculiaria jura et privilegia, tam inter se, quam a juribus Regis distincta et divisa. Unde fit ut sint tres quasi distincti Gradus: sive,^m ut a paucis annis (hoc solo uteremur sensu) dici coeperunt, Ordines vel Status,ⁿ REX, PROCERES, PLEBS. Quorum Ordinum quoniam supponitur esse quilibet suorum jurium optimus custos et conservator, aequum est ut singuli, et debitis sibi privilegiis gaudeant, et intra debitos se limites contineant. Quod si cujusvis trium Ordinum potestas in duobus reliquis praesumeretur esse virtualiter praesens, non posset is Ordo prohibere, ne sibi juribusque suis ab illis fieret praejudicium. Quod toti Reipublicae tandem foret exitiale, quum pendeat totius salus et incolumitas, ex singularum principum partium vigore, juriumque et privilegiorum singulis debitorum conservatione; ut scilicet sua singulis Ordinibus Jura, Regi, Proceribus, Plebi, integra maneant et inconcussa.

3°. Tertio, Inferiorum Tribunalium Judices, eo quod vicaria tantum eaque mere Judiciali potestate praediti sunt, in Jurisdictionis suae exercitio definitis propterea limitibus, quos ipsi excedere sit nefas, circumscripti sunt: hinc latis a Principe Legibus, illinc latis a se Sententiis. Ita ut in jure dicundo, nec

^m Etenim in Jure nostro Rex in Regni Ordinibus nunquam censetur, sed omnium Ordinum, totiusque adeo Regni Caput habitus est semper. Tres vero Ordines sive Status Regni sunt, Clerus, Nobilitas, et Plebs. Nos Regiae vestrae Majestatis—Subditi (viz. Domini

Spirituales et Temporales, et Procuratores Plebis) repraesentantes tres (Ordines sive) Status Regni vestri Angliae, Stat. 2. El. c. 3.—Status Cleri e praecipuis Regni Statibus unus. Stat. 8. Eliz. cap. 1.

ⁿ Vid. Finch supra, note c, p. 428.

reverse their own judgments after they are given. But the High Court of Parliament, having, by reason of the King's Supreme Power presiding therein, a Power Legislative as well as Judicial, are not so limited by any earthly power, but that they may change and overrule the Laws and their own acts at their pleasure. The King's personal assent therefore is not needful in those other Courts, which are bounded by those Laws whereunto the King hath already given his personal assent; but unto any act of power beside, beyond, above, or against the Laws already established, we have been informed, and it seems to us very agreeable to reason, that the King's personal Assent should be absolutely necessary. Forasmuch as every such act is the exercise of a Legislative rather than of a Judicial power; and no act of Legislative power in any Community, by consent of all Nations, can be valid, unless it be confirmed by such person or persons as the Sovereignty of that Community resideth in. Which Sovereignty, with us, so undoubtedly resideth in the person of the King, that his ordinary style runneth, 'Our Sovereign Lord the King;'ⁱ and he is in the Oath of Supremacy expressly acknowledged to be 'the only Supreme Governour within his Realms.' And we leave it to the wisdom of others to consider what misery and mischief might come to the Kingdom, if the power of any of these three Estates should be swallowed up by any one, or both the other; and if then, under the name of a Judicial, there should be yet really exercised a Legislative power.

ⁱ The Crown of England hath been so free at all times, that it hath been in no earthly subjection, but immediately to God in all things touching the Regality of the said Crown. 16 Rich. II. cap. 5. Omnis sub eo est, et ipse sub nullo, nisi tantum sub Deo. Parem autem non habet Rex in Regno suo, quia [sic amitteret praeceptum, quum par in parem non habeat imperium.] Item nec multo fortius superiorem nec potentiorum habere debet, quia

sic esset inferior sibi subjectis. Bracton. Centen. 1. Rubr. 36. [de Legibus et Consuet. Angliae, i. 8.] Cui [mirandum his in rebus iudicium, supremum in omnes imperium,] *αὐτοκρατορικὴν* Legibus ipsius Legum vim imponendi potestatem, Deus [Optimus Maximus, maximo erga nos beneficio, summo cum bonorum omnium gaudio] dedit. Finch Nomotechn. in Epist. Dedic. to King James.

eis liceat a constitutis Legibus recedere, nec placita sua revocare. At Suprema Curia Parlamenti, virtute supremæ illius potestatis quæ Regi Curiae Praesidi inhaeret, non Judiciali modo, sed et Legislativa potestate prædita est, nec ullis humanis definitionibus ita conclusa est, ut non ei liceat cum Leges ipsas, tum sua placita pro jure et arbitrato suo immutare atque revocare. Regius itaque consensus personalis non est in illis Curiis necessarius, ubi ex earum Legum præscripto, quibus ferendis Rex jam ante consensum suum præbuit personalem, omnia gerenda sunt. Caeterum ut validus sit aliquis potestatis actus, præter, ultra, supra, vel contra constitutas Leges, ab istarum rerum peritis edocti sumus (et profecto nobis videtur sanæ rationi valde consentaneum) Regium consensum personalem esse simpliciter et absolute necessarium. Siquidem est omnis ejusmodi actus exercitium potestatis Legumlativæ potius quam Judicialis. Et communi omnium Gentium usu atque consensu receptum est, nullum Legislativæ potestatis actum in aliqua communitate validum esse, nisi ab ea persona sive coetu confirmetur, qui sit totius communitatis caput, et penes quem sit summum in eo populo imperium. Summum autem imperium in hoc Regno penes Regem esse, tam est extra omnem controversiam, ut cum in communi sermone, tum in ipsis Juris passim formulis, Rex ubique audiat ‘Supremus Dominus Rex noster;’^o et in Juramento Suprematus conceptis verbis profiteri jubeamur, ‘Majestatem Regiam solam esse summam Moderatricem hujus Regni.’ Permittimus itaque aliorum prudentiæ, ut serio existiment quanta mala, quæ perniciæ publicæ rei inde creari possent, si uniuscujusve trium Ordinum jus et potestatem a reliquorum utrovis vel utroque contingeret absorberi, atque sub potestatis Judicialis nomine et obtentu, reipsa tamen potestas Legumlativa et Imperialis, ab uno vel utroque, reliquo excluso, exerceretur.

^o Corona Angliæ ita libera semper fuit, ut sub nulla terrena potestate unquam fuerit, sed immediate sub Deo in omnibus ad Regalitatē dictæ Coronæ spectantibus. Stat. 16 Ric. II. cap. 5. Omnis sub eo est, et ipse sub nullo nisi tantum sub Deo. Parem autem non habet Rex in regno suo, quia

... Item nec multo fortius superiorem aut potentiorē habere debet, quia sic esset inferior suis Subjectis. Bracton. Centen. 1. Rubr. 36. Cui *αὐτοκρατορικὴν* Legibus ipsis Legum vim imponendi potestatem Deus dedit. Finch. Nomotechn. in Epist. Dedicat. ad Regem Jacobum.

4°. Since all Judicial Power is radically and originally in the King, who is for that cause styled by the Laws 'The Fountain of Justice,'^k and not in any other person or persons but by derivation from him, it seemeth to us evident, that neither the Judges of inferior Courts of Ministerial Justice, nor the Lords and Commons assembled in the High Court of Parliament, may of right exercise any other power over the Subjects of this Realm, than such as by their respective Patents and Writs issued from the King, or by the known established Laws of the Land formerly assented unto by the Kings of this Realm, doth appear to have been from him derived unto them. Which Laws, Patents, and Writs being the exact boundary of their several powers, it hath not yet been made appear to our understandings, either from the Laws of the Realm, or from the tenor of those Writs by which the Parliament is called, that the two Houses of Parliament have any power without the King to order, command, or transact; but with him to treat, consult, and advise concerning the great affairs of the Kingdom.¹ In which respect they have sundry times in their Declarations to His Majesty called themselves by the name of his Great Council. And those Laws and Writs are, as we conceive, the proper topic from which the just power of the honourable Houses can be convincingly deduced,

^k Fons Justitiæ. Bracton. [See De Legibus &c. iii. 9.] By War to intend the alteration of the Laws in any part of them, is to levy War against the King, and consequently Treason by the Statute of 25 Edw. III. . . . Because they are the King's Laws. He is the Fountain from whence in their several channels they are derived to the Subject. Master St. John's Speech concerning the Earl of Strafford, p. 7. [An Argument of Law

concerning the Bill of Attainder of High Treason of Thomas, Earl of Strafford, at a Conference in a Committee of both Houses of Parliament. 4°. London, 1641.]

¹ . . . et ibidem vobiscum . . . colloquium habere et tractatum . . . super dictis negotiis tractaturi, vestrumque consilium impensuri. Writ to the Lords. [See examples of the form in Dugdale's Summons to Parliament.]

4º. Quarto, quum sit omnis Jurisdictio et Judicialis Potestas originaliter in Rege velut in fonte et radice, qui propterea Juris nostri scriptoribus Fons Justitiae appellatur,^p et non in alia quacunq[ue] persona vel coetu, nisi per derivationem ab illo Fonte, videtur nobis res manifesta, neque Judices inferiorum Tribunalium Ministerialis et Vicariae Jurisdictionis, neque consessus Procerum et Plebis in Suprema Curia Parlamenti, vel conjunctim vel divisim, Jus aliquod sive Jurisdictionem in Subditos hujus Regni exercere oportere, quod non plane constituerit fuisse ipsis a Rege collatum, permissum, aut alia aliqua emanatione legitima derivatum. Nec legitime derivatum censi potest, nisi quod aut ex formis Regiorum Diplomatum, Brevium, aliorumve Rescriptorum; aut ex Receptis, et Notoriis Regni, vel Legibus scriptis expresso, vel non scriptis Consuetudinibus tacito Angliae Regum consensu ratificatis et confirmatis, apparet fuisse Regia auctoritate concessum. Quae Leges, Consuetudines, et Rescripta, quum sint omnium Jurium et Jurisdictionum cuilibet eorum respective competentium justis quasi carceres et cancelli, nobis nondum satis demonstratum esse profiteamur, vel ex Legibus et Consuetudinibus hujus Regni, vel ex formulariis eorum Brevium, sive Rescriptorum quibus Membra Parlamenti convenire jubentur, Consessum duorum Ordinum, alterum ambosve jus habere et auctoritatem sine Rege statuendi, jubendi, vel transigendi, sed una cum Rege super arduis Regni negotiis colloquium habendi, tractandi, et consilium impendendi.^q Unde etiam factum existimamus, ut in Supplicationibus, Remonstrantiis, et Declarationibus suis, aliisque publicis Scriptis, Magnum Regis Concilium se passim appellare soliti sunt. Sunt autem Leges illae, Consuetudines, et Rescripta, nostro quidem judicio, Loci Topici, maxime proprii et idonei, e quibus amplissimorum consessuum utriusque Domus justa auctoritas demonstrative et cogenter colligi potest; et non exiles eae atque incertae deductiones, quas ex analogia-

^p Bracton. et alii. ... Bello Legum immutationem aliqua ex parte intendere, est Bellum contra Regem concitare, et consequenter laesae Majestatis crimen ex Stat. 25 Edw. III. eo quod Regis Leges sunt. Ille fons est unde per varios suos canales ad Subditos derivantur. St.

John in his Speech concerning the Earl of Strafford, p. 12.

^q Et ibidem vobiscum colloquium habere et tractatum ... super dictis negotiis tractaturi, vestrumque consilium impensuri. Breve Summonit. Magnatibus, &c.

and not such frail collections as the wits of men may raise from seeming analogies and proportions.

SECT. VIII.

Of the Negative Oath.

We are not satisfied how we can submit to the taking of the Negative Oath,

i. Without forfeiture of that Liberty which we have sworn and are bound to preserve. With which Liberty we conceive it to be inconsistent that any obligation should be laid upon the Subject by an Oath not established by Act of Parliament.

ii. Without abjuring our natural Allegiance,^m and violating the Oaths of Supremacy and Allegiance by us formerly taken. By all which being bound to our power to assist the King, we are by this Negative Oath required to swear, from our heart, not to assist him.

iii. Without diminution of His Majesty's just power and greatness, contrary to the third Article of the Covenant; by acknowledging a power in the two Houses of Parliament, in opposition to the King's power. Whereas we profess ourselves unable to understand how there can be any lawful power exercised within this Realm which is not subordinate to the power of the King.

SECT. IX.

Of the Ordinances concerning the Discipline and Directory.

I. First, concerning them altogether. We are not satisfied how we can submit to such Ordinances of the two Houses of Parliament not having the Royal Assent,

i. As are contrary to the established Laws of this Realm, contained in such Acts of Parliament as were made by the joint consent of King, Lords, and Commons.

ii. Nor so only, but also pretend by Repeal to abrogate such Act or Acts. For, since *Ejusdem est potestatis destruere, cujus est constituere*, it will not sink with us, that a lesser

^m Whereas every Subject, by the duty of his Allegiance is bounden to serve and assist his Prince and Sovereign Lord at all seasons when need shall require. 11 Hen. VII.

cap. 18. [The Forfeiture of him which goeth not in person with the King in his Wars, when he is in person.]

rum quadam specie, et instituta rerum similium dissimiliumque comparatione elicere fortasse poterit, vel etiam extorquere, humani ingenii importuna solertia.

SECT. VIII.

De Juramento Negativo.

Juramentum Negativum subveremur ut a nobis praestari possit,

i. Non prodita ea Libertate, ad quam tuendam et Juramenti et Officii vinculo jam ante obligati sumus. Cui Libertati adversari arbitramur impositam Subdito sine Lege jurandi necessitatem.

ii. Non abjurata nativa Subditorum Ligeantia^r, sive fidelitate, violatisque Suprematus et Fidelitatis Juramentis a nobis prius praestitis. Quibus omnibus ad Regem, quantum in nobis est, defendendum obligati, jurare nunc jubemur, idque ex animo, nos eum nolle defendere, vel ei opem ferre.

iii. Non imminuta plurimum (contra verba Foederis Article tertio) Regiae Majestatis justa potestate et amplitudine, agnoscendo scilicet in Consessu utriusque Domus Parlamenti potestatem Regiae potestati oppositam. Quum profiteamur nos nequiquam intelligere posse, quí possit in hoc Regno potestas aliqua legitime exerceri, quae non sit Regiae potestati subordinata.

SECT. IX.

De Ordinationibus ad Disciplinam Ecclesiasticam et Directorium Cultus Publici spectantibus.

I. Imprimis de utrisque conjunctim. Non certum est posse nos, sine peccato, Ordinationibus Consessuum utriusque Domus parere, Regio consensu nondum comprobatis.

i. Praesertim eis, quae non solum Legibus hujus Regni et Statutis, unanimi Regis, Procerum, et Plebis in Parlamento consensu stabilitis, contraria imperant;

ii. Verum etiam ejusmodi Leges et Statuta refigere et in perpetuum abrogare profitentur; quum enim 'ejusdem sit potestatis destruere, cujus est construere,' nobis nondum persua-

^r Tenetur quilibet Subditus virtute Ligeantiae suae ad serviendum et auxiliandum Principi suo et Do-

mino Supremo, omni tempore quoties opus fuerit. Stat. 11 Hen. VII. cap. 18.

power can have a just right to cancel and annul the act of a greater.

iii. Especially, the whole power of ordering all matters Ecclesiastical being by the Laws in express words 'for ever annexed to the Imperial Crown of this Realm.'ⁿ And upon what head that Crown ought to stand, none can be ignorant.

II. As to the particular Ordinances, those that concern the Discipline first :

i. If under that title be comprehended the Government also, we cannot submit thereunto, without consenting to the eradication of a Government of reverend antiquity in the Church. Which, notwithstanding the several changes of Religion within this Realm, hath yet from time to time been continued and confirmed by the public Laws and great Charters of the Kingdom : than which there cannot be a more ample testimony that it was ever held agreeable to the Civil Government and the Subject's Liberty. Which also the successive Kings of this Realm at their several Coronations have solemnly sworn to preserve. And the continuance whereof, for sundry reasons before, upon the second Article of the Covenant, specified, we heartily wish and desire.

ii. But if the word Discipline be taken, as it is in the first Article of the Covenant, as contradistinguished unto the Government, there is something even in that also, wherein we are not fully satisfied, viz. the leaving of so much power in so many persons, and those many of them of mean quality, for the keeping back of thousands of well-meaning Christians from the benefit and comfort of the blessed Sacrament : an austerity, for which there appeareth not to us any probable warrant from the Word of God ; but which seemeth rather repugnant, as to the general principles of Christian prudence and charity, so to the directions and practice of St. Paul in particular ; who, in a Church abounding with sundry errors and corruptions both in faith and manners, having first given order for the excommunicating of one only person, that by shameless continuance in a notorious sin had brought a foul scandal upon the Gospel, sufficing himself then with a general proposal of the great danger of unworthy Communicating,

¹ Cor. v. 1,
&c.

ⁿ Stat. 1 Eliz. cap. 1.

sum est, inferiori potestati licere, quod a superiori potestate legitime factum est, rescindere et adnullare.

iii. Maxime quum tota potestas Jurisdictionis circa res Ecclesiasticas expressissimis Legis verbis ‘Imperiali hujus Regni Diademati in perpetuum conjuncta sit et annexa.’^s Et cujus capitis sit illud Diadema gestare, nemini subdito fas est ignorare.

II. Proxime, quod ad Disciplinam Ecclesiasticam attinet :

i. Si Disciplinæ appellatione contineatur et Regimen Ecclesiasticum, non possumus Ordinationi ea de re parere, nisi exstirpandæ venerandæ antiquitatis Regiminis formæ consentire velimus. Quæ sub quibuscunque temporum conversionibus, Religionisque in hoc Regno mutationibus, per omnes tamen sæculorum successiones non modo inviolata perduravit, sed publicis quoque Regni Legibus firmata, Regumque Chartis, Diplomatis, et Dotationibus ornata fuit. Amplissimo sane testimonio, eam Regiminis formam, et Administrationi Civili et libertati Subditorum accommodatissimam, communi hominum judicio semper esse habitam. Quam etiam singuli Reges Angliæ continua serie sibi invicem succedentes, sub Regni sui initium, solenni præstito Juramento conservaturos se et propugnatos polliciti sunt. Cujus denique continuationem ob rationes supradictas ex animo cupimus et exoptamus.^t

ii. Quod si restrictius aliquanto accipiatur Disciplinæ vocabulum (prout in secundo Foederis Article, ubi Regimini contradistinguitur, accipitur) adhuc tamen erit, quod nobis non usquequaque satisfaciatur: viz. permitti tot hominum, eorumque fortassis imæ sortis plurium, arbitrio, Christianorum non malorum myriadas a S. Coenæ participatione arcendi potestatem. Austeritatis genus nullo quod scimus Dei mandato præceptum; sed quod potius et regulis prudentiæ ac Christianæ dilectionis in genere, et in specie B. Pauli consilio atque exemplo, repugnare videtur. Is enim in Ecclesia errorum et corruptelarum, qua in fide, qua in moribus, refertissima, postquam de excommunicando viro quodam singulari, qui cum magna Christi-^{1 Cor. v. 1, &c.} nomini infamiam incestam sine pudore vitam usque agebat, mandasset, sufficere tum ratus indignæ manducationis^{1 Cor. xi. 28, &c.} grave periculum sub generali docendi forma Ecclesiæ proposuisse, conscientiarum particularium scrutinium proprio cujus-

^s Vide Stat. 1 Eliz. cap. 1.

^t Vide supra, Sect. iv.

1 Cor. xi.
28, &c.

remitteth every other particular person to a self-examination, without any order either to Ministers or Lay Elders to exclude any from the Holy Communion upon their examination.

III. As to the Ordinance concerning the Directory in particular, we cannot without regret of conscience, during our present judgment, and the continuance of the present Laws, consent to the taking away of the Book of Common Prayer,

i. Which by our subscriptions most of us have approved; with a solemn promise therewithal, in the Public Service to use the Form prescribed therein, and no other.

ii. Which, according to our said subscription and promise, and our bounden duty according to the Statute^o in that case provided, we have hitherto used in our Churches, Chapels, and other Oratories, to the great benefit and comfort of our souls.

iii. Which we verily believe not to contain any thing which, with such favourable construction as of right ought to be allowed to all manner of Writings, is not justly defensible; which hath not been by learned and godly men sufficiently maintained against such exceptions as have been heretofore taken thereat; and which we are not confident, by the assistance of Almighty God, we shall be able to justify as occasion shall be offered, against all Papists, and other oppugners or depravers thereof whatsoever.

iv. Which is established by an Act of Parliament made in peaceable times by as good and full authority as any under Heaven can have over us. Which doth so weigh with us, that, as it freeth us from the necessity of giving in any particular exceptions against the Directory, or any thing therein contained, so it layeth an inevitable necessity upon us of continuing the Form of Prayer therein enjoined, and of not admitting any Directory or other Form to the prejudice thereof, till the said Act shall by the like good and full authority be repealed.

que examini permittendum censuit : nulla facta cuiquam aut Pastori Ecclesiastico, aut Presbytero laïco potestate alios examinandi, et pro suo arbitrato a Sacrae Coenae communione excludendi.

III. Quoad Ordinationem denique illam quae circa Directorium Divini Cultus Publici versatur, abolendae Liturgiae Ecclesiae Anglicanae, hoc est, tollendo Libro Precum Ecclesiasticarum, non possumus libera conscientia, quamdiu praesens mentis nostrae iudicium et praesentium Legum vis obtinuerint, ullatenus consentire :

i. Quem Librum plerique nostrum propriis subscriptionibus comprobavimus, cum adjecta etiam solenni promissione, nos alia forma, quam quae in eo Libro praescripta est, in publicis Officiis non usuros.

ii. Quo juxta subscriptionem et promissionem praedictas, et pro debiti (vi Statuti ea in parte editi^u) officii nostri ratione, in Ecclesiis et Capellis nostris, aliisque publicis ac privatis Oratoriis, constanter hactenus usi sumus, magno cum animarum nostrarum fructu et solatio.

iii. In quo nihil credimus contineri, quod (cum eo interpretandi candore, quem aequum est omne genus scriptis concedi) non sit justae defensionis capax : quod non est a viris doctis et piis, ab importunorum hominum cavillationibus dudum et abunde vindicatum : quodque non confidamus, posse nos, Deo opitulante, adversus Pontificios et alios quoscunque ejus impugnatores et calumniatores, quum res postulaverit, tueri et defendere.

iv. Qui Statuto Parlamenti, idque temporibus tranquillis, publica et plena auctoritate, et qua sub Coelo nullam agnoscimus majorem aut sanctiorem, stabilitus est et confirmatus. Quod Statutum tanti apud nos ponderis est, ut non solum nos omni necessitate liberet ea proponendi, quae contra Directorium ejusve aliquam partem jure objici posse videntur ; sed e contra summam nobis imponat necessitatem Liturgiae formulam observandi, nec admittendi in ejus praejudicium aliquid publici Cultus sive Directorium, sive Formulam, donec Statutum praedictum, quam justa et plena auctoritate conditum est, tam justa et plena auctoritate abrogetur.

^u Stat. 1 Eliz. cap. 2. et 8 Eliz. cap. 1.

In which Statute there is not only an express command given to all Ministers for the using of the same, but there are also sanctions of severe punishments to be inflicted upon such of them as shall refuse so to do, or shall preach, declare, or speak any thing to the derogation or depraving of the Book of Common Prayer, or of any thing therein contained, or of any part thereof; with punishments also to be inflicted upon every other person whatsoever, the Lords of the Parliament not excepted, that shall in like manner declare or speak against the said Book; or shall by deed or threatening compel, or otherwise procure or maintain any Minister to say open Prayer, or to minister any Sacrament in any other manner or form than is mentioned in the said Book; or shall interrupt or hinder any Minister in the use of the said forms: as by the words of the said Statute more at large may appear.

Which Statute also hath had such universal powerful influence into the succeeding times, that in all such Statutes^p as have been since made against Popish Recusants, the refusing to 'be present at Common Prayer, or to receive the Sacrament according to the Forms and Rites' mentioned in that Book, is expressed as the most proper legal character, whereby to distinguish a Popish Recusant from a true Protestant. Inasmuch that use hath been made of that very character in sundry Acts, since the beginning of this present Parliament, for the taxing of double payments upon Recusants.

Thus have we clearly and freely represented our present Judgment concerning the said Covenant, Negative Oath, and Ordinances, which, upon better information in any particular, we shall be ready to rectify. Only we desire it may be considered, that if any one single scruple or reason in any the premisses remain unsatisfied, though we should receive full

^p Stat. 23. Eliz. 1. [an Act to retain the Queen's Subjects in their due obedience] and 29 Eliz. 6. [An Act for the more speedy and due

execution of certain branches of the above] and 35 Eliz. 1 and 2; and 3 Jac. 4 and 5.

Quo Statuto non solum omnibus Ecclesiarum Pastoribus et Verbi Dei Ministris ejus Libri usus disertim imperatur, sed et sub gravissimarum poenarum sanctionibus cautum est, 'Ne quis eorum formulam inibi praescriptam observare recuset; neu pro concione, vel alias quidquam pronunciet aut loquatur in dicti Libri Precum Publicarum, aut alicujus in eo ejusve aliqua parte contenti derogationem sive depravationem. Poenis insuper constitutis in alios quoscunque, ne Baronibus quidem Parlamenti exceptis, qui contra Librum praedictum similiter pronunciarerint aut locuti fuerint; vel qui Verbi Ministrum aliquem facto dictove compulerint, aut alia quacunque ratione induxerint vel procuraverint, Sacramenta aliave divina Officia alio modo aut forma quam in Libro praedicto institutum est, celebrare; vel qui formae praedictae aut Ministro cuiquam usum prohibuerint, aut alias quoquo modo impediverint, &c. ut in verbis dicti Statuti plenius apparet.

Quod etiam Statutum postquam semel conditum est, tantae constat fuisse per omnia succedentia tempora auctoritatis, ut in omnibus Statutis contra Papistas,^x quos Recusantes vocant, exinde conditis, proprius et idoneus character, qua velut nota distinctiva ejusmodi Recusans Papista a Catholico Protestante internoscatur, iste semper exprimatur; 'Si quis nimirum publicis Precibus interesse, aut sacram Synaxin juxta Formas et Ritus in Libro praedicto praescriptas percipere recusaverint.' Adeo ut pluribus Statutis hoc ipso Parlamento conditis imperata fuerint Recusantibus Papistis tributa dupla proportione persolvenda, ipsissimo hoc characterem juxta literam eorundem Statutorum dignoscendis.

Proposuimus libere et perspicue, quae sit nostra de Focdere, Juramento, et Ordinationibus praedictis sententia; quam tamen in re qualibet rectius edocti, parati sumus catenus corrigere et emendare. Unum hoc interim serio ut expendatur rogamus, si e tot propositis scrupulis, unus aliquis, reliquis licet penitus exemptis, mentibus nostris haereat, cui non sit plene

^x Vide Stat. 23 Eliz. cap. 1; 29 Eliz. cap. 6; 35 Eliz. capp. 1 et 2; 3 Jac. capp. 4 et 5.

satisfaction in all the rest, the conscience would also remain still unsatisfied. And in that case, it can neither be reasonable for them that cannot satisfy us to press us, nor lawful for us that cannot be satisfied to submit to the said Covenant, Oath, and Ordinances.


Quis damnaverit eum, qui duabus potentissimis rebus defenditur, jure et mente? Quintil.

Happy is he that condemneth not himself in that which he alloweth. Rom. xiv. 22.

satisfactum, conscientiam interim non posse esse plane securam. Quo supposito, neque aliis, nondum data conscientiis nostris securitate, aequum erit nos impellere, neque nobis, nondum accepta, liberum ad Foedus, Juramentum et Ordinationes praedictas in nos admittenda nosmet sponte subijcere.

Quis damnaverit eum qui duabus potentissimis rebus defenditur, jure et mente? Quintil.

Beatus qui non condemnat seipsum in eo quod approbat.
Rom. xiv. 22.



ARTICLES
OF
VISITATION AND INQUIRY
CONCERNING
MATTERS ECCLESIASTICAL:

EXHIBITED


TO THE MINISTERS, CHURCHWARDENS, AND SIDEMEN OF
EVERY PARISH WITHIN THE DIOCESS OF LINCOLN,

IN THE FIRST EPISCOPAL VISITATION OF THE
RIGHT REVEREND FATHER IN GOD,

ROBERT,


BY DIVINE PROVIDENCE LORD BISHOP OF LINCOLN.

LONDON,
PRINTED FOR A. SEILE,
1662.



The Tenor of the Oath to be administered to the
Churchwardens and Sidemen of every Parish.

YOU shall swear to inquire with your best diligence, and to make a true Answer unto every Article in this Book now given you in charge ; and to present every person that now is, or of late was, inhabiting within your Parish, that hath done any offence or omitted any duty therein mentioned. And this you shall do, as in the sight of God, uprightly and truly, without favour or malice, hope of reward, or fear of displeasure. So help you God.



ARTICLES
OF VISITATION AND INQUIRY
WITHIN THE DIOCESS OF LINCOLN.

TIT. I.

*Concerning Churches and Chapels, with the Ornaments
and Furniture thereunto belonging.*

IS your Parish Church or Chapel kept in good and sufficient repair? Are the roofs thereof well covered with lead, tile, or slate; the windows well glazed, the floors well paved, the seats well fastened and conveniently placed; and all things so decently ordered, as becometh the house of God?

II. Hath the steeple or tower of your Church or Chapel, or any part thereof, been pulled down, or any of the lead or bells formerly belonging thereunto been embezzled, sold, or made away? In whose hands or custody doth the same, or any part thereof, remain? Declare what you know, or have heard herein.

III. Is there a Font of stone, with a good cover thereunto, standing in a convenient place towards the lower part of your Church, for the Administration of Baptism? And is there in your Chancel a decent Communion-table, for the Administration of the Lord's Supper; with a carpet of silk, stuff, or fine woollen-cloth, and another covering of white and pure linen, to spread thereupon? And have you a fair Communion-cup or chalice, with a cover of silver, and one or more flagons of silver or pewter, thereunto belonging?

IV. Have you in your said Church or Chapel a convenient seat or pew for your Minister to read Divine Service in? a pulpit, with a comely cloth or cushion for the same? a Bible, of the last translation, in a large volume, and the Book of Common Prayer, both well and substantially bound? Have you likewise the Book of Homilies, set forth by Authority?

a Book of Canons and Constitutions Ecclesiastical? and a printed label of the degrees wherein Marriage is prohibited?

V. Have you a comely large surplice for the Minister to wear at all times of his public Ministration in the Church, provided, and to be only washed at the charge of the Parish?

VI. Have you a Register-book of parchment, wherein to register the names and surnames of all such persons as are married, christened, or buried, within your Parish? together with the names and surnames of both the parents of the children so christened, expressing the day, month, and year of all such Christenings, Marriages, and Burials? And is the transcript thereof yearly, within one month next after the 25th of March, brought into the Bishop's Registry?

VII. Have you likewise another book of paper, wherein to record the names and licenses of all such strangers as are admitted at any time to preach in your Church or Chapel? as also a third book wherein to write down the Churchwardens' accounts; together with a strong chest, with locks and keys, wherein to keep the aforesaid books, and all other the aforementioned furniture, in safe custody? And, lastly, have you a bier, with a black hearse-cloth, for the Burial of the Dead?

TIT. II.

Concerning the Churchyard, the Houses, Glebes, and Tithes, belonging to the Church.

I. Is your Churchyard sufficiently fenced with walls, rails, or pales, and decently kept from the annoyance of swine, horses, and other cattle? Hath any person encroached upon the same, or made any door into it, out of his own ground or habitation, without allowance from the Ordinary? Have any trees there growing been cut down?* how long since? by whom? and to whose use and benefit?

II. Is the house of your Parson, Vicar, or Curate, with all the outhouses thereunto belonging, kept in good and sufficient repair? or have any of the said houses or outhouses been

* 'cut down.' Walton's account of the Scotch Presbyterian Incumbent, who cut down the large Yew Tree, and other ornamental Trees in the Churchyard, may have referred to a fact within Sanderson's knowledge. See Vol. vi. 310.

defaced or pulled down without license from the Ordinary? and by whom? Hath any person encroached upon any garden, yard, or close, belonging to your Parsonage or Vicarage house? or cut up any trees growing thereon? or changed or removed the ancient marks and bounds of the same?

III. Have you a true and perfect terrier of all the glebelands, gardens, orchards, tenements, or cottages, belonging to your Parsonage or Vicarage? as also a note of such pensions, rate-tithes, and portions of tithes, or other yearly profits, either within or without your Parish, as belong thereunto? Have any of the same been withheld from your Minister? and by whom, as you know or have heard?

IV. Have any of the ancient glebe-lands belonging to your Parsonage or Vicarage been taken away or exchanged for other without the free consent of the Incumbent, and license from the Ordinary? Have any enclosures been made in your Parish, to the detriment of the Church, by the decay of tillage, and converting arable land into pasture? By whom hath the same been made? and how many years since? and how much is your Parsonage or Vicarage damnified thereby in the yearly value thereof, as you know, believe, or have heard?

TIT. III.

Concerning Ministers.

I. Is your Minister a Priest or Deacon, episcopally ordained, according to the laws of the Church of England?

II. Is he defamed or suspected to have obtained either his Benefice or Orders by any Simoniacal compact?

III. Hath he been legally instituted and inducted into his Benefice? and did he, within two months after his Induction, publicly in the Church, upon some Sunday or Holy-day, in the time of Divine Service, read the Thirty-nine Articles of the Church of England, established by Authority, and there publicly declare his assent thereunto?

IV. Hath he any other Ecclesiastical Benefice, Prebend, or Dignity? Is he constantly resident upon his Benefice amongst you? How many weeks in any one year hath he been absent from it, without urgent necessity?

V. Hath your Minister a Curate to assist him? Is the said

Curate in Holy Orders? an able and discreet person, and conformable to the Laws and Orders of the Church of England? Is he allowed by the Bishop to serve in your Church or Chapel? and doth he serve in any other Church beside? and what yearly stipend doth your Minister allow him?

VI. Doth your Parson, Vicar, or Curate, in reading the Daily Morning and Evening Service, Administration of the Holy Sacraments, celebration of Marriage, Churching of Women after Childbirth, Visitation of the Sick, Burial of the Dead, and pronouncing God's Commination against impenitent sinners, use the form and words prescribed in the Book of Common Prayer, without any addition, omission, or alteration of the same? And doth he use all such Rites and Ceremonies, in all parts of Divine Service, as are appointed in the said Book?

VII. Doth your Minister, at the reading or celebrating any Divine Office in your Church or Chapel, wear the surplice, together with such other scholastical habit as is suitable to his Degree?

VIII. Doth he observe the Holy-days and Fasting-days, as also the Ember-weeks, and the yearly Perambulation in Rogation-week, as in the Common Prayer Book, or by the Ecclesiastical Canons, is appointed? giving notice to the Parishioners of every of the same in the Church, in the time of Divine Service, upon the Sunday next before?

IX. Hath your Minister been licensed to preach by the Bishop, or either of the two Universities? If so, doth he then constantly (unless in case of sickness, necessary absence, or other reasonable impediment,) himself preach in your Church or Chapel one Sermon every Sunday? Or if he be not a licensed Preacher, or being so licensed be hindered by sickness or otherwise, as aforesaid, doth he procure a Sermon to be so preached by some other Minister, a licensed Preacher? or one of the Homilies set forth by Authority to be there read by a Priest or Deacon lawfully ordained?

X. Doth your Minister diligently instruct the youth of your Parish in the Church Catechism? and doth he prepare and present them, being so instructed, to be confirmed by the Bishop? And doth he endeavour to reclaim all Popish Recusants and other Sectaries, if any such be inhabiting within your

Parish, to the true Religion established in the Church of England, and to their bounden duty in obeying the Laws and submitting to the Government thereof?

XI. Doth he neglect to visit the sick, or delay the Baptism of any infant that is in danger of death? Is there any child past infancy, or other person of more years, through your Minister's default, yet remaining unbaptized in your Parish? Doth he baptize any without Godfathers and Godmothers, or admit either of the parents to be Godfather or Godmother to their own children?

XII. Doth he in his Sermons preach sound doctrine, tending to the edification of the people in the knowledge and faith of Jesus Christ, and obedience to God's holy Commandments? or hath he at any time, as you know or have heard, preached any false, heretical, seditious, or schismatical doctrine, thereby to seduce the people into parties and factions, to the disturbance of the public peace and unity either of Church or State?

XIII. Hath he presumed to marry any persons in private houses? or such as, being under age, have not the consent of their parents? or without the Banns first published on three Sundays or Holy-days in the Church? or at any other hours than between eight and twelve in the morning, unless he had a license or dispensation so to do?

XIV. Doth any person preach in your Parish as a Lecturer? Hath he allowance from the Bishop for so doing? Doth he, before his Lecture, read Divine Service, according to the Book of Common Prayer? and is he in all respects conformable to the Laws and Orders of the Church of England?

XV. Hath your Minister taken upon him to appoint any public or private fasts, prophesyings, or exercises, not appointed by Authority? or doth he, or any other, either Minister or lay-person, hold any conventicles or meetings in private houses within your Parish, for people of several families to resort unto, under the pretence of preaching, praying, thanksgiving, or humiliation, contrary to the Laws and Canons in that case provided?

XVI. Is your Parson, Vicar, Curate or Lecturer, a man of a sober, unblameable, and exemplary life? Doth he familiarly converse with ungodly, vicious, and excommunicate persons? Is he a frequenter of taverns or alchouses? a common game-

ster? a profane or obscene jester? a swearer, railer, scoffer, or quarreller? Doth he set neighbours at variance one with another, or encourage them to suits and contention? Is he noted to be an intemperate drinker? or vehemently suspected of incontinency with any person, either within your Parish or without? Doth he wear his hair of an immoderate or uncomely length?* Is his apparel grave and decent, both for fashion and colour, as the Canons of the Church require? Or is his carriage and conversation, in any kind whatsoever, disorderly or scandalous, and unbecoming a Minister of Jesus Christ?

TIT. IV.

Concerning the Parishioners.

I. Is there in your Parish any person a known or reputed heretic or schismatic? any Papist, Familist, † Anabaptist, Quaker, or other Sectary, that refuse to come unto the public assemblies, Prayers, or Services of the Church, or that make profession of any other Religion than what is established in the Church of England? and if there be any such, what are their names?

II. Is there any person in your Parish that lieth under a common fame or vehement suspicion of adultery, fornication, or incest? Are there any common drunkards within your Parish, or common swearers, or blasphemers of God's Name, or any that are noted to be railers, unclean or filthy talkers, or sowers of sedition, faction, and discord amongst their neighbours?

III. Do any of your Parish, upon the Sundays or Holy-days, follow their bodily and ordinary labour, or permit their servants so to do? Are any shops kept open, or wares sold? or do any vintners, innkeepers, or other victuallers and sellers

* 'uncomely length,' &c. Compare Sermon xi. ad Aulam, the beginning of §. 35.

† 'Familist.' Family of Love in Archbishop Abbot's Visitation Articles, 1616. The Sect had its origin at Amsterdam, and was brought into this country in the latter part of the reign of Edward VI. The Familists denied the Divinity of

Christ and the depravity of human nature, rejected Infant Baptism, and attached little importance to differences in Doctrine or Discipline, making Religion to consist in 'an inward love to Christ.' Their practice was worse than their opinions. Fuller, Church History, iv. 412. Baxter classes them with Infidels. Life, by Sylvester, i. 90.

of beer or ale, suffer any persons to tittle or game in their houses upon those days?

IV. Doth every person inhabiting or sojourning within your Parish duly resort unto your Church or Chapel upon every Sunday and Holyday appointed for Divine Service? Do they then and there abide quietly, with reverence, order, and decency, during all the whole time of Common Prayer, Preaching, or other Service of God there used? and are there any among you that come only to the Preaching, and not to the Common Prayers of the Church?

V. Doth every person reverently uncover his head, and so continue all the time of Divine Service and Sermon in the Church? Do they all reverently kneel at the Prayers, and stand up* when the Creed and Gospel are read, making due reverence when the name of our Lord Jesus is mentioned?

VI. Are there any in your Parish that refuse to send their infant children to be baptized publicly in the Church, unless in case of urgent danger?—in which case the child may be baptized at home by a lawful Minister, after the form and rites appointed in the Liturgy;—or do they send them to be baptized in any other Parishes, or after other form than is appointed? or do they keep them unbaptized any longer time than the Church alloweth? And are there any infants or more aged persons in your Parish as yet unbaptized?

VII. Doth every householder in your Parish cause their children and servants to learn their Catechism, and to give an account thereof unto your Minister, as he shall require it of them openly in the Church upon Sundays and Holy-days, as in the Book of Common Prayer is appointed: that when they are well instructed in the same they may be confirmed by the Bishop?

* 'stand up at the Creed.' The slovenliness against which this Inquiry was directed was no consequence of the interruption of the Public Service of the Church during the Civil Troubles. It must have made its appearance very early: it was noticed by Archbishop Abbot in 1616, and its prevalence is implied in the Injunctions which Laud addressed to the Cathedral of Win-

chester in 1635, and to that of Hereford in the following year.

Are we to infer, from the wording of the latter part of this Inquiry, that Sanderson, like one of the authorities in the Appendix to Nicholls, was disposed to restrict the reverence to those portions of the Service in which the posture of standing is used?

VIII. Is there any person in your Parish who, being sixteen years of age, and well instructed in Religion, doth not receive the Sacrament of the Lord's Supper, at least three times in the year, of which Easter is always to be one? Doth any in your Parish refuse to receive the same kneeling, or from the hands of your own Minister, repairing for it to other Parishes and Ministers abroad? or are there any strangers not of your Parish, that forsake their own Churches, and usually repair to yours for it?

IX. Have you any among you that be denounced and declared excommunicate for any crime committed? How long have they been so excommunicated? And do any of your Parish keep society with them before they be reconciled to the Church, and absolved?

X. Are there any living in your Parish who have been unlawfully married, contrary to the Laws of God? Or any that being lawfully divorced have married again? Or any that being lawfully married, and not separated or divorced by course of Law, do not cohabit together?

XI. Are there any married women in your Parish who, after their delivery from the peril of Childbirth, refuse to make their public thanksgiving to God in the Church? And when they come so to do, do they come decently appavelled, and make their Offerings according to custom?

XII. Are there any belonging to your Parish who refuse to pay their duty for Easter Offerings to your Minister? Or any that refuse to contribute and pay the rate assessed upon them, for the repair of your Church or Chapel, and for the providing of such books, furniture, and ornaments as be requisite for the performance of all Divine Offices there?

XIII. Do any refuse to bury their dead according to the Rites of the Church of England? And are there any Wills or Testaments of persons dead in your Parish that be yet unproved? or any goods administered without a due grant from the Ordinary? Did any dying in your Parish, or elsewhere, leave any Legacy to your Church or Chapel, or to the use of the poor, or to any other pious and charitable purposes? What were those Legacies, and how have they been bestowed?

XIV. Do you know or have you heard of any Patron or other person in your Parish, having the presentation or gift

of any Ecclesiastical Benefice, who hath made gain thereof by presenting a Clerk or Minister to it upon any bargain, either for money, or pension, or lease, reserve of tithes or glebe, or any part thereof, or upon other Simoniackal compact whatsoever?

XV. Is there any strife and contention among any of your Parish for their pews or seats in your Church? Have any new pews been erected in your Chancel, or in the body of your Church or Chapel, without leave from the Ordinary?

TIT. V.

Concerning Parish Clerks and Sextons.

I. Have you belonging to your Church or Chapelry a Parish Clerk, aged twenty-one years at the least? Is he of honest life and conversation, and sufficient or able to perform his duty in reading, writing, and singing? Is he chosen by your Minister, and doth he duly attend him in all Divine Services at the Church? Are his wages duly paid unto him? or who withholdeth the same from him?

II. Doth he or your Sexton, if there be any such appointed in your Parish, diligently look to the doors of your Church, that they be locked and opened at due time? And doth he keep your Church or Chapel clean from dust, cobwebs, and other annoyance? Doth he toll or ring the bells at the due accustomed hours before the beginning of Divine Service, Morning and Evening, that the people may be warned to come unto the Church? And when any person is passing out of this life, doth he, upon notice given him thereof, toll a bell, as hath been accustomed, that the neighbours may thereby be warned to recommend the dying person to the grace and favour of God?

TIT. VI.

Concerning Hospitals, Schools, Schoolmasters, Physicians, Chirurgeons, and Midwives.

I. Is there any Hospital, Alms-house, or Free-school founded in your Parish? Who was the Founder, or is now the Patron thereof? And what is the yearly revenue or stipend belonging to the Governors or Masters of the same? Is the same ordered and governed in every respect as it ought to be? and are the revenues thereof rightly employed, according to the

intention of the Founder, and of such grants and ordinances as have been made concerning the same?

II. Doth any man keep a public or private School in your Parish, who is not allowed thereunto by the Bishop or his Chancellor? Doth your Schoolmaster teach his scholars the Catechism of Religion, set forth by Authority? Doth he cause them, upon Sundays and Holy-days, orderly to repair to your Church or Chapel, and see that they behave themselves there quietly and reverently during the time of Divine Service and Sermon?

III. Doth any man in your Parish practise Physic or Chirurgery, or any woman take upon her to exercise the office of Midwife, without approbation and license from the Ordinary?

TIT. VII.

*Concerning Churchwardens and Sidemen.**

I. Are the Churchwardens of your Parish yearly and duly chosen by the joint consent of your Minister and Parishioners? or one of them by your Minister, and the other by the Parishioners?

II. Have the former and last Churchwardens given up their due accounts to the Parish, and delivered up to the succeeding Churchwardens the moneys remaining in their hands, together with all other things belonging to your Church or Chapel?

III. Do you, the Churchwardens and Sidemen, take diligent care, and see who of your Parishioners be absent from the Divine Service and Sermon in your Church or Chapel upon Sundays and Holy-days? And if you find any to have absented themselves without a sufficient cause, do you, by warrant from some of the Justices of Peace, levy of them, by way of distress upon their goods, the sum of twelve pence for every such day of their absence, according to the Act of Parliament in that case provided? And do you distribute the several sums so levied among the poor of your Parish, according to the Law?

IV. Do you note them that come late to Church, after Divine Service is begun, or depart before it be ended? Do you

* '*Sidemen*,' otherwise written Cripps on the Laws relating to the Sidesmen. Thought by some to be Church and the Clergy, p. 180. a contraction for '*Synod-men*.' See

suffer none to stand idle or talk together in the Church porch, or to walk in the Church or Churchyard during the time of Prayers, Preaching, or other Sacred Offices?

V. Do you suffer no misbehaviour or disorder to be done by men, women, or servants, or children in your Church or Chapel? Are you careful that none of them sit, lean, or lay their hats upon the Communion-table? Do you permit no minstrels, no moris-dancers, no dogs, hawks, or hounds to be brought or come into your Church, to the disturbance of the Congregation?

VI. Do you, against every Communion appointed in your Church or Chapel, provide a sufficient quantity of fine white bread, and of good wine, according to the number of Communicants?

VII. Do you cause all strangers that preach in your Church or Chapel to subscribe their names the same day in a book provided for that purpose, together with the name of the Bishop that licensed them to preach in this Diocess? and do you permit no other to preach?

VIII. Have you, the Churchwardens and Sidemen, now sworn to give in a true answer unto all these Articles of Inquiry in all their several titles, taken sufficient time to draw up your presentments, and therein consulted with your Minister for his faithful assistance?

For know you assuredly, that as the true discharging of your Office is the chief means whereby public disorders, sins, and offences in your Parish may be reformed and punished, so, if you wilfully refuse to present such crimes and faults as either you know to have been committed, or otherwise have heard of by public fame; that in such cases the Bishop and his Officers are to proceed against you, in their Ecclesiastical Courts, as in cases of wilful omission and perjury.

ROB. LINCOLN.

THE Ministers of every Parish are desired to give in the names of such of the younger sort, in their several Parishes, as they judge fit to receive Confirmation from the Bishop, and

to present them to be confirmed; especially such as having competently learned their Catechism, have not yet received the Holy Communion.

Also the Clergy within the County of Lincoln are desired to bring with them, in writing, a note of all such Coats of Arms as are in the Church windows, and of all such Monuments, Gravestones, and Inscriptions, whether of ancient or later times, as are yet remaining in their several respective Churches or Chapels, or the Chancels thereof.*

* 'He was a lover of Heraldry, and gave it in charge in his Articles of Inquiry; but the Clergymen made him such a lamentable imperfect return, that it signified nothing.' Aubrey's Letters, ii. 523.



